


BREVIARIVM
VNIVERSÆ THEOLOGIÆ.

EMINENTISS., ET REVERENDISS.
PRINCIPI, AC DOMINO
D. BENEDICTO
S. R. E. CARDINALI
PAMPHILIO
INNOCENTII X. Pontificis Maximi Pronepoti, & Bononiæ, ſuiquè Comitatus à Latere Legato
DICATVM.





BONONIÆ. M. DC. XCI.

BREVIARIVM
VNIVERSÆ THEOLOGIÆ,
NEMPE SPECVLATIVÆ, DOGMATICÆ, AC MORALIS
IN QVATVOR PARTES DISTRIBVTVM

Iuxta principia Scholæ Scotiſtarum

In commune Sacræ Theologiæ Studentium præſertim noſtræ Seraphicæ Religionis commodum, atque vtilitatem elaboratum

A F. ANTONIO GAVELLO
A CANDELARIA PISAVRENSI
Ordinis Min. Strict. Obſer. Prou. Marchiæ S. Thologiæ Profeſſore; olim iteratò Diffinitore, ac Commiſſario Prouinciali; nec non Foriſempronij Examinatore Synodali, & S. Officij Conſultore

In quibus breui, ſed perſpicua, & fundamentali methodo proceditur

Non omiſſis Controuerſijs, quæ in Scholis agitari ſolent.



PRODIT PARS SECVNDA;

Apud Petri-mariæ de Montibus. 1691.
Superiorum permiſſu.

FR. CAROLVS FRANCISCVS DE VARESIO

Ordinis Minorum Strictioris Obseruantiæ S. P. N. Francisci Lector emeritus, Supremæ, & vniuersalis Inquisitionis Qualificator, ac Cismontanæ Familiæ, tam Obseruantium, quàm Reformatorum Commissarius Generalis, & Seruus. Dilecto nobis in Christo Patri Fratri Antonio à Candelaria Lectori Theologo nostræ Reformatæ Prouinciæ Marchiæ. Salutem in Domino sempiternam.

Cum iuxtà Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones reuisum, & approbatum fuerit volumen quoddam à Te nuper editum, cuius titulus est *Breuiarium vniuersæ Theologiæ, nempè Speculatiuæ, Dogmaticæ, & Moralis*. Tenore præsentium, ad salutaris obedientiæ meritum, facultatem Tibi impertimur, quatenùs, seruatis seruandis, illud Typis mandare valeas.

Dat. Romæ 15. Aprilis 1690.

Fr. Carolus Franciscus de Varesio Comm. Gen. Reg. Tit. Prou.

De mandato S. P. Reu.
F. Innocentius de Cryptis ad Mare Sec. Gen.

Breuiarium Vniuersæ Theologiæ speculatiuæ scilicet Dogmaticæ, & Moralis in quatuor partes in commune bonum in lucem paratum ab Adm. Reu. Patre Antonio de Candelara Sac. Theologiæ Lectore generali Ord. Min. Strict. Obser. cuius partem secundam iuxta facultatem Adm. Reu. Patris Antonij Mariæ de Pergula Minis. Prouin. eiusdem Ordinis, Nos Infrascripti vidimus, & attentè perlegimus, & cum nihil bonis moribus, fideique, veritati contrarium repererimus, dignam censemus pro Iuuenum vtilitate typis mandari.

Dat. Esij hac die 2. Aprilis 1690.

Fr. Albertus ex Murro Vallium Sac. Theol. Lector &c.
Fr. Zacharias à M. Bodio Exprou. Sac. Theol. Lector &c.

Vidit D. Antonius Baruchi Cler. Reg. S. Pauli, & in Eccl. Metrop. Bonon. Pœnitent. pro Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Iacobo Boncompagno Archiepisc. Bononiæ, & Principe &c.

---

23. *Octobris* 1690.

A. R. P. Mag. Clemens Fellina Reuisor S. huius Inquisitionis videat pro S. Offic. præsentem secundam partem Breuiarij vniuersæ Theologiæ &c. à P. Antonio Gauello Ord. Min. strict. Obseruantiæ elaboratum &c. & referat &c. an Typis possit permitti &c.

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus Inquisitor Bononiæ.

Breuiarij Vniuersæ Theologiæ partem secundam, à Reu. Adm. P. S. Theol. Lect. Generalis Antonij le Candelaria Doctiss. calamo prodeuntem, de mandato Reuerendiss. P. Mag. Inquisitoris examinaui, nihilque non Fidei Sacrosanctæ, probisque moribus consentaneum in ipsa reperij; quin omnia subtiliter ad mentem Scoti exarata, eleganti methedo concinnata, sanis, ac profundis doctrinis roborata, & nedum Scholasticorum ingenijs, verùm & Fidelium animabus ita proficua conspexi, ut pro publica utilitate publicis Typis dignissima existimem, si videbitur &c.

Ita censeo Ego Fr. Clemens Maria Felina Carm. Sanctiss. Inquisitionis Reuisor.

Stante antepositа attestatione

Imprimatur

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus Inquisitor Bononię.

INDEX

INDEX

Tractatuum, Disputationum, Quæstionum, & dubiorum, quæ in hac secunda parte continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

De Angelis.

DISPVTATIO I.

De creatione in generali.

DISPVTATIO II.

De Angelorum natura, & conditione.

DISPVTATIO III.

De intellectu, & voluntate Angelorum.

Quæ-

DISPVTATIO IV.

De loco, motu, & mensura durationis Angelorum.

Quæ-

DISPVTATIO V.

De gratia, merito, & demerito; nec non de peccatis, & pœnis Angelorum.

DIS-

De potentia Angelorum tam bonorum, quàm reproborum.

TRACTATVS SECVNDVS.

De homine, ac hominis varijs statibus.

DISPVTATIO I.

De statu Innocentiæ.

DISPVTATIO II.

De statu naturæ lapsæ, & naturæ puræ.

Quæ-

APPENDIX.

De cæteris operibus sex dierum.

DISPVTATIO VNICA.



TRA-

De actibus humanis.

DISPVTATIO I.

De principijs elicitiuis actus humani.

DISPVTATIO II.

De actibus voluntatis in genere, idest de voluntario, & inuoluntario.

Quæ-

DISPVTATIO III.

De actibus elicitis voluntatis in ſpecie.

DISPVTATIO IV.

De bonitate, & malitia morali actus humani.

co-

TRACTATVS QVARTVS.

De Conscientia in genere, & de probabili.

DISPVTATIO I.

DISPVTATIO II.

De conſcientia dubia.

DISPVTATIO III.

De conſcientia erronea, & ſcropuloſa.

TRACTATVS QVINTVS.

De legibus.

DISPVTATIO I.

De legibus in communi.

DISPVTATIO II.

De lege æterna, & naturali.

Quæ-

DISPVTATIO III.

De lege Diuina positiua.



DISPVTATIO IV.

De lege humana tam Ecclesiastica, quàm ciuili.

DISPVTATIO V.

De ijs, qui legibus subijciuntur.

Quæ-

DISPVTATIO VI.

De lege pœnali, & irritante.

DISPVTATIO VII.


De cessatione, & mutatione legis humanæ.

TRACTATVS SEXTVS.

De Peccatis.

DISPVTATIO I.

De natura, & essentia peccati in genere.



TRACTATVS TERTIVS.

De actibus humanis.

DISPVTATIO I.

De principijs elicitiuis actus humani.

DISPVTATIO II.

De actibus voluntatis in genere, idest de voluntario, & inuoluntario.

Quæ-

DISPVTATIO III.

De actibus elicitis voluntatis in ſpecie.

DISPVTATIO IV.

De bonitate, & malitia morali actus humani.

eo-

TRACTATVS QVARTVS.

De Conscientia in genere, & de probabili.

DISPVTATIO I.

æquè

DISPVTATIO II.

De conſcientia dubia.

DISPVTATIO III.

De conſcientia erronea, & ſcropuloſa.

TRACTATVS QVINTVS.

De legibus.

DISPVTATIO I.

De legibus in communi.

DISPVTATIO II.

De lege æterna, & naturali.

Quæ-

DISPVTATIO III.

De lege Diuina positiua.



DISPVTATIO IV.

De lege humana tam Ecclesiastica, quàm ciuili.

DISPVTATIO V.

De ijs, qui legibus subijciuntur.

Quæ-

DISPVTATIO VI.

De lege pœnali, & irritante.

DISPVTATIO VII.


De cessatione, & mutatione legis humanæ.

TRACTATVS SEXTVS.

De Peccatis.

DISPVTATIO I.

De natura, & essentia peccati in genere.



DISPVTATIO II.

De peccatis in particulari, seu capitalibus.

TRACTATVS SEPTIMVS.

De libero arbitrio, & gratia diuina actuali, & habituali.

DISPVTATIO I.

De libero arbitrio.

DISPVTATIO II.

De Diuisione Gratiæ.

Quæ-

DISPVTATIO III.

De necessitate gratiæ.

DIS-

DISPVTATIO IV.

De sufficientia gratiæ diuinæ ad salutem.

DISPVTATIO V.

De gratia D. habituali.



DIS-

DISPVTATIO VI.


De iustificatione primo effectu gratiæ habitualis.

De reuiuiſcentia meritorum ſecundo effectu gratiæ habitualis.

DISPVTATIO VIII.

De merito bonorum operum tertio effectu gratiæ habitualis.

Quæ-



Si celebra l'Insigne Opera

DEL P. ANTONIO DA CANDELARA

MINORE RIFORMATO,

Intitolata

BREVIARIVM VNIVERSÆ THEOLOGIÆ.

Sonetto

Di Giulio Cesare Tosi Nobile da Iesi.

C*Osmografo fedel con dotta mano*
Delinea in picciol foglio i Regni vari,
L'Isole, i continenti, e i gran diuari
De' Climi, e ogni confin barbaro, e strano.


Con più scaltro sauer, ne punto vano
Descriue Antonio *in papiri più cari*
L' Eccelso Nume, che le Terre, e i Mari
Trasse dal nulla Facitor Sourano.

Quindi ogni Saggio Archita è Augel palustre;
O qual' Icaro cade in Mar profondo,
In paragon del Candelara *industre.*

O quanto è più ammirabile, e giocondo
Di Mappa Mondial Compendio *illustre;*
Ch' esprime il Fabro, *il* Redentor *del Mondo!*



NEL



Sonetto

Dell' isteſſo Autore.

D*E l'* Aureo Candelier *sù l'aurea cima*
Si vide sfauillar face sì bella
Nel Tempio di Sion, ch' ardente Stella
Parue, che ſopra tutte i rai ſublima.

E sù Volume d'or con luce prima
Riſplende Antonio *in lucida fauella,*
Qual viuo Sol, nòn timida facella,
Che dal notturno horror tragge la ſtima.

Egli del Sommo Sol *diſpiega i raggi,*
l'Opere, gli Attributi, e il Diuo lume,
E gli altri ſplendidiſſimi retaggi.

Moſtra, che Trino, Vno *è il* Vero Nume.
Dunque d' Antonio *applaudite, ò ſaggi,*
A l' aureo Candelier, *l' aureo Volume.*



PARS

PARS SECVNDA
BREVIARII
VNIVERSÆ THEOLOGIÆ,
NEMPE
SPECVLATIVÆ, DOGMATICÆ, ET MORALIS.

PRÆFATIO.



Bsoluta, Deo adiuuante, prima parte Breuiarij Vniuersæ Theologiæ, in qua egimus de Deo vno, eiusque infinitis perfectionibus iuxtà earum absolutam rationem; nec non de inæffabili fæcunditate Diuina ad intra, seu æterna processione Diuinarum Personarum, hoc est de Deo Trino; ordo doctrinæ postulat, vt agatur de Dei fęcunditate ad extrà, idest de Deo Creatore, quatenùs creaturas omnes in tempore creat, gubernat, & conseruat. Quoniam verò inter creaturas, Angelica est omnibus alijs excellentior; idcircò priùs de ipsa tractare consentaneum videtur; præmissa tamen disputatione de creatione in generali.

TRACTATVS PRIMVS DE ANGELIS

DISPVTATIO PRIMA

De Creatione in generali.

QVÆSTIO I.

Vtrum sint plura principia, vel vnum tantum.

NOt. Quod principium sumitur tripliciter, sicut etiam primum; nam principium dicitur quasi capiens primum, seu primitatem. Igitur primo modo dicitur principium, & primum, idem ac immediatè; vndè Arist. in 1. Post. dicit: primum, & immediatum, hoc est propositio maior, & minor sunt primum, & immediatum, quando ex se habent euidentiam. 2. modo dicitur principium in genere, quo sensu à Porphirio decem genera vocantur principia rerum; dicuntur autem in genere, quia sunt limitata; nàm priusquàm ens diuidatur in decem prædicamenta diuiditur in ens infinitum, & finitum; deinde finitum diuiditur in decem prædicamenta. 3. dicitur principium simpliciter, primum, independens à quocumque alio, tam in esse, quàm in conseruari, & operari, & sic solùs Deus est principium, vt habetur pluribi in S. Scrip. & signanter iuxta illud Apocal. c. 1. *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis*. Verùm principium tertio modo explicatum potest considerari tripliciter: primò ratione bonitatis, an scilicèt sint plura principia bona: 2. an sit vnum principium bonum, & aliud malum: 3. an sit vnum principium visibilium, & inuisibilium; his notatis sit.

I. Concl. Datur vnicum tantùm principium infinitè bonum, tam visibilium, quàm inuisibilium, quod est Deus. Hæc est de fide, & habetur expressè in S. Scrip. &

præfertim in Symbolo Nicæno dicitur. *Credo in vnum Deum*, ecce vnitas principij; *Factorem*, ideft Creatorem *Cœli*, *& Terræ*, hoc eft vifibilium, & inuifibilium, & quoad producta, & quoad producibilia.

Prob. ratione à pofteriori. Omnis multitudo reducitur ad vnum, quod eft fimpliciter primum, & fuper omnem multitudinem, fed vifibilia, & inuifibilia funt in maxima multitudine; ergo ad vnum principium debent reduci, fed hoc eft Deus: ergo &c. mai. pat. nam, vt ait Arift. 8. metaph. Species funt ficut numeri, qui ad vnitatem reducuntur, tanquàm ad principium numeri, eftò non fit numerus; vnde hac ratione D. Dionyf. vocat *Deum Monadem, feù vnitatem*; ità pariter creaturæ cunctæ reducendæ funt ad vnum primum, à quo habeant effe.

Confirmatur, mutabilia reducenda funt ad vnum immobile primum, vt habet Arift. 8. Phyf. ergo cum omnia, tam inuifibilia, quam vifibilia fint aliquo modo mutabilia, vel fecundùm locum, vel fecundùm alterationem, vel fecundùm corruptionem, confequens eft, vt ad vnum principium immobile primum reducantur; eftò namque Angeli non fint mutabiles fecundùm fubftantiam, funt ad minus alterabiles fecundùm affectiones.

II. Concl. Deus eft primum principium omnium rerum in triplici genere caufæ nempe in genere caufæ efficientis, exemplaris, & finalis. Prob. conc. quoad 1. part. Quidquid eft perfectionis fimpliciter, eft Deo tribuendum; fed effe primum principium effectiuum omnium, dicit perfectionem fimpliciter; ergo &c. vnde dicit Arift. 2. met. Id, quod eft ens fimpliciter, & verum fimpliciter, eft caufa omnis entis, & veri; eò quia omne quod eft per participationem, caufaliter dependet ab eo, quod eft per effentiam, vt dictum eft in prima parte.

Prob. 2. pars. In Deo funt Ideæ, feu formæ exemplares omnium creaturarum, vt vifum eft in 1. parte: ergo Deus eft caufa exemplaris omnium rerum: hæc autem caufalitas, vt traditur in Phyf. non diftinguitur ab efficiente, fed ad ipfam reducitur, vt pat. de Artifice creato: ergo &c.

Prob. 3. pars primò autoritate S. Scrip. & præfertim Prouerb. 16. vbi dicitur, *Quod vniuerfa propter femetipfum operatus eft Dominus*; ergo &c. Prob. ratione. Omne per fe

 agens,

agens, agit propter finem, & priùs agens agit propter priorem, seu vltimum finem; sed nihil potest esse principaliter, & vltimatè finis primi agentis, nisi primum ipsum agens, cum non sit ordinabile ad aliud à se: ergo primum agens, quod est ipse Deus, est etiam vltimus finis omnium, de quo latè in part. 1. disp. 1.

Arg. 1. contra 1. conc. Nullum contrarium in natura existit possibile, nisi, & suum contrarium sit possibile; sed summum bonum summo malo opponitur; ergo &c. mai. pat. per Arist. 2. Cœli, & Mundi, & prob. min. ex regula topica; sicut se habet simpliciter ad simpliciter ita magis ad magis, & maximum ad maximum; ergo &c.

Resp. neg. mai. ad Arist. resp. Quod illa regula tenet quando prædicatum dicitur de subiecto vniuersaliter, alias non, e. g. bibere, est bonum; ergo magis bibere, est magis bonum; ergo summè bibere, summum bonum; non sequitur quia ista est falsa, omne bibere est bonum, quod requiritur ad regulam; sic in proposito; omne bonum contrariatur malo, est falsa ista propositio, quia summum bonum caret contrario.

Contra. Bonum, & malum sunt opposita; ergo opposita habent principia, aliter idem erit principium boni, & mali, quod est contra Apost. ad Roman. 3. vbi dicitur, *Qui infert iram*. Glosa ibi sic. *Illius rei Deus vltor est, cuius auctor non est, idest iniquitatis, & mali*. Resp. disting. conf. vt sunt contrariè opposita, sicùt dicitur bonum, & malum in actibus, & habitibus, conc. vt sunt priuatiuè opposita, qualiter visus, & cæcitas, neg. primo igitur modo respiciunt diuersa principia, non verò secundo modo. Immò primum bonum, nec priuatiuè, nec contrariè habet malum sibi oppositum, sed tantum contradictoriè quatenùs summum bonum est negatio omnis mali.

Arg. 2. Probando quod saltem dentur duo principia, quorum vnum sit actiuum, alterum passiuum sic. Pati non potest competere principio actiuo secundum quod huiusmodi: sed pati non est sine principio secundùm quòd primò est passio, ergo erit aliud principium agendi in corporalibus; aliud principium patiendi primum; ergo duo saltem erunt principia nempe materia, & Deus &c.

Confirmatur, quia in materia est prima potentia passiua,

sicut

ſicut in Deo eſt prima potentia actiua: ergo ſi aliquod haberet principium, acciperet ab eo eſſe in potentia, ergo poſſet eſſe in potentia, cum non dum eſſet in potentia, ergo potentiam illam produceret alia potentia, & illa non eſſet niſi materialis, quia potentia reſpectu actus, quæ non dum eſt in actu, quoad hoc eſt materialis; ergo materia præcederet materiam quod eſt impoſſibile.

Reſp. neg. 1. ſeq. & ratio eſt, quia, licet agere, & pati ſint oppoſita, & reducantur ad actiuum, & paſſiuum primum in his, quæ fiunt, vel ſunt ex materia; attamen primum paſſiuum eſt à primo actiuo, qui non indiget materia ad creandum aliquid cum de nihilo producat.

Ad confirmationem dicitur, concedendo, materiam eſſe primam potentiam paſſiuam in ſuo genere, ſicut Deus prima potentia actiua; ex hoc tamen non ſequitur, quod ſi haberet principium, eſſet in potentia antequàm eſſet potentia, non ſequitur, inquam, quia eſſet in potentia obiectiua non autem in potentia ſubiectiua, de qua loquimur hic in ordine ad actus ſeu ad formas. Vndè non benè infertur, eſſet materia, antequàm eſſet materia; potentia namquè obiectiua non eſt materia, vt ſupponit argumentum.

Ex dictis pat. manifeſtè error impij Manichæi, qui poſuit duo principia vnum bonorum, & alterum tenebrarum, & mali probans ſuam poſitionem per illud Ioan. 16. vbi dicit Chriſtus, *Venit enim Princeps huius Mundi, & in me non habet quidquàm*. Vocatur enim Diabolus Princeps Mundi, ideſt viuentium carnaliter; nec ob id ſequitur, Diabolus eſt Princeps Mundi, ergo fecit Mundum &c. Pat. etiam error aliquorum Philoſophorum; primò Anaxagoræ, qui in quodam Chaos æterno poſuit res quieſcentes, & poſtea per intellectum immixtum, & impaſſibilem facta eſt ſegregatio, & ſeparatatio rerum. 2. Empedochis, qui poſuit ab æterno mundum corrumpi, & generari ad modum hominis per litem, & amicitiam. 3. Error Democrati aſſerentis, res ab æterno inordinatè, & confusè moueri, & poſtea caſu acceptios eſt motus ordinatus. 4. Ariſt. docentis, materiam eſſe ingenitam, & incorruptibilem, vt ſubſiſteret omni productioni, non videns alium modum producendi. Vnde eſt maxima, ex

 nihilo

nihilo, nihil fit. Et denique error Auicennæ ponentis vltimam intelligentiam creare, & gubernare hæc inferiora.

QVÆSTIO II.

Vtrum Deus possit aliquid creare ex nihilo?

NOt. 1. Quod creatio est productio alicuius de non esse ad esse; istud autem non esse intelligitur tripliciter; primò vt dicit non esse simpliciter, & solùm priuationem formæ, quæ est altera pars compositi, & hoc modo generatio est productio de non esse ad esse: 2. vt non esse dicit priuationem solùm alicuius esse secundùm quid, & hoc modo alteratio, augumentatio, & loci mutatio, dicitur productio de non esse ad esse:. 3. vt non esse simpliciter negat esse materiæ, & formæ, & hoc modo sola creatio est simpliciter productio de non esse ad esse, quia nihil supponit. Insuper hæc tria differunt inter se propriè loquendo, scilicet actio, creatio, & factio; actio enim est secundùm quam in id, quod subijcitur, agere dicimur; creatio nullum subiectum supponit,& ideò soli Deo competit,vt videbimus infra; factio autem dicit quid commune creationi, & actioni; vnde dicitur Gen.c.1. dixit Deus, *Fiat, & factum est*.

Not. 2. Quod creatio in S. Scrip. solet capi quadrupliciter, primo modo dicitur creatio, vt dictum est de non esse simpliciter ad esse, & sic accipitur Gen. cap. 1. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*. 2. dicitur, creatio idem, ac ordinatio, & sic accipitur illud Isai. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*; non enim Deus creat malum, sed ordinat malum ad bonum. 3. dicitur, creatio idem quod recreatio; vnde dicebat Dauid: *Cor mundum crea in me Deus*, & iuxtà illud: *Emitte spiritum tuum, & creabuntur*. 4. sumitur creatio pro omni eo,quod producitur sine causa secunda, sic homo dicitur creatura.

Not. 3. Quod ly de nihilo secundum Anselmum in suo Monologio potest sumi tripliciter: primò materialiter, & sic omnes Philosophi asseruerunt, ex nihilo, tanquam ex subiecto nihil fieri. Nam impossibile est nihil esse materiam. 2. causaliter, & est sensus, nihil non potest esse

causa alicuius; nam quod non est, non potest agere &c. 3. dicitur ordinaliter, & est sensus, ex nihilo fieri aliquid, idest, post nihil aliquid fieri; & isto modo concedit etiam Arist. & Auicenna in metaph. differenter tamen à Theologis, quia illi dicunt, non esse vniuersi solùm præcedere esse eiusdem natura, & ratio eorum est, quia ponunt Deum agere modo naturali, & non libero. At Theologi tenent, vt docet S. Scrip. non esse vniuersi præcedere de facto nedum natura, sed etiam tempore saltem immaginario; Deus enim agit ad extra liberè.

Cęterùm dum dicitur, creationem fieri ex nihilo: ly ex nihilo non est intelligendum; ita quod excludatur etiam esse cognitum, quod habent creaturæ in mente D. sed excluditur tantum esse essentiæ, & existentię, vt probat Scot. in 1. d. 36. contra Henricum.

Not. 4. Quod prioritas naturæ ex Scot. in 2. d. 1. q. 1. est duplex, nempe positiua, & negatiua; positiua tunc est quando aliquid inest intrinsecè alicui, & eius entitas est prior entitate posterioris, vt animal est priùs natura rationali in homine. Negatiua tunc est quando aliquid licet actu non insit illi, cui dicitur conuenire tamen quantum esset ex se inesset, nisi impediretur; igitur ad propositum ait Scot. quod creatura non habet ex se esse formaliter, nec habet non esse formaliter, sed quantum est in se haberet non esse, si causa extrinseca non tolleret suum non esse; vnde potius dicendum est, creaturam non habere esse ex se formaliter, quàm habere non esse ex se formaliter; præcedit igitur ipsum esse, negatiuè, non positiuè.

Concl. Deus potest aliquid creare ex nihilo; sumpto ly nihilo ordinaliter; non autem si nihil accipiatur, vt excludit esse cognitum creaturarum. Prima pars pat. quia de esse ad posse tenet consequentia; sed Cœlum, & terra, vt S. Scrip. testatur, sunt creata; ergo si creauit potuit creare; si potuit ergo potest, quia in Deo omnia sunt in actu perfectissimo. Prob. ratione ex Scot. in 2. d. 1. q. 1. Deus potest aliquid immediatè causare; ergo potest immediatè creare: prob. ant. Constat, quod Deus est primum efficiens, vt omnes fatentur, ergo vel potest aliquid immediatè producere, vel non: Si non possit, ergo non erit primum efficiens, cum nequeat operari, alio sublato, &

 circum-

circumſcripto. Si poſsit, ergo producere poteſt aliquid nullo alio concurrente, ergo poteſt producere aliquid ex nihilo.

Deinde. Illud, mediante quo Deus aliquid produceret, vel eſſet à Deo productum; vel non. Si non, ergo eſt ens à ſe independens, & æquè primum efficiens, ac ipſe Deus, ac proinde eſſent duo Dij, quod eſt manifeſtè falſum. Si primum; illud, mediante quo hoc productum fieret, eſſet pariter productum immediatè, vel non. Si ſit productum immediatè, habemus intentum. Si non; dabitur proceſſus in infinitum, & ſic nullum erit primum efficiens, quod eſt æquè falſum.

Præterea. Primum efficiens debet habere aliquam cauſalitatem ſibi ſoli conuenientem, & nulli alteri communicabilem; alioquin ratio primi efficientis poſſet pluribus competere, & ſic eſſent plura prima efficientia, quod non minus implicat quam pluralitas Deorum; ſed nullam cauſalitatem propriam habere poteſt quàm creationem: ergo hæc ſoli Deo competit: min. pat. quia omne agens naturale poteſt aliquid producere præſuppoſito ſubiecto; ergo ad hoc vt primum efficiens agat modo ſibi proprio debet agere nullo præſuppoſito ſubiecto, quod eſt creare. 2. pars eſt manifeſta. Nam quodlibet agens rationale, ſeu intellectuale ordinatè agens, prius cognoſcit id, quod vult agere, & producere, quàm producat, ſed Deus eſt agens perfectiſſimum, & infinitum, ergo &c.

Arg. cont. conc. quoad 1. part. In Deo non poteſt cadere mutatio aliqua; ergo Deus non poteſt aliquid de nouo creare. Prob. conſ. Si Deus aliquid produceret, quod priùs non producebat, aliter ſe haberet, quàm prius; at ſic caderet in Deo mutatio; ergo &c.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. ad probationem dicitur diſting. ſeq. Si produceret noua volitione, conc. ſi antiqua, & æterna neg. Agens namque infinitum voluntarium, quale eſt ſolus Deus, poteſt voluntate antiqua nouum affectum producere abſque ſui mutatione, facta mutatione tantùm ex parte effectus producti. Siquidem ab æterno voluit Deus creare, quæ in tempore creat, ſed non pro æterno.

Contra. Idem manens idem ſemper natum eſt facere

idem

idem ex Arist. 2. de generat; ergo non erit aliqua variatio in effectu, nisi priùs sit in causa.

Resp. Propositionem Arist. valere de Agente naturali; non vero de libero, & voluntario. Verùm quia hæc responsio non adæquatè soluit; ideo disting. ant. Idem manens idem, tàm intrinsecè, quam extrinsecè, conc. ant. Secùs autem si sit variatio agentis extrinsecè per terminationem, & tendentiam in rem creatam: de qua re vide disp. de D. voluntate in p. 1. vbi latè traditur doctrina pro firmitate huius responsionis.

Arg. 2. Illud, quod creatur, priùs habet possibilitatem ad esse, quàm producatur in esse, sed ista possibilitas non est nihil, ergo ante creationom est aliquid, ergo creatio non est ex nihilo.

Resp. conc. mai. & disting. min. Ista possibilitas est alicuius entis preter esse cognitum, quod habent creaturæ in intellectu D. nego; est illud esse cognitum, in quo etiam fundatur possibilitas ad esse simpliciter conc. min.

Arg. 3. Tempus est sine principio, ergo mundus non fuit creatus de nouo. Prob. ant. quia si non; ergo potuit priùs tempus fuisse, quam fuerit, sed priùs, & posterius sunt differentiæ temporis; ergo &c.

Resp. neg. ant. ad prob. disting. seq. mai. Si ly priùs sumatur pro differentia temporis realis, nego: Si sumatur pro differentia temporis immaginarij conc. Sicut dicitur extra Cœlum nihil est, ly extra non dicit locum realem, sed immaginarium.

Arg. cont. 2. conc. Si creaturæ producuntur de esse cognito, ergo essent de aliquo, ex quo fierent; sed hoc est falsum ergo &c. Resp. neg. seq. mai. tunc esset vera, quando diceretur, creaturas fieri de esse cognito, tanquam ex aliquo concurrente, vel vt forma; vel vt materia, at dicimus fieri de esse cognito, hoc est post esse cognitum; præsupponunt igitur esse cognitum, sed non fiunt ex eo,



QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrum prima causalitas respectu omnium causabilium de necessitate sit in tribus Personis.

NOt.1. Quod in hac quæstione sunt duæ opiniones vna Henrici de Gandauo: altera Scoti in 2. d. 1. q. 1. Henricus quol. 6. q. 2. ponit in Deo duas rationes formales producendi creaturas, hoc est, sapientiam, qua illas cognoscit; & amorem, quo diligit easdem. Sed pro maiori intelligentia huius opinionis sciendum, Henricum docere, reperiri in Deo duplicem sapientiam, alteram simplicis intelligentiæ essentialem, & tribus communem, & hæc est purè speculatiua, qua Deus operando percipit creaturas, vt sunt talis, vel talis naturæ; alteram notionalem, qua Deus easdem attingit operando, simulquè de eisdem disponit. Ex parte voluntatis ponit pariter duplicem amorem, unum simplicis dilectionis essentialis tribus communem per modum inefficacitatis; alterum amoris affectantis. Vnde concludit iste Doctor, quod Deus Pater in productione creaturarum, tam in esse existentiæ ad extra, quam in esse essentiæ ab æterno habet Filium, & Spiritum S. tanquàm rationes formales, per quas agat, & producat; Filium quidem per sapientiam pratice disponentem, & Spiritum S. velut per amorem veraciter affectantem: eius rationes afferentur inferius.

Not. 2. Ex Scoto, quod omnia in Diuinis, tum essentialia, & notionalia ad intra, tùm essentialia ad extra secundum actus precisè immanentes sunt simul duratione indiuisibili, semper permanenti æternitatis, licet non simultate naturæ, & originis, qui sunt alterius rationis, & in quocumque vnius ordinis potest totus alius ordo assignari. Exemplum est de creatura, ubi est ordo naturæ, ordo originis, & ordo durationis, qui sunt alterius, & alterius rationis. Accipiatur enim unum instans durationis in illo instanti possunt assignari omnia ordinata secundum originem, & naturam. Accipiatur etiam unum instans naturæ, in eo possunt assignari omnia ordinata secundum originem simpliciter: tamen in Diuinis ordo naturæ, prior est, ità quod simpliciter procedendo in primo instan-

instanti naturę debet assignari totus ordo primus originis; & si in secundo instanti naturæ assignetur ordo originis, non est primus ordo, sed secundus; quod sic explicat ipsemet Doctor.

Ordo naturæ accipitur comparando obiecta ad intellectum, & voluntatem D. quia comparando essentiam suam ad intellectum, & voluntatem, quæ est primum obiectum intellectus sui, & voluntatis, est primum instans naturæ: & comparando alia obiecta, quæ sunt secundaria ad intellectum, & voluntatem D. quæ non sunt ex se obiecta, sed producta per intellectum, & voluntatem in esse obiecti; & sic habetur secundum instans naturæ. In primo igitur instanti naturæ stando, in illo habetur Persona perfecta, habens memoriam perfectam Essentiæ D. idest habens intellectum, cui Essentia D. est præsens in ratione obiecti actu intelligibilis; & ista persona, ista memoria Essentiæ D. potest formaliter operari, & formaliter producere, ut idem Scot. docet in 1. d. 2. q. 3. & priùs aliquo modo intelligitur ista Persona in se perfecta, & verè beata in actu intellectus. Eadem etiam Persona producendo ista memoria producit notitiam adæquatam huic obiecto; & cum hoc obiectum sit infinitum producit Personam infinitè perfectam, seu formaliter infinitam, & per se subsistentem. Illi autem Personæ communicatur voluntas, ut actus primus, non habens adhuc terminum adęquatum productum; ista autem una voluntate Persona prima, & secunda operantur circa Essentiam D. tanquàm obiectum amando eam infinitè, & sic sunt in se perfectè, & verè beatæ in Essentia D. Præter hæc autem ista eadem voluntate una in eis, istæ Personæ producunt amorem infinitum, & ita spirant Personam D. idest Spiritum S. quia nihil est formaliter infinitum, nisi quod per identitatem est Deus. Stando igitur precisè in primo instanti naturæ comparando Essentiam D. ad intellectum, & voluntatem habetur totus ordo originis primas. Sequitur secundum instans naturæ, in quo comparatur intellectus, & voluntas D. ad aliud obiectum secundarium; & quia in illo instanti obiectum illud non est ex se actu intelligibile, sed fit actu intelligibile per intellectum; ideò non habet esse in memoria D. ut memoria est, sed producitur actu

Intelligentiæ in tali esse obiecti: sicut in nobis intentiones secundæ producuntur per intellectum, & non sunt in memoria ut memoria est; & siue poneretur, quod haberent esse per memoriam, siue quod producerentur per intelligentiam in esse cognito, saltem priùs natura, quàm habeant esse in memoria, vel intelligentia est in istis tribus Personis, erit ratio producendi ista in esse. Et hac doctrina Scotus probat non solum primam causalitatem esse in tribus Personis, sed etiam Verbum non produci de cognitione creaturarum, vnde subiungit Doctor. Non igitur Verbum prima productione producitur de lapide ut est in memoria Patris; quia vel lapis non habet esse in memoria Patris, ut memoria est principium producendi Verbum; vel si habet esse in memoria; non tamen priùs naturaliter, quàm intelligatur ipsa in tribus; & concludit, quod prima causalitas creaturarum tam in esse cognito, quàm in esse reali necessariò est in tribus Personis D.

Pergit Doctor. In secundò tamen instanti naturæ potest assignari quidam ordo originis, quia priùs origine Pater intelligit lapidem, quàm Filius, quia Pater intelligit à se, Filius non à se, sed hoc habet à Patre, & Spiritus S. à Patre, & Filio. Sed iste secundùs ordo originis non est originatio simpliciter, qua videlicet Personæ D. producuntur in esse D. naturæ simpliciter, sed est quasi originatio secundùm quid, siue consequens Personas iam productas. Exemplum huius in creaturis. Si sit origo Socratis à Platone per se secundùm humanitatem; ordo originis in istis, in habendo humanitatem est primus ordo originis simpliciter; ordo autem eorum in habendo risibilitatem est alius ordo originis, quasi secundùm quid, quia sicut in primo instanti naturæ Socrates habet humanitatem à Platone; ita in secundò habet risibilitatem ab eo; & si priùs ambo haberent naturaliter humanitatem, quàm risibilitas produceretur, ambo causarent simul risibilitatem, & tamen quod hoc causarent, unus haberet ab alio; ita in proposito ablata quacumquè imperfectione discurrendum est in Diuinis.

Not. 2. Quod ly de necessitate, seu necessariò positum in quæst. potest intelligi tripliciter. 1. necessitate causæ, ita quod causa in causando indigeat alia concausa ad hoc, ut sit

vt sit principium sufficiens aliquid producendi. 2. necessitate effectus; ita ut effectus necessariò exigat concursum alterius, & alterius causæ. 3. necessitate exigentiæ, & concomitantiæ, quatenus causa conueniat in eadem causalitate cum primo præexacto principio, vel causa conuenienti. Non est primo modo prima causalitas in tribus, quia Filius, & Spiritus S. non perficiunt causalitatem à se, & in se, ut docet Doctor quol. 8. §. ad 3. probationem, & eam communicat Filio, & Pater, & Filius Spiritui S. Nec 2. modo, quia ut dicetur in sequenti quæst. Si unica tantum Persona per impossibile esset, adhuc in ea esset tota ratio principij producendi creaturas. Remanet igitur, quod sit tertiò modo, quia enim priusquàm creatura producatur, communicatur sibi eadem natura cum Patre, & per consequens eadem vis actiua respectu cuiuscunque posterioris; sequitur, quod Filius tanquàm conueniens in eadem causalitate cum Patre, præexigatur ad productionem creaturæ. Qua doctrina soluuntur, & explicantur huiusmodi auctoritates S. Scrip. nempe. *Verbo Domini Cæli firmati sunt. Omnia per ipsum facta sunt. Per quem fecit, & sæcula &c.* dicendo, quod ly (per) non dicit causam formalem, nec instrumentalem, nec causalitatem perficientem, sed præexactionem Verbi conuenientis in eadem natura, & causalitate cum primo præexacto; hoc est cum Patre.

I. Concl. Vna Persona non est ratio formalis creandi alteri, neque una Persona per alteram, tanquàm per rationem causandi vel disponendi. Est contra Henricum; & sic à Scot. prob. Hihil formaliter agit, quod non est in actu secundùm illud, quod est proxima ratio agendi, quia agens debet esse prius in actu primo per rationem formalem agendi, quàm agat; sed Pater non est in actu primo per Verbum, & Spiritum S. ergo &c.

Præterea. Dum Henricus dicit, Verbum esse dispositio-sitiuam notitiam, & Spiritum S. amorem affectantem; vel per sapientiam dispositiuam &c. intelligit quid proprium; vel quid appropriatum. Si primum; ergo daretur aliquis respectus proprius alicui Personæ qui alteri non competeret, quod est inconueniens, & improbatur à Doct. in 1. d. 18. Si secundum; ergo erit commune tribus; ergo falsa est positio Henrici. Quarè D. Aug. 7. de Trin. docet, quod

quod Pater non est sapiens sapientia genita; ac proinde sequitur, quod Verbum non est ratio Patri agendi, nec Spiritus S. ut amor affectans.

II. Concl. Prima causalitas producendi creaturas tam in esse cognito, seu secundum quid, tam in esse realis existentiæ, seu simpliciter, de necessitate competit immediatè tribus Personis D. Est Scoti in 2. d. 1. q. 1. & prob. ab eodem Doctore sic. Principium duarum productionum scilicet necessariæ, & contingentis prius producit necessaria, quàm contingentia; non enim potest effectus necessarius præsupponere contingentem, sed bene è contra; at aliquid in Diuinis est principium productionis intrinsecę, quæ est necessaria, & productionis extrinsecæ, quæ est contingens: ergo prius necessariò est in Deo aliquod principium productionis, necessariæ, & ad intra, quàm contingentis, & ad extra. Sed in illo priori, completa productione ad intra, communicatur tribus Personis omnis fæcunditas, quæ eis non repugnat, & per consequens principium productionis ad extra, ergo in illo instanti, in quo est proximum principium in Deo ad producendum contingens ad extra, illud communicatur tribus. Item prius naturaliter est primum obiectum pręsens potentiæ respicienti tale obiectum, ut primum, quàm obiectum secundarium sit præsens, & hoc maximè verum est, quando solùm obiectum primum ex natura rei, & ex se est obiectum primum; & secundarium non est huiusmodi; sed fit per actum potentiæ in tali esse; sed intellectus D. habens essentiam, ut obiectum sibi præsens, non tantùm est potentia operatiua circa illud, sed etiam productiua notitiæ adæquatæ, & sic pariter voluntas D. prius ergo naturaliter, quàm intellectus, & voluntas habeant, vel respiciant aliquod aliud obiectum secundarium, habetur completa ratio productionis Personarum D. idque antequàm producantur tam in esse secundum quid, quam in esse simpliciter.

Præterea prob. 3. Habitudo naturę ad suppositum prior est habitudine eius ad actum secundum; quia agere præsupponit esse, & habitudo ad suppositum est essentialis, & in quid; illa autem, quæ est ad agere non videtur essentialis, ergo natura Diuina prius est principium pro-

ductio-

ductionum Personarum, quàm creaturarum; ergo &c.

Prob. vltimo auctoritate Conciliorum. In Lateranensi cap. firmiter de sum. Trin. habetur quod *Tres Personæ sunt consubstantiales, omnipotentes, vniuersorum principium, & creaturarum omnium visibilium, & inuisibilium*; & in Tolet. *Nulla sine alia existit, nec quicquàm operatur*. Accedit etiam auct. D. Aug. 5. de Trin. cap. 14. dicentis, *Quod sicut Pater, & Filius ad Spiritum S. sunt vnum principium, sic omnes res sunt vnum principium creatura ad ipsam producendam*.

Arg. Henricus cont. 1. conc. Sicut se habet forma naturalis ad producendum effectum suum naturaliter; sic forma intellectualis, & volitio concommitans ipsam, ad producendum effectum intelligibiliter, & artificialiter: sed forma naturalis non est immediatum principium operis secundum quod est perfectio eius, in quo est, sed solum inquantùm inducit respectum ad opus; & sapientia intellectualis essentialis, & amor essentialis non induunt istum respectum, nisi ut sunt in Verbo, & amore producto: ergo Verbum, & amor productus in quocunque artifice sunt immediatum principium operandi artificialiter.

Rep. Transeat mai. & neg. min. Ratio est, quia in sententia Scoti forma etiam naturalis non est principium producendi aliquid per respectum, sed per suam absolutam entitatem, etsi posterius sit aliquis respectus ad effectum.

Arg. 2. Sapientia speculatiua, & amor sibi correspondens non sunt immediatum principium operandi, ergo sapientia practica, & amor sibi correspondens; idque patet in artifice rationali; nam notitia uniuersalis, qua considerat operabile in vniuersali, & secundum sua principia communia non est sibi ratio operandi, sed benè notitia quædam particularis accepta de vniuersali; sic pariter de sapientia D. est discurrendum; notitia autem quodammodò particularis, & practica; & similiter amor, sunt Verbum, & Spiritus S. ergo &c.

Resp. neg. ant. eo quia ad operationem, seu creationem non requiritur aliud, quàm ipsa cognitio, & potentia productiua, quæ est D. voluntas volens ab æterno producere in tempore creaturam; vndè cognitio creaturarum possibilium fit quodammodò practica, accedente decreto

D. vo-

D. voluntatis; ut alibi ostensum est. Neque exemplum allatum de artifice naturali est verum; falsum siquidem est notitiam particularem deductam ex vniuersali, quæ est speculatiua, esse practicam cum particulare sequatur naturam sui vniuersalis, ut probat Doctor. quol. 8. §. ad ista.

Arg. 3. ex D. Paulo 1. ad Corint. cap. 2. vbi ait. *Prædicamus Dei virtutem, & sapientiam Dei*. Item multi Sancti PP. dixerunt Verbum in creatione fuisse sapientiam Patris, vt Iustinus Martyr; ergo habet rationem formalem dispositionis, & practicæ operationis.

Resp. ad supradictas auctoritates, & ad consimiles loqui Sanctos PP. non propriè, sed appropriatè, vel sub auctoritatiuè; quo sensu loquitur etiam Apost.

Arg. 1. cont. 2. conc. probando, quod Pater solus producat creaturas in esse cognito; sic; Pater priùs origine cognoscit lapidem, quàm Filius, ergo Pater priùs producit lapidem in esse cognito, quàm Filius, ergo Filius non producit, nec Spiritus Sanctus.

Resp. conc. ant. & neg. cons. quia non sequitur Pater priùs origine &c. ergo priùs producit; sed solum sequitur, ergo priùs origine: quod priùs origine nihil aliud est, quàm Patrem producere à se, Filium à Patre, non quidem in diuerso, sed in eodem instanti naturæ. Vel resp. quod mutatur signum à quo in signum in quo, & redit in idem.

Arg. 2. cont. 2. partem conc. nempe, quod prima causalitas ad extra non sit in tribus de necessitate. Productio contingens, non necessariò præsupponit productionem necessariam; ergo de necessitate non est in tribus.

Prob. ant. ex Scoto dicente, quod si per impossibile non esset aliqua productio ad intrà, adhuc tamen esset, vel posset esse productio ad extra, ergo &c.

Resp. neg. ant. ad prob. dicitur, quod Scotus non loquitur absolutè, sed dicit, quando duæ sunt emanationes, quarum altera sit necessaria, & altera contingens, contingens de necessitate supponit necessariam, si autem esset tantum vna, tum non esset iste essentialis ordo; de quo in quæst. seq.

Arg. 3. Omnis perfectio essentialis in Diuinis est prior proprietate suppositali per Scot. in 1. d. 1. q. 2. vbi arguit

contra Henricum; idem in 1. d. 7. & quol. 1. docet, quod licèt agere præsupponat esse, non tamen præsupponit rationem suppositi, sed potentia, seu virtus productiua ad extra est perfectio essentialis, ergo &c.


Resp. disting. mai. Omnis perfectio essentialis est prior &c. absolutè, hoc est sine respectu ad extra, conc. cum respectu ad extra, neg. mai. Iam modo potentia, absolutè sumpta, priùs est in Diuinis proprietate suppositali; at considerata, prout respicit creaturam, secundum hunc respectum est posterior proprietate suppositali.

Cæterùm Scoti auctoritas allata non est ad rem. Siquidem Doct. loc. cit. loquitur de Patre, producente Filium, quæ productio non præsupponit esse Patris in esse Patris; cum per generationem Pater constituatur in esse Patris, seu suppositi.

Arg. 4. Actio est suppositi, ergo plurium suppositorum, plures sunt actiones, ergo actio Patris non est in Filio.

Resp. conc. ant. & disting. cons. Si ad multiplicationem suppositorum multiplicentur principia formalia agendi, conc. conseq. si non multiplicentur, vt se habet in proposito; neg. cons.

Arg. 5. Sicut se habet principium operationis ad principium ipsum; ita operatio ad operationem; quemadmodum enim intellectus est principium priùs principio volito; sic intellectio est prior volitione, sed principium operationis est aliquod essentiale, & essentiale est priùs nationali, ergo, & actio creandi est prior actionibus ad intra; ac proindè principium creandi de necessitate non est in tribus. Resp. mai. esse veram, quando non exigitur aliquod aliud præter principium ad operandum. At in proposito vltra principium exigitur productio Personarum; rationem dat Scot. Quia illud, quod est principium ordinatorum, non intelligitur esse in potentia proxima ad actum remotum, nisi vt est sub actu priori, seu proximo.



Vtrum si per impossibile in Diuinis daretur tantum vnica Persona, illa possit producere creaturas ad extra.

NOt. Quod Henricus contendens, Verbum, & Spiritum S. esse rationes formales Patri producendi; consequenter sustinere debet, quod si esset vnica tantùm Persona, non posset creare; quia careret ratione formali ad creandum. Nos verò; sicut cum Scoto dicimus, Filium, & Spiritum S. non esse Patri rationes formales creandi; ita asserimus; quòd, si per impossibile non esset, nisi vna Persona tantùm; illa posset producere creaturas, & agere ad extra: sit igitur,

Concl. Si per impossibile esset tantùm vnica Persona in Diuinis, esset in ea perfecta causalitas respectu omnium creaturarum. Prob. sic à Scot. in 2. d. 1. q. 1. art. 3. Quando comparatur causa ad duos effectus ordinatos essentialiter est eius comparatio ad effectum vtrunque, quàm vnius effectus ad alterum; propter dependentiam enim eorum ad causam eandem, ordinatè dependent ad inuicem, & non è-conuersò; propter dependentiam vnius ad alterum dependent ordinatè ad causam eandem, ergo, si per impossibile destruatur ibi ordo effectuum inter se ordinatorum, non propter hoc est negandus ordo, & dependentia vtriusque ad causam; quia propter minus impossibile non est concedendum maius impossibile, nec per minus necessarium est negandum maius necessarium, e. g. si ponatur ignem habere istos duos effectus ordinatos, scilicèt calefacere, & ignire. Si essentialius se habeat ignis ad vtrumque, tam ad calefacere, quàm ad ignire, quàmuis ignere supponat calefacere, si ponatur, ignem per impossibile non posse calefacere, non propter hoc negandum est ipsum non posse ignire: sed in proposito sic se habet, quia in Deo reperitur perfectum principium productionis ad intra, & ad extra habentium ordinem magis necessarium fortasse ad causam, quàm alterius ad alterum; ergo, si per impossibile ponatur, Deum non habere productionem ad intra, adhuc pos-

huc posset habere productionem ad extra, vt testatur etiam Ricard. lib. 3. de Trin. c. 16. vbi ait, *Quod si tantum esset vna persona adhuc esset in ea plenitudo sapientia, & potentia, atque posset vna producere omne possibile.*

Arg. 1. cont. conc. Quicquid in Diuinis ad intra reperitur, est summè necessarium; sed producere ad extra præsupponit productionem ad intra; ergo necessariò illam præsupponit, ac proinde ablata productione ad intra per impossibile; non posset esse productio ad extra.

Resp. conc. mai. & disting. min. Sed producere ad extra &c. materialiter concedo, formaliter nego min. Non enim productio ad intra est causa productionis ad extra, sed quia defacto datur talis ordo.

Contra: de facto ante productionem Filij, & Spiritus S. in Patre non est ratio proxima producendi creaturas, ergo rationem proximam producendi creaturas recipit per ipsas productiones; ergo &c, Resp. disting. ant. ratione defectus principij, nego: ratione talis ordinis defacto existentis, concedo &c. & sic respondetur ad alias rationes, & auctoritates.

Contra. Scotus in hac quæst. dicit, quòd de necessitate prima causalitas est in tribus, ergo nulla responsio.

Resp. disting. ant. de necessitate, ità quòd perficiatur aliquo modo principium productiuum, nego, de necessitate præexigentiæ, & concausæ, quia defacto datur talis ordo, conc. ant.

QVÆSTIO V.

Vtrum Solius Dei sit creare, vel etiam aliqua creatura possit creare.

NOt. ex Scoto in 4. d. 1. q. 1. contra Henricum, quòd ad creationem non requiritur virtus infinita simpliciter ex eo, quòd inter ens, & non ens sit distantia infinita, vt dicit etiam D. Thomas; quarè docet Doctor noster contra Thomistas, quòd quando extrema contradictionis sunt immediata, tanta præcisè est eorum distantia, quantum alterum extremum est maius suo contradictorio. Vndè, cum ens finitum excedat non ens tantùm finitè, tanta

erit distantia inter ens, & non ens, seu nihil, quantum est ens. Distantia ergo inter Deum, & non ens, cum sit ille infinitus, erit infinita; distantia verò inter creaturam, cum sit finita, & inter non ens, erit finita. Priuationes enim, & negationes mensurantur per ea, quorum sunt priuationes, & negationes. Neque requiritur virtus infinitá ex parte ipsius nihil præcisè, quia maior resistentia inuenitur in contrario, & in positiuo, quàm in nihilo. Requiritur ergo virtus infinita in suo genere, hoc est ex independentia à subiecto, & à quocumque alio extrinseco causandi genere materiali, vel formali præsupposito.

Concl. Est fidei dogma; nullam creaturam propria virtute posse creare. Prob. 1. ex Sanctis Patribus. D. Aug. lib. 9. super Genes. c. 22. sic habet. *Angeli nullam omninò possunt creare naturam*; & D. Damas. cap. 18. ait. *Qui dicunt, Angelos esse creatores alicuius naturæ, sunt omninò Filij Patris Diaboli*. Insuper probatur ex S. Scrip. nam Ecclesiast. cap. 1. dicitur. *Vnus est altissimus creator omnipotens*. Eandem veritatem tradunt Sacra Concilia, ergo &c.

Prob. ratione. Nulla virtus dependens, & finita potest attingere terminum creationis; ergo nulla creatura potest creare: prob. ant. Quia nulla virtus finita potest aliquid de nihilo, & absque subiecto aliquid producere; vt infra apertè ostendetur, ergo nulla creatura potest attingere terminum creationis.

Arg. cont. conc. Perfectum est, quod potest sibi simile facere ex Arist. sed creaturæ immateriales sunt creaturis materialibus perfectiones; ergo si creatura materialis potest producere sibi simile, & immaterialis; subsumo minorem, sed hoc non potest nisi per creationem, cum non habeant materiam, ex qua fiat, ergo &c.

Resp. Propositionem Arist. valere in ijs, quibus non repugnat productio alterius in eadem natura; vel saltem habent quicquid exigitur ad positionem alterius; licet absolutè non producat; homo enim non producit hominem absolutè, cum non producat Animam rationalem; sed dispositiuè, & agit subiecto præsupposito, quod non reperitur in Angelis.

Arg. 2. Virtus facientis consideratur secundùm mensuram eius, quod fit: sed quod fit est finitum, ergo creatura

potest


poteſt ſua virtute ponere in eſſe aliquid per creationem; cum nihil aliud requiratur inter cauſam, & effectum, niſi virtus commenſurata.

Reſp. conc. mai. & min. & negatur conſ. Quia in minore non ponitur omne id, quod requiritur ad hoc vt creatura poſſit creare: concedimus quidem ex parte finitatis, negamus tamen ex parte ſubiecti; quod præſupponitur ad actionem agentis creati, & finiti. Vel reſp. tranſeat maior; & diſting. min. quod fit eſt finitum, quoad entitatem conc. quoad modum, quo fit, nempe creatione: neg. min. modus namque creationis actiuæ non eſt finitus, ſed infinitus.

Arg. 3. Quantò maior eſt reſiſtentia ex parte facti, tantò maior virtus requiritur in faciente, ſed maior reſiſtentia reperitur ex parte contrarij, quàm nihili, ergo, cum creatura ex contrario aliquid producat, poterit etiam ex nihilo producere. Reſp. Quòd in argumento aſſignatur non cauſa pro cauſa; non enim aſſerimus creaturam non poſſe creare ratione maioris, vel minoris reſiſtentiæ; ſed ex eo quod in agendo neceſſariò dependet à ſubiecto; quo non præſuppoſito, nihil poteſt producere.

Arg. 4. In cuius poteſtate eſt annihillare, eſt etiam creare, vt docuit Scot. in 4. ſed agens naturale anníhilat deſtruendo totaliter formam, ergo poteſt etiam creare.

Reſp. ex Scot. neg. min. Etenim Scot. in reſponſ. ad 4. ait, quod ſolius Dei eſt creare, & annihillare, quia annihillare non eſt agere poſitiuè, ſed non agere, ideſt non conſeruare, & breuiter ſubdit Doctor. Sicut quælibet creatura requirit cauſam concauſantem in fieri, ideſt principium potentiale, ita ſuper illud non poteſt deſtruendo; ſicut nec producendo, & per conſequens neceſſariò aliquid relinquit; ſicut neceſſariò præſupponit. Sicut autem creatio propriè dicta eſt productio de nihilo, ideſt non de aliquo, quod ſit pars primi producti, & receptiuum formæ inductæ; ita annihillatio eſt deſtructio in nihilum vtroque modo.



QVÆSTIO VI.

Vtrum creatura per absolutam Dei potentiam possit vt causa principalis, cum dependentia tamen à Prima, aliquid creare.

NOt. 1. Quòd pro intelligentiâ præsentis quæst. recolenda sunt tradita in Philosophia, nempè, quid sit potentia Dei absoluta; quid ordinaria; quid sit causa principalis, quæ condistinguitur ab instrumentali ex eo, quòd habeat formam, & virtutem in esse quieto, per quam attingere potest effectum, nempè sua virtute illum producendo. Et insuper, quòd omnes creaturæ sunt in perfectissima potentia obedientiali respectu Dei. Vnde potest Deus illas eleuare tam actiuè, quam passiuè ad omne id, ad quod habent proportionem, vel saltem potentiam remotam, & inchoatam, & non dicit contradictionem; vt etiam in disp. de vis. beatif. dictum est.

Not. 2. Quod in hac quæst. tres afferuntur sententiæ. Prima asserit, quòd; licet de facto nulli creaturæ communicata sit virtus creatiua; tamen non apparet ratio conuincens, cur id repugnet: ita Durand. in 2. d. 1. q. 4. Gabriel ibidem, Malonius disp. 1. cap. 5. Arriaga disp. 11. Phys. sect. 5. 2. ex opposito, docet, nullam creaturam posse creare, seu eleuari ad creandum, nec per modum causæ principalis, nec instrumentalis: ita Scot. in 4. d. 1. q. 1. & videtur communis etiam extra nostram scholam. 3. tandem ponit, quòd, estò creaturæ repugnet esse causa principalis creationis, non tamen esse causa instrumentalis: ita D. Thom. & Thomistæ, de qua opinione erit examen in quæst. sequenti; ponitur igitur in hac quæstione resolutio quoad causam principalem; vnde sit.

Concl. Creatura, nec etiam per absolutam Dei potentiam potest vt causa principalis creare cum dependentia à prima. Hæc conc. ita communiter, & apertè traditur à Sanctis Patribus, vt videatur esse de fide. Siquidem D. Athanas. ser. 3. contra Arianos: *Solius Dei, inquit, est condere & creare, eius que Verbi, & sapientiæ.* Cyrillus pariter contra Arianos lib. 2. Thesi 2. pronunciauit. *Virtutem creatiuam*

nam suscipere creatura non potest; & alij, quos apud Doctores modernos videre licet,

Prob. ratione. In causis præcisis, & adæquatis alicuius effectus, sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis Post. 1. sed causa præcisa, & adæquata, cur agens creatum agit dependenter à subiecto non est nisi finitas, & limitatio, ratione cuius non valet eminenter continere causalitatem subiecti; ergo causa pariter præcisa, & adæquata, cur agens in creatum independenter agit à subiecto, erit infinitas eminenter continens causalitatem subiecti, ergo virtus infinita requiritur ad creandum per modum causæ principalis; sed ea virtus nequit à Deo communicari creaturis: ergo &c,

Prob. 2. Creatio passiua non est influxus à creatura distinctus, vt docent passim Doctores, & ex parte creaturæ importat relationem dependentiæ essentialis ad Deum, sibi realiter identificatam ex Scot. in 2. d. 1. q. 4. sed fieri non potest, vt relatio respiciens essentialiter vnum terminum, alium terminum respiciat, ergo non potest relatio creationis passiuæ importare dependentiam essentialem, nisi à solo Deo, & non etiam à creatura; at, si creatura creare posset, variaretur relatio essentialis, quia variaretur terminus, ac proinde creatura, nec per potentiam Dei absolutam potest creare &c,

Confirmatur. Quia in genere causæ efficientis non datur essentialis dependentia in creatura nisi in ordine ad causam primam: ergo implicat vnam creaturam dicere dependentiam essentialem ab alia creatura, ergo creatura per absolutam Dei potentiam non potest vt causa principalis creare.

Prob. 3. Omnis creatura, vel est spiritualis, vel materialis, vel merè intellectualis; sed neutra istarum potest creare, ergo &c. mai. pat. ex sufficienti diuisione: min. prob. de creatura merè spirituali, qualis est Angelus; hic enim non potest agere, nisi per intellectum, & voluntatem: sed actibus intellectus, & voluntatis non potest producere substantiam, neque accidens: non substantiam, quia accidens non potest in substantiam, ac proinde actus voluntatis, cum sit accidens, nequit substantiam producere; non accidens, quia hoc exigit ex sui natura subiectum

in quo, & ex quo, ergo &c. Vnde si non possunt Angeli, tantò minùs natura inferior, cum magis dependeat in omnibus à subiecto.

Arg. 1. contra conc. Effectus non adæquans virtutem superioris agentis potest ab agente inferiori, saltèm, vt à Deo eleuato produci: sed nullus effectus adæquat virtutem Dei, ergo quilibet effectus potest produci per agens creatum, ergo agens creatum potest creare.

Resp. conc. mai. & disting. min. Nullus effectus adæquat secundum entitatem conc. secundum modum, secundum quem creatur nego. Vnde duplex est adęquatio, seu proportio effectus ad causam, vna quoad entitatem, altera quoad modum faciendi; estò igitur prior non adæquet potentiam infinitam Dei, adæquat tamen secunda, cum ad illum creandum requiratur virtus infinita.

Contra. Si responsio esset vera, ergo effectus nobilior non ostenderet perfectius virtutem Dei: sed hoc est falsum, ergo &c. Resp. Quod non ostenderet, quoad modum creandi, ostenderet tamen quoad entitatem nobiliorem.

Arg. 2. Angelus est independens à materia, ergo potest agere independenter ab eadem, ergo potest creare. Prob. cons. per illam regulam. Sicut se habet res ad esse, ita ad operari, sed Angelus, quo ad suum esse est independens à materia, ergo, & quo ad suum operari.

Resp. conc. ant. & neg. cons. ad prob. dicitur, quòd in proposito sic est intelligenda regula, sicut, Angelus est immaterialis, ita etiam eius operatio est immaterialis; non autem, quia non est compositus ex materia, ergo potest producere aliquid sine materia, cum non habeat quommodò possit sine materia dare esse alicui creaturę à se distinctę.

Arg. 3. In creatura est potentia obedientialis ad recipiendum aliquam formam supernaturalem, qua mediante potest efficere id, quod excedit suas vires naturales; ergo poterit per absolutam Dei potentiam eleuari ad creandum, quod excedit vires naturæ ipsius.

Resp. neg. cons. Dispar enim est ratio de receptione formæ supernaturalis, quæ pertinet ad potentiam obedientialem passiuam, & de actione creatiua, quæ pertinet ad potentiam obedientialem actiuam, quia potentia passiua

à toto

à toto genere, nullam dicit perfectionem, vt tradit Scot. in 3. d. 14. q. 2. in fine; at potentia actiua obedientialis, estò possit aliquid efficere, ad quod habet saltem potentiam remotam, seu inchoatam, non tamen quodlibet, & maximè creare, cum hoc, vt dictum est, exigat independentiam, & infinitatem, quæ nulla ratione creaturæ competere possunt.

Contra. Creatura ex concessis eleuari potest ad actus supernaturales, qui sunt ordinis superioris, ergo, & ad actus creationis, qui sunt ordinis naturalis, ac proinde inferioris; quia quicquid creatur pertinet ad ordinem naturæ. Prob. conf. Nobilior est ordo supernaturalis, quam ordo naturalis, ergo si potest eleuari creatura ad actus supernaturales à fortiori ad actus ordinis naturæ, excedentes tamen vires creaturæ.

Resp. conc. ant. & neg. conf. Ad probat. conc. ant. & neg. conf. Ratio est, quia virtus creatiua est attributum supernaturale, soli Deo competens, & terminatiuè tantùm, seù passiuè est in ordine naturæ, quatenus creaturæ, quæ sunt termini creationis, sunt ordinis naturalis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum creatura possit concurrere ad creationem, vt instrumentum Diuinæ Potentiæ.

NOt. 1. Quòd causa instrumentalis sumitur multipliciter; aliquando pro omni eo, quod in operando ab alio dependet; & sic omnis causa secunda dicitur instrumentalis, quia in operando dependet à Deo. Aliquando pro parte alicuius totius, qua mediante totum dicitur agere, & sic potentiæ animæ, seu partes animalium, & organa sensuum dicuntur instrumenta animæ. Aliquando sumitur pro omni eo, quod inseruit principali agenti ad producendum, terminum, ab ipso intentum, & de hoc quæritur in quæst. quod est triplex, scilicet Naturale, Artificiale, & Morale. Naturale est, quod inseruit, principali agenti in ordine ad aliquem effectum producendum naturaliter, cui ex propria natura proportionatur, & in hoc sensu calor dicitur instrumentum ignis ad producen-

dum ignem. Artificiale est, quod inseruit principali agenti, non per virtutem actiuam, sibi inexistentem intrinsecè, sed per virtutem quandam acceptam ab agente principali in actuali factione, siue productione termini, ab eodem agente intenti; & sic serra, gladius &c. sunt instrumentum artificiale. Morale est, quod inseruit agenti principali ad aliquem effectum producendum, non per aliquam actionem; seu virtutem physicam; sed per liberam electionem, seu institutionem, & determinationem agentis liberi; sic meritum, præces; sic materia, & forma Sacramentorum, aut aliquod aliud simile dicuntur instrumentum morale; quo sensu à Scoto dicuntur Sacramenta causa moralis; & gratiam causare.

Not. 2. Quòd causa vt sic diuiditur in causam physicam, & moralem, ac proindè in causa morali includitur propria ratio causæ, Vnde, sicut in causis physicis datur causa principalis, & instrumentalis, & vtraque habet aliquam causalitatem; ita suo modo in moralibus datur causa principalis, & instrumentalis. Causa igitur principalis meritoria, vt ad præsens spectat, est passio Christi, prout docuit D. Ambros. & determinat Concil. Trid. sess. 6. c. 7. Causa verò instrumentalis est Sacramentum, seu illa actio Sacramentalis; in qua debet reperiri aliqua bonitas, & honestas, ratione cuius habeat saltem rationem remotam, & incompletam, & compleatur per eleuationem causæ principalis; & hoc patet, quia causalitas moralis consistit in aliquâ bonitate morali. Quare omnis sacramentalis actio, vt sit valida, debet ex Christi institutione habere obiectum honestum, & bonum, propter cuius honestatem, & bonitatem saltem implicitè, & virtualiter fieri debet; vt in p. 4. dicetur; & talis actio est ordinata ad sanctificationem subiecti: vnde in hoc sensu nequit à malo Ministro vitiari huiusmodi actio sacramentalis, dummodò habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, Itaque Sacramenta sunt instrumenta, in ordine ad causandam gratiam; & habent etiam rationem medij, in ordine ad finem, ad quem sunt instituta; medium autem participat de honestate, & bonitate finis, ad quem ordinatur, vt traditur in tract. de actibus humanis, ac proinde habetur obiectum bonum actionis instrumentalis, idest finis, à Christo instituti.

Not.

Not. 3. Quod Sacramenta dici possunt instrumenta, tùm Dei, tùm Christi: Christi quidem quatenus ab eius institutione auctoritatem acceperant, & vim mouendi Deum; dicuntur instrumenta Dei, quia Deus ipse est agens principale, qui priùs mouet humanitatem Christi, ad hoc vt his Ministris, his actionibus suam auctoritatem communicaret, & virtutem. Dicuntur etiam Dei instrumenta, quatenùs habent infallibilitatem à Deo in causando, estò à voluntate Christi habeant auctoritatem, & vim ad Deum mouendum, quatenus voluit, illas esse actiones suas; posset enim Deus illis positis non dare gratiam. Vnde sunt etiam instrumenta apud Deum ad ponendum infallibiliter gratiam.

I. Conc. Nulla creatura per absolútam Dei potentiam potest esse instrumentum physicum, & actiuum, aut propria virtute, vel sibi à Deo communicata, ita vt attingat dispositionem præuiam, vel terminum ipsum creationis; hæc est Scoti in 4. d. 1. q. 4. contra Thomistas asserentes, posse Deum communicare aliquam virtutem creaturæ, vt tanquam instrumentum Dei agat, & hoc modo dicunt Sacramenta physicè concurrere ad gratiam causandam.

Prob. ex Scoto vnica ratione sic. Quia si ageret instrumentaliter, vel vt præuia dispositio, vel vt attingens terminum, non primum, quia in creatione nulla requiritur dispositio ad terminum producendum, cum nihil supponatur; non secundum, quia nequit agere, nisi vt habet aliquam virtutem actiuam, à qua, vt à causa procedit effectus; terminus autem principalis, non solùm procedit à causa principali effectiuè; sed etiam à causa instrumentali, quæ est effectiua: sed nulla virtus talis potest communicari creaturæ, ergo &c.

Prob. min. Quia talis virtus, vel esset innata; at ista nequit attingere terminum creationis, vt dictum est de voluntate Angeli, de potentia obedientiali, & de forma substantiali; vel esset assistens extrinsecè, sed non hoc; quia illa assistentia, vel se habet per modum applicantis, & dirrigentis, vel per modum concurrentis; aliter enim nequit intelligi mera assistentia, sed vterque modus supponit virtutem actiuam in instrumento, quia applicatio, & directio connotant virtutem actiuam, sicut & concursus.

Vel de-

Vel denique illa virtus esset recepta in instrumento, & sic habet modum accidentis, & dependentis à subiecto, ac per consequens supponit subiectum in agendo.

II. Conc. Creatura potest à Deo eleuari ad aliquid creandum, tanquàm instrumentum morale, quo sensu Scot. loc. cit. docet, Sacramenta esse de facto eleuata ad gratiam creandam, seu producendam. Prob. conc. à Doctore hac maxima. Omnis dispositio, necessitans ad formam (dummodò non sit dispositio passiua receptiua) potest dici quodammodò causa actiua, seu instrumentalis respectu illius formæ (pro forma intellige hic finem, vt explicat Tataret. in 4. d. 1. q. 5.) sed sic est, quòd Sacramentum, vt actio à Christo instituta, seu susceptio Sacramenti dici potest quodammodò causa actiua per se, & non per accidens instrumentalis respectu gratiæ: ergo &c. dicitur quodammodò, quia dispositio propriè, & per se, non influit in formam, sed quodam modo, & diminutè se habet ad causalitatem illius formæ, quatenus obiectiuè mouet Deum ad gratiam conferendam. Maior probatur à Scoto exemplo meriti. Merita sunt causa instrumentalis respectu præmij, quia per merita acquiritur præmium; & tamen meritum non causat actiue præmium in se, idest physicè non efficit ipsam beatitudinem; nec aliquam dispositionem mediam; sed est dispositio præuia mouens, & quasi necessitans agens ex ordinatione D. ad producendum terminum gratiæ, & gloriæ: ergo &c.

Arg. cont. 1. conc. Incarnatio est perfectior, quàm creatio; sed aliquod instrumentum, virtute supernaturali attingere potest incarnationem, ergo, & creationem; maior patet de B. Virgine &c.

Resp. disting. mai. Incarnatio est perfectior ratione termini, quia est Persona Verbi: conc. mai. ratione modi agendi, neg. mai. Sicut enim creatio est opus solius Dei; ita pariter Incarnatio. Siquidem efficere Incarnationem est vnire naturam humanam hypostaticè Verbo D. quæ vnio actiua soli Deo competit; neque B. Virgo cooperata est ad talem vnionem, nisi generando humanitatem Christi; licet modus talis productionis, seu generationis fuerit miraculosus; de quo in part. 3.

Arg. 2. Non minus est, vt corpus agat in Spiritum, quàm

quàm creatura creet; sed ignis inferni est corporeus; & virtute Dei agit in damnatos Spiritus, ergo, & creatura potest creare virtute Diuina.

Resp. neg. mai. Apparet enim maior ratio, quòd, ignis etsi corporeus, agat in spiritum, quàm creatura creet; quia in hoc statu, in quo Anima est corpori vnita, experimur corpus agere in Animam, afficiendo eam doloribus. Quomodò autem agat ignis in spiritus damnatos; an videlicèt inducendo in spiritum aliquam qualitatem physicam; qua eum torqueat, vel intentionalem, hoc est detinendo spiritum in tali loco, in contemplatione ignis &c. valdè dubium est; de quo infra redibit sermo; vbi agetur de pæna Dæmonis.

Arg. 3. Agens naturale, virtute propria, producit rem ex nihilo, ergo multò magis virtute Diuina, tanquàm instrumentum: patet consequentia, quia agens naturale ex speciebus consecratis producit vermes, acetum, &c. sine forma, & materia, ergo creat: ant. prob. quia ibi nec est forma, nec materia vermis, ergo creat.

Resp. neg. ant. ad prob. dicitur vermes non produci sine materia; corruptis namque accidentibus ad conseruationem substantiæ necessarijs, in eodem instanti, quo agens naturale generat aliam formam, & alia accidentia, creatur à Deo materia prima, vt docet Scot. in 4. d. 12. quol. 6. Immò probabilius est, vt idem Doctor subiungit, redire virtute Diuina substantiam compositam, cui talia noua accidentia conuenire possint.

Contra. Homo peccando anihilat gratiam: ergo potest creare. Resp. ex Scoto hominem peccando destruere gratiam moraliter, seu demeritoriè, non autem physicè, cum peccatum in nostra sententia non opponatur gratiæ physicè sed moraliter, & demeritoriè.

Arg. 1. cont. 2. conc. à Suarez, dicente modum huiusmodi causandi moraliter esse gratis excogitatum à Scoto. Illa, quæ nullam habent connexionem cum gratia, non possunt esse dispositiones ad illam: sed sic se habent ex Scoto Sacramenta, ergo &c.

Resp. conc. mai. & disting. min. Non habent dispositionem physicè, & ex eorum natura; conc. moraliter, hoc est institutione Diuina, neg. est enim aliquid ex sui natura

nullo

nullo modo proportionetur alicui physicè, potest per D. voluntatem sic, vel sic eleuantem, & instituentem habere proportionem; non quidem physicam, sed moralem, vt est in proposito.

Arg. 2. per Scotum. Sacramenta sunt dispositio, & dispositio debet inesse subiecto, in quo est forma, quæ fit per actionem agentis; sed formæ omnes Sacramentorum non recipiuntur in homine, vt patet de Eucharistia, cuius forma recipitur in pane, & gratia in alijs Sacramentis recipitur in Anima hominis, & dispositio in corpore, ergo non disponunt, seu non sunt dispositiones, quando quidem non ponantur in eodem subiecto, in quo introducenda est forma.

Resp. neg. 2. part. mai. Quia huiusmodi dispositio recipitur in suscipiente, qui est totus homo, & quamuis gratia recipiatur in anima, & Sacramentum in corpore, quia est signum sensibile, tamen quia corpus, & anima sunt vnum totum subiectum, hinc sequitur dispositionem ad formam, & eandem formam repetiri in eodem subiecto; secùs autem est de Eucharistia in fine; quia, licet sit Sacramentum in se completum, & perfectius quolibet alio; nihilominùs non efficit gratiam sanctificantem, nisi in suscipiente; susceptio igitur huius Sacramenti est dispositio ad gratiam. Ita Hiquæus in comment. Scoti.

Arg. 3. Si Sacramenta sunt causa gratiæ; ergo sunt causa per accidens, & non per se; patet cons. quia causa per se ex Scoto est ea, quæ ex propria virtute, & influxu producit effectum; & non virtute alterius, ergo &c.

Reso. neg. cons. ad probat. disting. ant. Causa per se &c. causa physica, conc. moralis: nego ant. Vnde causa moralis licet non influat per se physicè attingendo effectum; influit tamen mouendo agens liberum ad illum producendum ex pactione Diuina.

Contra. Ex hac responsione sequitur, Sacramenta esse tantum signa gratiæ, & causam, sine qua non, sed causa sine qua non, est causa per accidens; ergo falsa est allata responsio. Signa enim, & conditiones non agunt.

Resp. neg. Sequi ex nostra responsione; Sacramenta esse tantum signa gratiæ; & conditiones sine qua non; & per consequens negamus, esse causas per accidens; cum in se

in se imbibant veram rationem causæ, non quidem physicæ sed moralis; vt supra ostendimus. Etenim Sacramentum, seu susceptio eius, ex Scoto, est dispositiua, licèt moraliter, ad gratiam; at dispositio reducitur ad causam efficientem. Igitur sequitur tantum; quòd non est dispositio ex sua virtute naturali, sed ex Diuina institutione.

Cæterùm fatemur, Sacramenta esse signa, sed practica; ac proinde veram causam per se eius, quod significant.

Arg. vltimò auctoritate. Sancti Patres, & Concilia tribuunt Sacramentis nouæ legis virtutem, & vim producendi gratiam: sed talis virtus, & vis, etiam secundùm Sanctos Patres, videtur admittenda in sensu physico; ergo Sacramentis, vt nobilius dignificentur, tribuenda est causalitas physica.

Resp. Sanctos Patres, & Concilia tribuere Sacramentis vim producendi gratiam; quod nemo Catholicus negat. At controuertitur à Theologis; an talis vis sit moralis, vel potiùs physica; affirmant Thomistæ, esse physicam; negant Scotistæ; & quidem probabilius; vt ostendetur in p. 4. cum Sancti Patres, & Concilia fauere videantur potiùs nostræ, quàm eorum sententiæ.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Deus creare potuerit Mundum ab æterno, & absque durationis principio.

NOt. Quòd titulus quæst. sic est intelligendus; an videlicet Deus potuerit creare mundum, hoc est, omnia, quę sunt in mundo, sine principio durationis; adeò ut, tam entia permanentia, quàm successiua, tam corruptibilia, quàm incorruptibilia ab æterno creare potuerit. Circa quam difficultatem duæ sunt sententiæ. Altera D. Bonau. Alberti Magni, Richard. Henrici, & aliorum, asserentium, repugnare creaturæ esse ab æterno, ac proindè Deum per absolutam potentiam non potuisse producere creaturam in esse realis existentiæ; eorum rationes afferentur inferiùs. Altera est Scoti, qui, estò videatur problematicus, vtramque partem defendendo, attamen magis inclinat ad affirmatiuam partem, quàm negatiuam, loquendo

quendo de entibus permanentibus; secùs autem de successiuis à parte ante; Cęterùm, pro intelligentia huius quęst. faciunt plura dicta in Philosophia; ideò sit.

I. Concl. Potuit Deus creare Mundum, quo ad entia permanentia ab æterno: hæc est Scoti in 2. d. 1. q. 3. D. Thom. & est communis, tàm Thomistis, quàm Scotistis, quàmuis differat D. Thom. à Scoto in probando hanc eandem conc. Prob. breuiter. Conc. nulla apparet contradictio in istis terminis, aliud à Deo esse sempiternum, ex Scoto loc. cit. §. tenentes autem, & si de aliquo sit contradictio, non tamen de omnibus, vt patebit in responsione argumentorum, ergo potuit Deus creare Mundum ab æterno, quoad entia permanentia.

Prob. ant. Non est contradictio ex parte Dei, cum eius omnipotentia respiciat omne creabile, tàm pro æterno, quàm pro nunc temporis; aliter posset dari, aut intelligi maior omnipotentia ea, quæ non posset producere ab æterno: non ex parte effectus, quia maior, vel minor duratio nihil perfectionis ponit in creatura, vt docet Scot. in 1. d. 2. q. 2. §. ostensis igitur. Albedo namque, durans mille annos non est perfectior, quàm si duraret per vnum diem, &c.

II. Conc. Deus non potuit creare Mundum, quo ad entia successiua ab æterno: hæc est Scoti loc. cit. Prob. Si daretur ens successiuum ab æterno, puta tempus, illud constaret ex partibus idest diebus, horis, instantibus, & in quolibet die plures essent horæ, & in hora plura instantia, ergo, sicut modo dies est maior hora, & hora instantibus, posset vltra progredi inquirendo; an horæ, instantia, & dies essent finiti, vel infiniti; si primum, ergo totum tempus finitum, quia infinitum non constat ex finitis. Si secundùm ergo daretur vnum infinitum maius alio.

Præterea de ratione successiui est, quod non permaneat in esse, sed sit semper in fluxu; aliter si in esse permaneret, esset simul permanens, & successiuum, quod est manifesta contradictio; ergo si aliquòd successiuum potest esse ab æterno, vel simul ab æterno, fuisset verum dicere, tempus est ab æterno, & non est; vel solùm esset verum dicere, tempus est ab æterno; non primum, quia apertè implicat, cùm sint contradictoria; si secundùm, ergo illa

pars

pars temporis, seù ens successiuum permansit in esse per infinitum tempus; & ita finitum fuit infinitum; nam à productione illius entis successiui, vel partis temporis, vsque ad infinitum eiusdem, non potuit intercedere solùm tempus finitum; seu duo finita, quia sic non esset ab æterno; ergo &c.

Arg. 1. ab Henrico cont. 1. conc. sic. De omni producto verum est dicere, aliquando producitur, vel semper producitur. Si primum, ergo in illo instanti, in quo producitur, recipit esse; ergo non fuit ab æterno, sed habuit principium durationis. Si secundum, ergo creatura semper est in fieri, & nunquàm in facto esse, quod est absurdum. Resp. Quòd creatura si esset ab æterno, neque aliquando, neque semper produceretur, sed semper esset producta.

Et si dicas. Creatura fit pro aliquo instanti; ergo &c.

Resp. Quod fieret in instanti æternitatis, vel in instanti Æui; neque propter hoc esset necesse, quòd non esse Angeli prioritate temporis præcedat esse Angeli, sed sufficit, quòd præcedat prioritate naturæ negatiuè; & hac ratione diceretur. Creaturam accepisse esse, seu esse acquisitum habuisse. Non enim est immaginandum, quòd in æternitate detur aliquod primum instans; vel secundum, in quo valeat dicere; creaturam incepisse, quia in æternitate non datur primum, nec secundum, sed vnicum tantum instans.

Arg. 2. Illud priùs duratione inest alicui, quod priùs natura illi inest, sed creaturæ priùs natura inest non esse, ergo eidem inest non esse priùs tempore, quàm esse, ergo non ab æterno.

Resp. ex Scoto, quòd duo opposita non insunt creaturæ eidem ordine naturæ positiuè, sed priuatiuè; & sic non esse priùs natura inest creaturæ priuatiuè; hoc est, quantum ex se est, inesset, nisi à causa produceretur in esse; & ideò non est necesse, quòd id, quod præcedit priuatiuè, præcedat quoque duratione; bene tamen si positiuè præcederet. Quarè Doctor in 3. d. 3. q. 1. ait. Quando opposita comparantur ad idem, secundum ordinem naturæ, non simul ambo insunt; sed tantùm alterum inest. Reliquum autem, quod dicitur priùs natura, non inest, quia in eodem instanti oppositum inest, sed dicitur priùs natura, quia

tunc inesset quantum est ex parte subiecti; nisi aliquid ex-trinsecum impediret; & dat exemplum de materia in ordine ad formam. Itaque non esse creaturæ, & esse creaturæ in æternitate fuissent in eodem instanti; cum in mutatione instantanea terminus à quò, & terminus ad quem sint simul duratione,

Contra. Creatio, vt relatio, non minùs dicit ordinem essentialem ad terminum ad quem, quàm ad terminum à quò, ergo, sicut creatio semper est ad terminum ad quem positiuè, ita etiam ad terminum à quò positiuè,

Resp. neg. ant. Quia, licet creatio dicat ordinem ad terminum ad quem, & à quo; non tamen eodem modo; respicit namquè terminum ad quem per modum permanentis, terminum verò à quo per modum obiecti, & expulsi.

Arg. 3. Si aliqua creatura ab æterno fuisset producta; sequeretur illam incæpisse esse, & incæpisse non esse, sed hoc est manifesta contradictio: ergo &c. Prob. seq. mai. Incæpisset esse, quia per veram creationem accepit esse; non incæpisset verò, quia quod habet esse per productionem æternam, non incipit esse; aliter Verbum Diuinum incæpisset esse,

Resp. neg. seq. ad prob. dicitur, falsum esse in illo casu creaturam incæpisse esse, quia incipere esse, notat aliquod primum nunc durationis,

Arg. 4. Quælibet species æquè est in potentia, vt sic comparata ad Deum, vt dantem esse, ergo sicut Sol potuit esse ab æterno; ita, & Asinus perfectus potuisset esse, & generare ab æterno, & ab illo possent esse geniti omnes alij Asini, qui sunt, vel fuerunt vsque ad hunc diem. Tunc quæro, vel omnes illi Asini essent finiti, vel infiniti; si finiti, ergo totum tempus ab illo instanti vsque ad hoc tempus esset finitum; & sic habeo intentum; si infiniti; ergo positis extremis potuissent media fuisse infinita, quod est contra rationem infiniti, quod est carere extremis.

Resp. Scotus, posset negari, quòd in quacumquè specie est similis impossibilitas ad æternitatem, quia non apparet contradictio ex parte cuiuscumquè speciei, & ideò nec similis possibilitas; vel conceditur, quòd Asinus potuisset esse productus ab æterno. Et cum quæris: an fuissent finiti, vel infiniti, &c. negatur, quòd sint infiniti, immò finiti, &

ti, & cum infers; ergo tota duratio à productione illius Asini fuisset finita, negatur conf. ille enim, & si productus fuisset ab æterno, non tamen potuit, generasse ab æterno, quia generatio necessariò includit in creaturis, quòd sit mutatio inter terminos oppositos, ideft inter priuationem, & formam; & quicquid est inter opposita sibi succedentia non potest esse sempiternum, sed oportet quod sit in tempore. Et si dicas quòd tunc oportuit, ipsum per tempus infinitum quieuisse ad generandum, cum tamen fuisset perfectus, & potens ad priùs generandum, quod videtur inconueniens.

Resp. Scotus. Asinus non fuisset factus perfectior ab æterno ad generandum, quàm Deus ad creandum. Et tamen, per te Henrice, oportuisset, Deum quieuisse à creando. Asinum per infinitum tempus, quasi immaginarium, & tamen non ita videtur necessarium, sicut in generatione, quæ est transitus à priuatione ad formam.

Arg. 5. Si mundus fuisset ab æterno, infinita duratio fuisset accepta, ergo non remaneret aliquid aliud accipiendum, quod est contra rationem infiniti. Infinitum enim est illud, cuius, quacumque parte accepta, semper remanet aliquid accipiendum.

Resp. Argumentum non concludit de permanentibus, sed de successiuis, vt dictum est in 2. conc. quæ non possunt esse ab æterno. Impossibile namque est successiuum esse æternum, & tamen terminari ad hunc diem præsentem, cum infinitum terminos non admittat.

Arg. contra 2. conc. Quando sunt aliqua duo eiusdem rationis, quod non repugnat vni, nec repugnat alteri: sed principium temporis, & terminus sunt eiusdem rationis, quia sunt duo instantia ipsius temporis: ergo si enti successiuo non repugnat negatio termini, ideft æternitas à parte post, neque repugnabit negatio principij, seu à parte ante.

Resp. conc. mai. & disting. min. Principium, & terminus sunt eiusdem rationis, fundamentaliter sumpta: conc. formaliter, nego. Primo enim modo sunt duo instantia eiusdem temporis, ac proindè si potest esse æternus à parte post, seù sine vltimò instanti, in quo fundatur negatio termini, sic potest esse sine instanti primo, in quo fundatur negatio principij, sed loco illius poni debet aliud instans;

Secundo autem modo non sunt eiusdem rationis. Etenim principium dicit rationem principij, quæ consistit in relatione ad non esse prioris; terminus verò importat rationem termini, qui consistit in relatione ad non esse posterioris, & hinc est, quòd potest ei competere secundum, & non primum.

Contra. Non repugnat tempori æternitas, seu duratio infinita à parte post, ergo nec ei repugnat à parte ante.

Resp. conc. ant. & neg. conf. & ratio est, quia licet vtrumque instans tàm principij, quàm termini temporis sint eiusdem rationis respectu temporis; non sunt tamen eiusdem rationis ex parte ante, & ex parte post, nam negatio principij ex parte ante deberet includere infinitum tempus in æternitate; & sic esset simul successiuum, & permanens. Negatio autem termini ex parte post, non oportet, quòd includat tempus infinitum; sed sufficit, quòd post quamlibet partem acceptam, sit semper alia, & alia in infinitum accipienda.

Arg. 2. Si Deus creasset hominem in æternitate, ille habuisset vitam: sed nequit haberi vita sine motu cordis; ergo in instanti æternitatis esset motus; ac proindè ens successiuum ab æterno.

Resp. Quod homo creatus ab æterno habuisset vitam, non per motum ipsius cordis; sed eo modo, quo æternitati competit: non enim Deus est alligatus temporis, & motus legibus.

Arg. 3. Si creatura successiua non potuisset creari ab æterno; ergo nec permanens: patet sequela, quia non minor implicantia apparet de vna, quàm de alia, licet ex diuerso capite; siquidem creatura permanens ab æterno producta non posset à D. omnipotentia anihillari, quia alioquin non includeret infinitam durationem.

Resp. Data hypothesi, quòd creatura esset ab æterno; non posset à Deo anihillari; hoc tamen non derogasset D. Omnipotentiæ, vt patet etiam in alijs suppositionibus.



Vtrum creatio sit actio, & mutatio.

NOt. 1. Quòd actio diuiditur ex Scoto in 1. d. 3. q. 6. & quol. 15. in actionem immanentem, & transeuntem. Prima dicitur operatio, seu qualitas perficiens ipsum agens, & est in prædicamento qualitatis, vt intellectio, & volitio, vocatur etiam à Scoto actio gramaticaliter; tendit enim, seu respicit aliquod, non tanquàm passum, sed vt terminum. Actio verò transiens est, quæ tendit in aliud, tanquàm in passum, & dicitur transiens, non quòd sit extra agens, sed quatenùs ponit terminum extra agens; vnde ab Arist. 7. meta. Actio de genere actionis sic deffinitur, est mutatio transmutantis ad transmutatum.

Not. 2. Quod mutatio potest accipi tripliciter: vno modo generaliter pro quacumque noua acquisitione cuiuscumque esse, siue essentialis, siue accidentalis, siue sit ibi aliquod potentiale receptiuum formæ, siue non, & hoc modo omnis productio cuiuscumque rei creatæ diceretur mutatio acquisitiua, &, per oppositum, omnis deperditio cuiuscumque esse diceretur mutatio deperditiua: 2. modo accipitur specialiter pro noua actuatione, seù informatione alicuius potentialis, siue illud potentiale præcesserit duratione, siue natura, & hoc modo in omni productione rei compositæ est mutatio: 3. modo sumitur propriè, & strictè pro noua informatione alicuius potentialis, quod duratione præcesserit talem actum, & hoc modo mutatio reperitur tantùm vbi manet idem subiectum, quod transmutatur de forma ad formam, & hoc modo difinitur à Philosopho mutari, cum dicit: mutari est aliter se haberi nunc, quàm priùs.

I. Concl. Creatio non est actio propriè dicta, neque immanens, neque transiens, sed dicitur transiens impropriè.

Prob. quoad 1. part. Actio immanens propriè habet perficere agens: sed Deus à nullo perficitur, ergo in Deo non est actio immanens, propriè dicta, ergo creatio non est actio. Prob. quoad 2. part. Actio ex Arist. est principium transmutandi aliud in quantum aliud, sed creatio non respicit vllum subiectum transmutandum, quia nullum

subiectum supponit; ergo &c. Prob. quoad 3. part. Creatio dicitur actio transiens impropriè. Illa dicitur actio transiens impropriè, quæ respicit terminum extra se nullo passiuo præsupposito, sed creatio est huiusmodi; ergo &c.

II. Concl. Creatio simpliciter est mutatio primo modo, dicto in secundo notabili. Creatio actiua compositorum est mutatio secundo modo dicta; secùs verò in simplicibus; patet quoad primam partem quia in creatione est noua acquisitio esse, ergo est mutatio primo modo dicta.

Prob. 2. pars. Si Deus crearet materiam, & in eodem instanti actuaretur per formam, materiam, non aliter se haberet nunc, quàm priùs positiuè, sed negatiuè, ergo creatio compositorum non est propriè, & tertio modo mutatio, sed solummodò secundò modo.

Prob. 3. pars. Simplicia, seu spiritualia non constant ex parte potentiali physica, & actuali, ergo creatio simplicium non est mutatio.

Arg. contra 1. conc. Creare formaliter est efficax velle Dei ex Scoto in 1. d. 37. vbi docet; omnipotentiam Dei esse eius voluntatem, ad cuius velle sequitur esse, sed velle Dei est formaliter immanens, & solùm virtute transiens, ergo, loquendo de creatione actiua, non est actio impropriè transiens.

Resp. Argumentum ipsum indicare responsionem, dum in ipso dicitur velle Dei esse immanens, & solùm virtute transiens, id enim, & nos dicimus, hoc est, huiusmodi Diuinam actionem dici transeuntem, quatenùs sua virtute ponit terminum ad extrà.

Arg. contra 2. conc. Non est transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione; sed in creatione est huiusmodi transitus, ergo &c.

Resp. disting. mai. non est transitus &c. sine aliqua mutatione ex superioribus, conc. non est transitus sine mutatione propriè dicta, nego; datur namquè in creatione mutatio acquisitiua, & deperditiua &c.

Contra. Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei dicit, quòd *Omnia creata sunt mutabilia ex eo, quod de nihilo sunt facta*, ergo est mutatio propriè dicta.

Resp. D. Aug. loqui de mutatione primo modo dicta, nam sicut omnia creata admittunt mutationem acquisitiuam,

tiuam, ita mutationem deperditiuam, & in hoc sensu verificatur, quòd omne creabile est mutabile.

QVÆSTIO X.

Vtrum creatio sit aliquod medium inter creantem, & creaturam.

NOt. Quòd creatio est duplex, nempe passiua, & actiua: prima se tenet ex parte creatoris, secunda ex parte creaturæ; & vtraque accipi potest dupliciter: vno modo materialiter, & sic velle Deum transiens sua virtute ad creandum dicitur creatio actiua, & creatura, quæ est terminus positus in esse, dicitur creatio passiua. Alio modo formaliter, & sic ex parte creaturæ est relatio realis transcendentalis dependentiæ ad Deum creantem, & ex parte Dei est solummodò respectus rationis, aut nullus, vt docet Scot. in 1.

I. Concl. Creatio actiua materialiter est ipsum velle Diuinum efficax, quo vult hoc, vel illud producere; formaliter verò est respectus rationis extrinsecùs adueniens.

Prob. Voluntas Diuina, seù velle Diuinum est principium perfectissimum ponendi in esse omne possibile, absque quocumque alio, ergo creatio actiua nil aliud importat, nisi velle Diuinum; patet ant. quia aliter non esset perfectissimum principium.

Præterea, potentia executiua in Deo, seu effectiua non distinguitur ex natura rei à potentia volitiua; distingui enim vnum ab altero necessariò includit imperfectionem, licet enim sit actiua respectu obiecti, est tamen passiua respectu voluntatis imperantis; vnde ponitur in hominibus, & forsitan in Angelis, tanquàm perfectio supplens indigentiam, & imperfectionem, ergo cum in Deo nulla imperfectio sit ponenda, dicendum est, suo velle efficaci, absque vllo alio medio, creare, & producere.

II. Concl. Creatio passiua materialiter est ipsa creatura producta, formaliter autem est relatio transcendentalis, quæ relatio distinguitur formaliter tantùm à creatura, cuius est relatio. Prima pars manifestè patet: de secunda plura dicta sunt in Logica, agendo de prædicamento Relationis.

nis. Prob. autem à Scoto in 2. d. 1. q. 4. §. ad quæstionem. Illud propriè dicitur inesse alicui, sine quo illud non potest esse sine contradictione, & est idem sibi realiter; sed relatio ad Deum propriè inest lapidi, & sine ea non potest esse lapis sine contradictione, ergo illa relatio est eadem realiter lapidi, ergo creatio passiua formaliter, seù relatio est eadem realiter creaturæ: sed quod est idem realiter alicui distinguitur formaliter ab illo, ergo &c.

Prob. mai. Sicut contradictio, dicta de aliquibus, est via concludendi distinctionem, ita impossibilitas recipiendi prædicationem contradictoriorum pertinentium ad esse, est via concludendi identitatem in esse, & hoc vbi non est dependentia essentialis, vt est inter totum, & partes, quæ requirunt distinctionem manifestam. Vnde formatur ratio. Impossibilitas quod A. sit sine B. aut est propter identitatem B. ad A. aut est propter prioritatem, aut simultatem in natura; ergo si B. non sit priùs naturaliter quàm A. nec necessariò simul natura, & A. non potest esse absque B. sequitur, quod A. sit idem B. Si autem sit aliud, & posterius eo, non est verisimile quòd non possit esse sine eo naturaliter absque contradictione; sed quod inest alicui propriè, sicut relatio inest fundamento, hoc est, quòd ita inest, quòd si esset aliud, esset posterius eo natura, tale nec est priùs natura, nec simul cum eo, cui inest, ergo si illud aliud non potest esse sine eo, absque contradictione, est idem realiter sibi, ergo relatio &c. min. primæ probationis est manifesta, quia, sicut impossibile est lapidem esse sine Deo, ita impossibile est lapidem esse sine dependentia eius ad Deum, nam si posset esse sine dependentia illa, posset esse sine termino illius dependentiæ.

Arg. contra 1. conc. probando, quòd vltra velle Diuinum aliquod aliud requiratur ad producendam creaturam ad extra. Si velle Diuinum se solo est producens ad extra, vel executio operis, hoc est positio creaturæ ad extra, fit per actum volitionis, vel per alium actum executiuum; non primum, quia actio immediatè productiua alicuius termini, & ipse terminus simul sunt, & non sunt in actu, quod dicit contradictionem; causa enim in actu, & esse actus in actu simul sunt, vt habet Arist. 2. phys. sed actus volendi in Deo est formaliter ab æterno, creatura vero in tem-

tempore: ergo creatura non producitur per actum volendi solummodo, ergo per aliquod aliud, vltra illud velle.

Resp. Quod ponitur in esse ad extra per actum volitionis efficacis; & quando subiungitur, quòd actio productiua alicuius termini &c. dicitur, quòd valet in actione naturali, sed non in actione libera, & maximè Diuina, in qua non oportet, quòd terminus ponatur in esse in eodem instanti, in quo est actio volitiua. In tali namquè actione duo instantia consideranda sunt; vnum, in quo est actio volitiua; aliud, pro quo ponitur actio; vnde in proposito Deus voluit ab æterno creaturam producere, & non pro æterno. Et si dicatur, quòd si productio non distinguitur à volitione, & Deus ab æterno voluit creaturam producere, ergo ab æterno producit.

Resp. Quod illa volitio ab ęterno non habet rationem productionis ab æterno, sed tantum in illo instanti, in quo Deus voluit ab æterno rem esse.

Dices iterum, si volitio fuit ab æterno, & non productio; ergo volitio separatur à productione, & per consequens distinguitur, ergo productio est aliquod medium inter velle Diuinum, & terminum.

Resp. Quòd actus Diuinæ voluntatis accipitur dupliciter, vno modo quantùm ad id, quod est in se formaliter, & sic ille idem actus, qui est volitio, est etiam productio; alio modo quantùm ad id, quod connotat per volitionem, & productionem, & sic est sibi distinctio, & separatio. Ille enim actus, vt est volitio, connotat obiectum in esse volito præcisè; ille autem idem actus, vt dicitur productio, connotat obiectum idem in esse reali, & in tempore.

QVÆSTIO XI.

Vtrum creatio, & conseruatio sint idem, vel quid diuersum.

NOt. ex Scoto, quol. 12. quòd in qualibet creatura est ad Deum respectus dependentiæ in esse, qui quidem respectus, vt paulò superius ostensum est, identificatur realiter cum ipsa creatura; estque huiusmodi respectus realis, & omninò vnus, quem concomitantur duo alij respectus,

pectus, non reales, seu non positiui, sed negatiui. Quando enim res à Deo producitur, immediatè post non esse; prœter respectum, pullulantem à re producta ad Deum producentem, qui est respectus realis; est alius respectus in eadem re producta, non ad Deum, sed ad non esse eiusdem creaturæ immediatè præcedens, & huiusmodi respectus non est realis, seu positiuus, sed rationis, quia terminus ad quem est negatiuus, & iste dicitur creatio. Quando autem eadem res habet esse à Deo, sed non immediatè post suum non esse, sed post suum esse præhabitum, & existens, in eadem re, est realis respectus dependentiæ ad Deum, vt ad causam efficientem, & est respectus non realis esse creaturæ ad esse præexistens, quia respectus eiusdem ad se ipsum non est realis, sed rationis, & iste dicitur conseruatio; Conseruatio igitur est datio esse post esse, ait Scot. in reportatis, in comparatione ad tempus, non tamen in comparatione ad æternitatem, cum in tali mensura non sit prius; & creatio est datio esse post non esse.

Concl. Creatio, & conseruatio, acceptę pro respectu reali dependentiæ ad Deum, sunt vnum, & idem; acceptæ verò pro formali, hoc est quatenùs creatio importat respectum ad non esse immediatè præcedens, & conseruatio importat respectum ad non esse creaturæ mediatè præcedens, non sunt idem, sed realiter distinguuntur, & vnum potest esse sine alio. Prob. conc. ex Scot. loc. cit. quoad 1. part. vnicus est respectus realis dependentiæ creaturæ ad Deum in esse, tam in creatione, quàm in conseruatione; ergo idem est creatio, & conseruatio: prob. ant. Esse creaturæ, tàm in creatione, quam in conseruatione, semper est idem re, & ratione, ac ipsa dependentia est idem; sed illud, quod est idem in re, & ratione ad aliud, quod est idem re, & ratione, non potest habere nisi vnicam dependentiam essentialem; ergo creaturæ ad Deum vnus est respectus realis; non enim idem potest esse ad aliud pluribus dependentijs essentialibus: mai. patet, quia permanens differt à successiuo, per hoc; quòd permanens habet semper idem esse, successiuum è contra; min. quoquè est manifesta; manifestum est enim, quòd velle Diuinum est semper idem, & sub eadem ratione terminat dependentiam esse creaturæ, tàm respectu creationis, quàm conserua-

seruationis, & ad hoc videtur facere auctoritas D. Aug. lib. 4. super Gen. 14. vbi ait, *Quòd mundus, nec ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen subtraxerit*: Et super Gen. pariter lib. 8. Aer inquit *Non est factus lucidus, sed semper fit lucidus*, ita continuè conseruatur res à Deo, & gratia in anima, sicut conseruatur lumen in aere à corpore luminoso: sic creatura semper fit à Deo, hoc est, dicit Scot. semper dependet à Deo. Prob. conc. quoad 2. part. Creatio posset esse sine conseruatione; potest enim Deus dare esse alicui, & statim facere desinere esse: ergo &c. patet ant. nam in rebus instantaneis. & habentibus esse tantùm in nunc, producuntur naturaliter, & non conseruantur; ergo potest aliquid creari, & non conseruari, & tunc non haberet esse nisi in vnico instanti.

Arg. contra 1. part. concl. Aliquid potest creari, & non conseruari; ergo aliquid potest habere respectum ad Deum, vt creantem tantùm, & non conseruantem, ergo non est idem respectus. Prob. ant. Res in instanti creationis non conseruatur, quia non indiget conseruatione, nisi in quantum potest non esse, & de se tendit ad non esse, sed dum creatur, non potest non esse, nec tendit ad non esse, cum tunc accipiat esse; ergo, quando res creatur, non dicit respectum ad Deum conseruantem, sed solùm creantem.

Resp. neg. ant. ad prob. disting. mai. Si per ly conseruari intelligatur quoad totum, quod importatur per conseruare, conc. mai. si per ly conseruare intelligatur, quòd res, quæ producitur in instanti, non habeat respectum ad Deum creantem, qui est respectus dependentiæ ad causam in essendo, & sic nego. Vndè, licèt primo modo, quod creatur in instanti non conseruatur quoad totum, significatum per ly conseruari; quia non dicit respectum ad esse præhabitum; tamen alius respectus, qui importatur per hoc, quod est creari, etiam est idem cum illo, qui importatur per hoc, quod est conseruari: nimirum dependentię in essendo ad Deum, dantem esse, vt dictum est supra.

Arg. 2. Via in terminum, & manutenentia in terminum non sunt idem realiter, sed creatio est via in terminum, & conseruatio est manutenentia in termino: ergo non sunt idem realiter, &, ad hoc confirmandum, adducitur ab Aureolo huiusmodi exemplum; leuare lapidem in aere, & te-

nere nōn sunt idem. Resp. disting. mai. In agente naturali conc. in agente supernaturali, nego; ad min. disting. si creatio accipiatur pro respectu ad non esse immediatè præcedens, & conseruatio ad esse præhabitum, conc. min. si autem sumatur pro respectu essentiali, quem creatura importat ad Deum causantem, nego.

Arg. 3. Quæ se mutuò excludunt; non sunt idem, sed creatio, & conseruatio sunt huiusmodi, ergo.

Resp. conc. mai. & disting. min. creatio, & conseruatio, acceptæ pro respectibus ad non esse immediatè præcedens, & ad esse præhabitum se excludunt, conc. pro respectu ad Deum, dantem esse, nego, quia in æternitate, cum non detur priùs, nec posterius, vnum non potest excludere successiuè aliud.

Arg. 4. Illud, quod quantum est de se non habet, quòd sit nisi per instans, non est idem realiter cum eo, quod de se habet, quòd sit plusquàm per instans; sed creatio de se est per instans; conseruatio verò in plus se habet, ergo &c.

Resp. Ioan. de Bassolis, dato, quòd res possit durare per vnicum instans, in eodem instanti creationis conseruaretur, prout conseruatio dicit dependentiam essentialem ad Deum.

Contra hanc responsionem arguit Lalemandet. Impossibile est, quòd in eodem instanti res supponat suum esse, & accipiat suum esse, ergo impossibile est, quòd in eodem instanti creetur, & conseruetur. Resp. conc. ant. & dist. cons. impossibile est &c. si creatio sumatur pro respectu ad non esse præcedens, vt alias dictum est, conc. si verò creatio, & conseruatio accipiantur pro respectu essentiali ad causam, dantem esse; nego. Cæterùm Bassol. intelligit de creatione, & conseruatione secundo modo, & Lalemandet intelligit de primo, & sic argumenta nihil probant.

Contra. Sequeretur creaturas esse in continuo fieri, sed hoc est falsum, quia factæ sunt, & non sunt in fieri, ergo &c. Resp. ex Scot. in Report. dist. mai. creaturas esse in continuo fieri, hoc est non infacto esse, nego, in fieri, hoc est non accipiendo nouum, & nouum esse, sed semper dependere à Deo, & sic conc. vt patet de lumine &c.

QVÆ-

Vtrum in creaturis sit vestigium Sanctissimæ Trinitatis.

NOt. 1. Quòd hæc tria sunt inter se diuersa, nempe imago, vestigium, & similitudo. Nam imago est similitudo, repræsentatiua totius; vestigium est similitudo, repræsentatiua partis totius; etsi respectu partis dici possit imago; vnde impræssio pedis in puluere diceretur imago pedis; non verò imago totius animalis, sed vestigium tantum. Similitudo, quæ est conuenientia aliquorum in aliquo, est quid commune ad imaginem, & vestigium; vnde valet dicere imago est similitudo, vestigium est similitudo, sed non è contra; duo enim oua sunt similia, sed vnum non est imago, nec vestigium alterius. Imago insuper, alia est immitationis, alia vniuocationis: hæc soli Dei Filio competit; illa creaturis; & dicitur imago immitationis, quia, stante repræsentatione totius, nisi adsit imitatio, seu expressio, quæ consistit, vel in essentiali dependentia causati ad causam, mensurati ad mensuram; vel in similitudine in natura, figura nequit reuerà dici imago &c. Quarè, in rigore loquendo, distinguuntur imago, & exemplar; quia imago est similitudo ad instar alterius producta; exemplar est id, ad cuius immitationem aliquid producitur; estò passim vnum vsurpetur pro alio. Similiter non sunt idem, esse imaginem, & esse ad imaginem. Siquidem, vt aduertit Alensis p. 2. q. 62. memb. 5. art. 3. Esse ad imaginem, vel similitudinem Dei, indicat imperfectam D. similitudinis participationem; esse autem imaginem Dei, est perfectissimè, & adæquatè implere rationem rei, cuius est imago, & eandem perfectè repræsentare, adeòut talis imago adæquetur Prototypo in omnibus, & per omnia; & sic solus Dei Filius est imago Dei Patris.

Not. 2. ex Scoto in 1. d. 3. q. 5. vbi præsentem quæstionem agit ex professo; quòd licet in Trinitate non sit propriè, nec totum, nec pars; tamen in intellectu nostro conceptus Trinitatis est quasi totalis, & Persona est quasi pars, & etiam appropriatum, in quantum appropriatum

est

est quasi pars, quia sumitur pro eo, cui appropriatur: immò, & ipsum appropriabile acceptum, vt non dum appropriatum, est quasi pars; quia ratio huius saluatur in vnica Persona, Quæ quidem ratio non ponit Trinitatem, sed concomitanter ponit personæ vnitatem, in qua sit. Vndè estò creatura communiter non repræsentet personam, vt personam, nec appropriatum, vt appropriatum; attamen repræsentat appropriabile, cuius ratio se habet ad modum partis, respectu Trinitatis in creaturis. Itaque illud dicitur vestigium, quod est repræsentatiuum huiusmodi appropriabilis: Quarè supposita fide, naturaliter, ideſt naturali discursu reperire, & cognoscere possumus in creaturis vestigium, & imaginem SS. Triadis, quia per fidei lumen dicimur ad vestigiatum, & immaginatum; at, seclusa reuelatione, agnoscimus quidem naturaliter vestigium; non pro formali, ideſt vt repræsentatiuum, sed tantùm pro materiali, quatenùs in creaturis agnoscimus vnitatem, veritatem, & bonitatem, quæ sunt appropriabilia Diuinis Personis; ac proinde cognoscimus vestigium pro materiali; non cognito vestigiato.

Not. 3. Quòd illa, quæ habent rationem vestigij in creaturis respectu Dei, sunt duplicis generis: quædam enim repræsentant secundùm rationem similitudinis, cuiusmodi sunt ista tria, nempe vnitas, veritas, & bonitas. Vnitas siquidem repræsentat vnitatem primi principij; veritas veritatem, appropriatam Filio, & bonitas bonitatem, appropriatam Spiritui S. Alia verò repræsentant, secundùm rationem proportionabilis tantùm, iuxta assignationem à D. Aug. positam; & relatam à Nicol. de Nise in hac quæst. & consistit in his tribus; quæ sunt modus, species, & ordo: quæ consonant illis tribus, quæ habentur Sapient cap. 11. *Deus omnia fecit in numero pondere, & mensura*; Nam modus sumitur pro mensura rei, & pro limitatione; & hæc repræsentant in Deo illimitationem principij actiui, non per rationem similitudinis, quia ratio modi, & mensuræ non reperitur in Deo; sed secundùm rationem proportionabilitatis; quia limitationi creaturæ proportionabiliter correspondet illimitatio primæ causæ; numerus autem sumitur pro specie, & pondus pro ordine.

Not. 4. Quòd in hac quæst. sunt tres opiniones; Prima est D.

est D. Thomæ, quæ consistit in duobus dictis; primum est descriptio vestigij, quæ est huiusmodi. Vestigium in corporibus est impressio, derelicta ex transitu alicuius super vacuum (supple in potentia plenum, vel supra plenum ipsum) imperfectè repræsentans, idest illud, cuius est vestigium. Secundum dictum est, quòd vestigium repræsentat aliquid tantùm sub ratione speciei; imago verò sub ratione indiuidui.

Verùm differentia, allata à D. Thoma inter vestigium, & imaginem, improbatur à Scoto; quia nulla creatura repræsentat Trinitatem, seu Deum, nisi secundùm conceptus communes, & non secundùm conceptum specialem, idest speciei specialissimæ, vt latè ostendit Doct. in 1. d. 3. q. 1. & sic non est differentia creaturæ ad creaturam, puta lapidis ad Animam rationalem in repræsentando Deum in ratione communi, & non communi; cum omnis creatura, quæcunque illa sit, repræsentet Deum, tantùm in conceptu communi. Secunda est Henrici quol. 9. p. 1. art. 2. dicentis, quòd ratio vestigij consistit in triplici respectu creaturæ ad Deum; nempe, vt ad causam effectiuam, vt ad causam exemplarem, & vt ad causam finalem. Primus respectus, inquit, repræsentat potentiam productiuam, quæ appropriatur Patri. 2. Artem exemplarem, quæ appropriatur Filio, 3. Diuinam bonitatem, quæ habet rationem finientis, respectu creaturæ. At hoc non videtur conuenienter dictum, inquit Scot. Quia licet vestigium de sui ratione dicat respectum ad id, cuius est; tamen præcisè non consistit in respectu, sed in aliquo absoluto, in quo fundatur; sicut similitudo, non solum consistit in respectu, quem formaliter dicit, sed fundamentaliter in aliquo absoluto, ad quod sequitur respectus. 3. est Scoti, ad cuius mentem sit,

I. Concl. Vestigium Trinitatis in creatura non dicitur respectu proprij alicuius Personæ, aut respectu appropriati, vt appropriatum, sed respectu appropriabilis tantum, Est Scoti in 1. d. 3. q. 5. Prima pars prob. Etenim per creaturam nullo modo inuestigari potest proprium alicuius Personæ D. ergo vestigium non dicitur respectu proprij alicuius Personæ D.

Prob. 2. pars. Siquidem cognosci nequit appropriatum,

vt

vt appropriatum, nisi priùs cognoscatur proprium, cui appropriatur, sed vi naturali id cognosci non potest; ergo &c. Prob. 3. pars. In creaturis reperiuntur aliqua repræsentantia ea, quæ sunt appropriabilia D. Personis; sed huiusmodi appropriabilia habent modum partis, respectu totius Trinitatis, ergo eorum repræsentantia habent rationem vestigij: mai. & minor patent ex dictis; quia in omni creatura est vnitas, veritas, & bonitas, quæ sunt appropriabilia D. Personis.

II. Concl. In omni creatura est vestigium Trinitatis. Hæc est communis omnibus Theologis; & consonat Sanctis Patribus, maximè D. Aug. qui lib. 18. cap. 7. de Trinit. ait. *Oportet, vt Creatorem per ea; quæ facta sunt, intellectu conspicientes, Trinitatem intelligamus, cuius in creaturis, eo modo, quo dignum est, apparet vestigium*, ergo &c.

Prob. ratione. In omni creatura reperiuntur aliqua tria repræsentantia aliquorum, quæ sunt appropriabilia tribus Personis Diuinis; vt constat ex dictis; ergo in omni creatura est vestigium SS. Triadis.

Arg. 1. cont. 2. conc. Vestigium potest naturaliter inuestigari, sed D. Trinitas nequit naturaliter cognosci per creaturas, ergo in creaturis non est vestigium D. Trinitatis. Resp. disting. mai. vestigium pro materiali, conc. pro formali neg. mai. & sic conceditur minor &c.

Contra. Per vestigium potest inuestigari id, cuius est imago, quia est similitudo eius; ergo si vestigium Trinitatis reperitur in creatura, potest naturaliter cognosci Trinitas; quod est falsum. Resp. data maiori, disting. conf. seclusa fide Diuina; neg. conf. lumine fidei conc. conf. Siquidem absque lumine fidei noscitur vestigium pro materiali tantum; ac proinde, absque ratione repræsentatiua, cuius est vestigium.

Arg. ex Scoto; qui in quæst. cit. docet; per vestigium distinctè inuestigari id, cuius est imago; ergo si datur vestigium in creatura, per ipsam possumus distinctè agnoscere D. Trinitatem.

Resp. Scot. loqui de vestigio pro formali; & vt tale cognitum, non autem de vestigio pro materiali. Cæterùm quod attinet ad distinctè cognoscere Trinitatem; solum voluit Scot. significare, per lumen fidei cognito vestigio,

posse

posse cognosci D. Trinitatem distinctè; quatenus ly distinctè se tenet ex parte ipsius partis repræsentatę per vestigium; non autem, quòd possit distinctè; ideſt secundùm propria, vel Personam D. vel Trinitatem agnoscere.

Arg. 3. Vestigium est medium cognoscendi rem, cuius est, sed in creaturis irrationabilibus nihil est, quod possit nobis esse medium cognoscendi D. Trinitatem; ergo in ipsis non est vestigium Trinitatis: min. pat. Quia in irrationalibus nihil est, quod mediet inter Deum, & nos.

Resp. transeat maior, & disting. nihil est, quod possit, tanquam medium cognitum ducere in cognitionem D Personarum, neg. tanquàm medium essentiale: conc. Vnde inter Deum, & nos est medium accidentale tantùm, & non essentiale.

Arg. vltimò. In creatura intellectuali est imago Trinitatis, ergo in illa non est vestigium. conc. pat. quia imago, & vestigium habent diuersas rationes repræsentandi.

Resp. conc. ant. & neg. conſ. ad probat. neg. pariter conſ. & ratio est, quia in creatura intellectuali secundùm aliud, & aliud dicitur esse vestigium, & imago; dicitur namque vestigium quatenus est essentia creata; dicitur vero imago quatenus est vna essentia, habens plures potentias, & operationes; inter quas reperitur etiam ordo originis, vnde ascendimus ad D. processiones contemplandas. Verùm pro ampliori doctrina ad hanc rem declarandam tria sunt aduertenda in Anima rationali, vt aliqualiter percipere possimus eam, veluti imaginem D. Trinitatis. Primum. Quod Anima est incorporea, & immortalis, ac æterna. Secundum. Quod est prædita intellectu, memoria, & voluntate; ac proinde libero arbitrio. Ex quo fit, vt sit capax dominij, & cunctis animalibus sua potestate præsit, & dominetur; & insuper sit capax Sapientiæ, Sanctitatis, gratiæ, & cæterorum donorum supernaturalium; immò, & ipsius Dei per visionem beatificam, ac fruitionem. Quibus dotibus, & excellentijs repræsentat, & exprimit proprietates Dei, nempe spiritualitatem, immortalitatem, sapientiam &c. Etsi confusè, & imperfectè; quia solus Filius Diuinus est imago vndequaque perfecta Dei Patris. Tertium, quòd Anima non solum respectu Deitatis est imago; sed iuxta Patres, & Theologos est

imago, repræſentatiua etiam Trinitatis, & proceſſiones D. Perſonarum aliqualiter adumbratur Proceſſiones quidem. Etenim ſicut Pater per memoriam fæcundam producit Filium, ſeu Verbum, & ſimul cum Verbo ſpirat Amorem, ideſt Spiritum S. ita homo per memoriam fæcundam intelligendo ſe, producit in mente Verbum expræſſiuum ſui, & ſibi ſimile; & deinde in voluntate producit amorem ſui. Numerum quoque exprimit, quatenùs in eadem Anima ſunt tres potentiæ, ſicut in D. Eſſentia ſunt tres Perſonæ. Itaque imago Trinitatis, quatenus in Anima exprimitur, conſiſtit in tribus Animę potentijs, prout ſunt ſub actibus ſuis, ideſt in potentijs, & actibus earum ſimul ita Scotus; ex quo igitur D. Eſſentiæ vnitatem repræſentant tres potentiæ vnius, & eiuſdem Animæ, & actus earum reipſa diſtincti, diſtinctionem perſonarum, & pariter proceſſionem, eſt in Anima D. Trinitatis imago. Hæc volui hic de imagine compediosè tradere; ne cogar, aliam quæſtionem inſtituere, quomodò homo ſit D. Trinitatis imago, de qua agi ſolet, vbi de hominis formatione ad imaginem, & ſimilitudinem Dei tractatur: eò vel maximè, quòd occaſione veſtigij non pauca de imagine notata ſunt.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum naturali ratione probari poſsit, creationem eſſe poſsibilem.

NOt. 1. Quòd licet ratione naturali demonſtrari non poſſit, nequè à priori; nequè à poſteriori creatio Mundi in tempore facta; ideòque ſola fide credimus mundum incæpiſſe, vt docent Alenſ. D. Thomas, & D. Bonau. Scot. & communis ſententia Theologorum; nihilominus oſtendi poteſt per rationes naturales phobabilitas creationis, ad cuius cognitionem videtur perueniſſe Auicenna, dum in ſua Philoſophia dicit. Si fuerit eius eſſe poſt non eſſe abſolutè, tunc aduentus eius à cauſa erit creatio, & hæc eſt dignior omnibus modis dandi eſſe. Eandem ſententiam adumbrauit etiam Ariſt. qui, quàmuis poſuerit materiam ingenitam, iuxta communem Phiſophorum ſenſum; immò, & Cœlum; attamen poſuit ſubſtantias ſeparatas

ratas Cęlorum motrices, quæ quidem ſubſtantiæ non dependent in eſſe à materia, & per conſequens indicauit, eſſe creatas, ſeù productas independenter à ſubiecto.

Not. 2. Quòd vt oſtenſum eſt in 1. p. Theol. ex Scoto, non poteſt probari à priori, dari vnum Deum, ſed bene à poſteriori. Vnde per aliquam perfectionem Dei à poſteriori probatam, probari poteſt alia eius perfectio, & per illam aliam vſquedum perueniatur ad perfectam Dei notitiam. Suppoſito ergo quòd probetur à poſteriori, Deum eſſe immobilem, poteſt etiam oſtendi, illum eſſe immortalem, & ex eius immortalitate ſpiritualitas, & ex ſpiritualitate Deum eſſe intellectiuum, volitiuum &c. Inſuper poteſt etiam probari exiſtentia Dei pluribus rationibus euidentibus; quarum aliquæ allatæ fuerunt in prima parte, quæ quidem rationes, eſtò non ſint à priori, ſed à poſteriori, tamen euidenter oſtendunt Dei exiſtentiam.

Concl. Poteſt naturali ratione cognoſci à poſteriori, non ſolum poſſibilitas; ſed etiam exiſtentia creationis. Hæc eſt conformis doctrinæ Scot. vt videre eſt in 1. d. 2. q. 2. vbi probat, dari vnum primum ens infinitum, independens &c. à quo omnia recipiunt eſſe; & in eſſe conſeruantur, eſt tamen contra Vulpem, putantem, poſſe à priori demonſtrari poſſibilitatem creationis; & adeò firmiter hoc aſſerit, vt non erubeſcat dicere Baſſol. Scoti diſcipulum, qui conſonat Scoto; delirare: in quo nimis excedit; ac proinde Vulpes delirare videtur.

Prob. conc. quoad 1. part. Poſito; quòd poſſit naturaliter probari dari Deum, poteſt etiam naturaliter cognoſci illi conuenire omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, alioquin non eſſet Deus; ſed poſſe aliquid creare eſt euidenter perfectio ſimpliciter ſimplex, quia eſt melior ipſa, quàm non ipſa, ergo poteſt ratione naturali probari, Deo conuenire hanc perfectionem, ac proinde creationem eſſe poſſibilem.

Prob. 2. Poteſt euidenter oſtendi omnia eſſe à Deo, quæ non ſunt Deus; nam Deus eſt primum efficiens à quo omnia alioquin eſſent plura prima efficientia, quod æquè implicat, ac Deorum pluralitas; ſed Angeli, Animæ, materia prima non potuerunt à Deo fieri per eductionem ex potentia materiali, ex qua præexiſtente ſpiritualia non componun-

ponuntur; nequè materia ex alia, quia sic daretur processus in infinitum: ergo necessariò fuerunt producta à Deo immediatè per creationem, seu per actionem independentem à subiecto, ergo cum ex cognitione effectus manuducamur ad cognitionem causæ, ex naturali cognitione rerum creatarum, & creabilium possumus ascendere ad naturalem cognitionem non solum creatoris, sed etiam creationis possibilis, & actualis.

Arg. 1. contra conc. Quod est naturaliter cognoscibile, agnoscitur per principia phylosophica: sed hæc potius probant impossibilitatem creationis, iuxta illud axioma: ex nihilo nihil: ergo &c.

Confirmatur. Nam repugnat in terminis, quòd idem eadem via agnoscatur simul, vt possibile, & impossibile, ergo cum via naturalis ducat nos ad eius impossibilitatem, non potest simul ducere ad possibilitatem.

Resp. neg min. Vnde illud axioma intelligendum est de rebus generalibus, & corruptibilibus, quæ de facto, & regulariter contingunt, itaut sensus sit, nihil corruptibile generatur de facto ex nihilo. Ad confirmationem dicitur non repugnare à diuersis intellectibus idem agnosci, vt posibile, & impossibile, sed benè ab eodem intellectu eodem modo se habente in cognitione terminorum, & principiorum.

Arg. 2. Omne ens, vel est accidens, vel substantia. Primum, cum naturaliter existere nequeat extra subiectum, non potest cognosci, vt possibile extra subiectum. Substantia verò vel est materialis, & cum hæc dicat materiam non potest vt factibilis cognosci, nisi ex materia; vel spiritualis, & de hac vix potest haberi notitia, quòd sit simpliciter ab alio producibilis, ne dum creabilis, ergo non potest naturali ratione probari possibilitas creationis.

Resp. neg. mai. saltem quoad substantias, tàm materiales, quàm spirituales; quia eas immediatè à Deo produci probari potest.

Arg. Repugnat in terminis cognosci, vt possibile, quod communis Phylosophorum conceptio agnouit vt impossibile; ergo &c. Resp. Repugnaret in terminis, si vera esset, conceptio Phylosophorum, sed quia est falsa; errauerunt enim in principijs; ideoquè non repugnat, immò ne-

necesse est aliter phylosophari, ne in eosdem errores labamur; & vt Diuinæ fidei principijs, quæ sunt infallibilia, assentiamur.

DISPVTATIO II.

De Angelorum natura, & conditione.

QVÆSTIO I.

Vtrum Angeli sint omninò spirituales, & incorporei.

NOt. 1. Quòd cum Angeli nomen, secundùm Ethymon, non sit naturæ, sed officij, vt tradit D. Greg., ideoque triplicem habeat attributionem, & significationem; in triplici significatione à Scriptura, & à SS. Patribus vsurpatur. Primò sumitur pro quouis indiuiduo, à Deo deputato, seù persona ad aliquod munus obeundum, & hoc sensu Sacerdos Domini appellatur Angelus, vt patet ex illo Malachiæ 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, quoniam Angelus Domini*. 2. sumitur pro solo, & quouis indiuiduo substantiali, purè spirituali, intellectuali, completo, & hoc sensu, tàm boni, quàm mali spiritus dicuntur Angeli. 3. sumitur solummodò pro spiritibus æterna gloria fruentibus. Quæstio igitur procedit de Angelis, tàm secundo modo, quam tertiò modo sumptis.

Not. 2. Quod de fide est, dari Angelos, vt clarè patet, tùm ex veteri, tùm ex nouo Testamento, quàm veritatem catholicam tradunt, & firmant pluribus rationibus SS. Patres, estò non sint à priori, sed solum à posteriori, quæ videri possunt apud modernos Doctores: patet etiam eadem veritas ex Concilijs, & signanter ex Concilio Lateran. 3. c. firmiter, vbi inter cætera dicitur. *Deus est creator omnium visibilium, & inuisibilium, spiritualium, & corporalium, qui condidit vtramquè naturam, spiritualem, corpoream, Angelicam videlicèt, & mundanam*: ita contra Saducæos, & Atheistas.

Not. 3. Quòd nomen spiritus est nomen æquiuocum, ac proindè variè, & à Phylosophis, & à Theologis solet vsurpari. Primò prò tenuissima, & subtilissima re, siuè sit substantia, siuè accidens, sic rerum imagines ab obiectis ad poten-

potentias emissæ vocantur species intentionales; sic pariter tenuissimæ ac puriores sanguinis partes, vocantur vel spiritus animales, vel vitales. 2. accipitur pro vento, aere, exhalatione, hinc spirare, & respirare est idem, ac aerem trahere, & ventus nimio impetu irruens dicitur spiritus procellarum. 3. pro Anima, siuè rationali, siue sensitiua, sic Eccles. c. 3. *Quis nouit si spiritus Filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum.* 4. pro natura jntellectuali omnis materię corporeitatem excludente, & sic Angeli, & Animæ rationales dicuntur spiritus.

Concl. Angeli sunt omninò incorporei, & spirituales. Hæc euidenter colligitur ex S. Scrip. quæ Angelos, siuè bonos, siuè malos appellat spiritus; quod propriè intelligi debet. Nam spiritus propriè sonat quod incorporeum, etiam phrasi S. Scrip.

Prob. etiam auctoritate Concil. Lateran. declarantis, Deum ab initio condidisse naturam, seù substantiam vtramquè spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicèt, & mundanam. Quo nil clarius dici potuisset, vt aduertit Smising. in M. S. de Angelis, vbi contendit conclusionem esse de fide; quàmuis alij plures censeant, verba relata, non esse definitiuè dicta à Concilio. Herincx adhæret sententię Smising. adeout miretur adhuc repertos fuisse, qui post Concil. ausi fuerint, oppositum docere, vt Eugubinus, & Caietanus.

Prob. ratione theologica ab Alensi, q. 20. memb. 1. Deus potuit producere creaturam omninò incorpoream, sed talis creaturæ productio fuit conueniens ad vniuersi complementum; ergo Deus illam condidit: sed illa dicitur Angelus, ergo Deus eam produxit; mai. patet Deus namque produxit Animam rationalem, incorpoream, intellectualem, tanquàm substantiam incompletam, vt esset forma corporis, ergo potuit etiam producere substantiam incorpoream, intellectualem completam absque ordine ad corpus: min. etiam constat. Quia ad vniuersi complementum spectat, vt in illo sint omnium rerum gradus, ergo, sicut in illo est gradus substantiæ corporeæ completæ, & incompletæ, sic pariter debuit esse gradus, non solum substantiæ incorporeæ incompletæ, qualis est Anima rationalis, sed etiam completæ, nempè Angelus.

Arg.

Arg. contra conc. auctoritate S. Scrip. quæ in psal. 103. habet. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*, siue (vt vertit Apost. ad Hebræos 1.) flammam ignis, ergo Angeli sunt substantiæ aereæ, vel igneæ.

Resp. Angelos ibi dici spiritus propter naturam incorpoream, vt plures veteres exponunt; dicuntur autem ignis; siuè ob ignem spiritalem ardentis charitatis, vt Aug. siuè ob vim purgandi animos, instar ignis, vt Nazian; siuè ob efficaciam in puniendis Dei inimicis, vt alij exponunt.

Arg. 2. In Synodo 7. (quæ est Nicæna 11.) act. 5. recitatus fuit sermo cuiusdam Ioannis Episcopi Thessalonicensis, in quo asseritur, nil nisi corporeum posse pingi, sanctosquè Angelos, vt potè corporeos posse pingi; immò additur Ecclesiam catholicam sic sentire, quibus lectis, vt refert noster Herincx. Tharasius Patriarcha dixit: *Ostendit autem Pater, quòd, & Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, & vt homines apparuerunt. Deindè S. Synodus dixit. Etiam Domine.*

Resp. 1. Quod in Synodo 7. refertur id, quod adducitur in argumento, sed non approbatur.

Resp. 2. Synodum approbasse conclusionem scilicèt Angelos posse pingi, dissimulata probatione, vt multi respondent. Non enim omnia, quæ in Concilijs, aut epistolis decretalibus Pontificum adducuntur ad probandum, eo ipso definiuntur, cum aliquando adducantur etiam probabilia, ita Herincx.

Arg. 3. Quam plures veteres Patres attribuunt Angelis corpora, vt Iustin. Tertul. Origines, Cyprian. Basilius, nec non D. August. pluribus in locis, & D. Greg. & Athanasius, qui duo vltimi describunt Angelum esse animal rationale. Resp. Veteres Patres fuisse imbutos Phylosophia Platonica, ideòque non est mirum, si ita senserint, & maximè, quia res ista non dum ab ecclesia erat satis declarata, prout declarari cæpit in Concil. Lateran. accedente consensu omnium Doctorum. Cæterùm possent multi ex ipsis ad bonum sensum trahi, & explicari; videlicèt loquutos fuisse de corporibus, adhærentibus, non verò intrinsecis: vel pro corpore intelligere substantiam veram, & solidam, quo sensu D. Aug. vocat animam rationalem corpus; & indicat Apost. ad Colóss. 2. *In Christo inhabitat*

omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, ideſt, verè, & ſubſtantialiter;& huiuſmodi explicationes conſonant eorum doctrinæ, cum alibi doceant Angelos eſſe corporis expertes.

QVÆSTIO II.

Vtrum Angeli ſint compoſiti ex materia, & forma?

NOt. 1. Quòd compoſitio eſt quadruplex. Prima eſt compoſitio ex partibus quantitatiuis, cuiuſmodi eſt compoſitio corporis humani ex diuerſis membris. Secunda eſt compoſitio ex partibus eſſentialibus phyſicis. Tertia eſt compoſitio methaphyſica, hoc eſt, ex potentia, & actu, ſeù ex genere, & differentia. Quarta eſt compoſitio ex ſubiecto, & accidente.

Not. 2. Quòd materia poteſt accipi tripliciter. Vno modo materia ſumitur pro hæcceitate, ſeù differentia indiuiduali, vt Petreitas, Socreitas, & in hoc ſenſu debet intelligi, quando dicit Ariſt. lib. 1. Cœli,& mundi. Dum dico Cœlum, dico formam, dum dico hoc Cœlum, dico materiam cum forma; & alibi docet, quòd ea ſunt vnum numero, quorum materia eſt vna. Secundo modo materia ſumitur pro quantitate extenſa; vnde dici ſolet, hic homo eſt valdè materialis. Tertiò ſumitur materia pro altera parte compoſiti phyſici. Ex oppoſito triplex eſt immaterialitas. Prima opponitur differentiæ indiuiduali,& ſic quidditates abſtractæ, vt equinitas, & humanitas dicuntur immateriales, quia non habent differentiam indiuidualem. Secunda opponitur quantitati extenſæ, & ſic Angeli ſunt immateriales. Tertia opponitur materię phyſicæ, & ſic forma phyſica, vt contradiſtinguitur à materia dicitur immaterialis.

Not. 3. Quòd in hac quæſtione ſunt duæ opiniones. Prima eſt D. Bonau. in 2. d. 3. art. 1. q. 2. Alenſ. 1. part. q. 29. memb. 2. Richard. in 2. d. 3. art. 1. q. 2. Aureoli, & quorundam aliorum dicentium Angelos eſſe compoſitos ex materia, & forma, non tamen conueniunt in explicatione huius ſententiæ. Nonnulli adſcribunt Angelis materiam ſpiritualem, ſiuè diuerſæ rationis à noſtra. Alij verò ma-

rò materiam eiuſdem rationis cum noſtra, incapacem tamen proprietatem corporis ratione formæ angelicæ; vt D. Bonau. vbi ſupra. Verum, obſeruant Franciſcus Herera, Fraſsen, & Herinex D. Bonau. non diſſenſiſſe à communi opinione, ſed à modo loquendi; admittendo in Angelis materiam, & formam, hoc eſt ex potentia, & actu; ſicut, & omnis creatura, quæcumque per ſe exiſtit, componitur neceſsario ex actu, & potentia, vel dicuntur compoſiti ex materia, & forma, quatenus Angeli ſunt mutabiles ſecundùm perfectiones accidentales, vt infra dicetur. 2. opinio aſſerit Angelos non componi ex materia, & forma, & hæc eſt communis ſententia, recepta ab omnibus modernis Doctoribus; ideò ſit ad mentem Scoti.

I. Concl. Angeli non ſunt compoſiti ex materia, & forma phyſica, ſed materia, & forma methaphyſica dumtaxat.

Prob. conc. quoad 1. part. Omne compoſitum ex materia, & forma phyſica eſt materiale corporeum, & corruptibile; ſed Angeli, vt oſtenſum eſt in prima quæſtione, ſunt incorporei immateriales, ac proindè incorruptibiles; ergo non ſunt compoſiti ex materia, & forma.

Prob. 2. pars. Quod ponitur in prædicamento ſubſtantiæ componitur ex genere, & differentia, ſed Angeli ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ, ergo componuntur ex genere, & differentia, quorum vnum appellatur materia, & alterum forma methaphyſica.

II. Concl. In Angelis admittenda eſt compoſitio ex ſubiecto, & accidente: hæc pariter eſt communis, & de ſe patet, quia in Angelis ſunt plura accidentia, quæ poſſunt adeſse, & abeſse abſque ſubiecti corruptione; poteſt enim Angelus tranſire de amore ad odium, de gaudio ad meſtitiam, de vna intellectione, ad aliam &c. ſed hæc omnia ſunt accidentia ſpiritualia, quæ ſunt in Angelo, etiam tanquàm in ſubiecto; ergo in Angelis eſt admittenda compoſitio ex ſubiecto, & accidente.

Arg. 1. contra 1. part. auctoritate SS. Patrum. D. Aug. in lib. de mirabilibus S. Scrip. c. 1. ait. *Omnipotens Deus ex informi materia, quam ipſe priùs de nihilo condidit, cunctarum rerum, hoc eſt ſenſibilium, & inſenſibilium, intellectualium & intellectu carentium, ſpecies multiformes diuiſit* D. Damaſc. lib. de fide c. 3. *Licèt quadam creatura, reſpectu noſtri, materia vacare dicatur,*

cantur, tamen quicquid est aliud à Deo crassum esse, & materia constare; Boetius lib. de vnitate, & vno ait: *Angelum esse vnum coniunctione materiæ, & formæ*: ergo Sancti Patres asserunt Angelos esse compositos ex materia, & forma.

Resp. ad auctoritates adductas, & adducendas hac vnica distinctione præmissa; distinctio est, quòd materia potest accipi dupliciter, vno modo pro ente finito, & limitato, carente aliqua perfectione, & in potentia ad illam: alio modo pro altera parte compositi, itaquè expendendo Patres, dicimus eos loquutos esse de materia, primo modo accepta, quando dixerunt Angelos esse compositos ex materia, non verò de materia, secundo modo accepta. Vel, dicimus D. August. & alios Patres loquutos fuisse ad mentem Platonicorum, quod D. Aug. in lib. de Confess. postea non approbat.

Arg. ratione: nulla substantia creata potest secundùm idem agere, & pati, mouere, & moueri, sed Angelus agit, & patitur, mouet, & mouetur, ergo non secundùm idem, sed agit secundùm formam, & patitur secundùm materiam; ergo in Angelis est materia.

Resp. dist. mai. nulla substantia creata, secundùm eamdem rationem formalem potest agere, & pati, conc. mai. secundùm diuersam rationem formalem, nego mai. vel.

Resp. disting. mai. actione vniuoca nequit substantia secundùm idem agere, & pati: conc. mai. actione equiuoca; neg. mai. Potest siquidem idem agens agere in se ipso actione equiuoca aliquid producendo, & illud in se recipiendo; quo modo intellectus angelicus producit intellectionem, eamque in se recipit.

Arg 2. Nullà substantia est pura potentia, quia esset nihil; neque est purus actus, quia esset Deus; ergo est composita ex actu, & potentia; quæ quidem potentia erit materia. Resp. conc. ant. quia illud dicitur actus purus, qui nulla caret perfectione, & disting. conf. Est actus potentialis, quatenus caret aliqua perfectione, conc. conf. ita vt constet ex materia, & forma physica; neg. conf.

Arg. 3. In formis dantur gradus vsquè ad formam spiritualem; ergo etiam in materijs admittendi sunt huiusmodi gradus vsque ad materiam spiritualem; ex qua constituantur Angeli.

Resp. conc. ant. & neg. conſ. Diſpar enim eſt ratio de formis, & de materijs, quia materia, propriè accepta, eſt imperfecta à toto genere; & ideo non ſunt in ea admittendi gradus ſpirituales, quod non contingit in forma; cum ſecundùm ſui naturam à toto genere dicat perfectionem. Si verò accipiatur materia pro ſubſtantia ſpirituali, componibili ex genere, & differentia, atque perfectibili; fatemur, & nos, huiuſmodi materiam, etiam in Angelis ponendam eſse; vt ex dictis liquet.

Quæres. An Angeli ſint immortales, non ſolum de facto, quia videlicet ſemper viuent iuxta fidem, ſed etiam natura ſua. Reſp. affirmatiuè ex communi Thelogorum ſententia. Prob. Nam ratione phyſicæ ſimplicitatis; neque ex ſe petunt aliquando deſinere, vt corporea, includentia principia corruptionis, & deſtructionis: neque poſſunt à cauſis ſecundis pati, ſeu recipere aliquid, ratione cuius connaturaliter deberent à Deo deſtrui, quia non datur agens naturale, quod poſſit introducere in ſubſtantiam Angeli qualitatem diſpoſitiuam ad deſtructionem; vt in materiali ſubſtantia contingit; ſed res ſemel producta exigit connaturaliter conſeruari à Deo quouſque, nec intrinſeca, nec extrinſeca rei diſpoſitio petat deſtrui; ergo cum Angeli ita ſe habeant, ex natura ſua petunt, & exigunt eſse immortales; & vt tales à Deo conſeruari.

Nec refert, quòd Angeli habeant non repugnantiam, vt non deſtruantur, quia cum repugnantia ſtat, & conſiſtit, quòd deſtructio non ſit ipſis connaturalis. Sicut namque ignis, applicatus combuſtibili, habet reſpectu Dei non repugnantiam ad non calefaciendum; & tamen non calefacere, non eſt ei naturale.

Confirmatur ex Concilio Lateran. ſub Leone X. ſeſs. 8. vbi declaratur. *Natura Animæ rationalis eſſe immortalis*; ergò à fortiori, Angeli ſunt ſimpliciter, & ſui natura immortales. Non tamen ſunt natura ſua immortales hoc ſenſu, nimirum quaſi natura illorum non poſſit deſtrui, & annihillari etiam à Deo, adeout immortalitas eis competat ex ſe, & ex naturæ neceſſitate, vt delirando dicebant antiqui Philoſophi de intelligentijs; cum de fide habeamus, quamlibet creaturam in eſse, & conſeruari à Deo eſsentialiter dependere. Itaque Angeli ſunt immortales philoſophicè,

theo-

theologicè autem mortales; & si sint simpliciter incorruptibiles; quatenus corrumpi nequeunt per dissolutionem partium, aut per destructionem formæ, cum careant partibus, realiter distinctis, & corruptionis principijs.

QVÆSTIO III.

Vtrum Angelus, & Anima differant specie.

NOt. Quòd conueniunt Doctores, Angelum differre ab Anima specificè; & Animam ab Angelo, tanquam partem speciei, estò non tanquàm speciem completam; discordant tamen in assignanda huius specificæ differentiæ ratione. D. Thom. cum suis, cui consentit Henricus quol. 17. q. 8. putat rationem huius differentiæ attendendam esse penes diuersum modum intelligendi Angeli, & Animæ; rationem dat. Quia formæ intellectuales, quæ sic se habent, quòd vna in intelligendo discurrit, & altera non; non sunt eiusdem rationis; sed Anima in intelligendo discurrit, Angelus nequaquàm; ergo &c.

Confirmatur à simili. Nam Anima sensitiua in Brutis non videtur distingui, nisi penes diuersos gradus sentiendi, & tamen ibi est differentia specifica, ergo pariter differentia specifica inter Angelum, & Animam colligi debet à diuersis intelligendi modis, & gradibus.

Verùm hæc ratio non placet Scoto. Tum quia non est a priori; nam diuersi gradus, & modi intelligendi in Anima, & in Angelis sunt quid posterius ipsorum essentia. Tum quia, nec à posteriori concludit; quia, vt ait Scot. si discurrere, & non discurrere arguunt diuersas naturas intellectuales; cum Anima discurrat circa conclusiones, quas infert ex principijs, per se notis, & non discurrat circa eadem principia, sequeretur, Animam esse à se ipsa specie distinctam; sed hoc est falsum: ergo &c. Neque paritas, allata in confirmatione, aliquid iuuat. Bruta siquidem non distinguuntur inter se per varios gradus, magis, & minus sentiendi; quia magis, & minus non variant speciem, sed per formales, & specificas differentias, quæ nobis innotescunt per diuersas eorum proprietas. D. Bonau. existimat, rationem talis differentiæ esse petendam ex eo,

quòd

quòd Anima sit vnibilis corpori, Angelus verò non ità. At nec ista ratio approbatur a Scoto. Quia omnis aptitudo, cum sit passio, vel se habeat ad modum passionis, supponit essentiam rei, seu subiectum, in suo esse iam constitutum; sed vnibilitas, & non vnibilitas sunt aptitudines, quæ emanant ab essentia rei, ergo non sunt prima ratio distinctionis, sed distinctionem supponunt, & si vnibilitas, & non vnibilitas notificent nobis à posteriori diuersitatem specificam Animæ, & Angeli.

Cæterùm, si vnibilitas, & non vnibilitas sumantur radicaliter, in quo sensu putant nonnulli Doctorem Seraph. esse locutum, non solum à posteriori sed etiam à priori nobis ostendunt primam rationem specificam Angeli ab Anima. Deniquè Alens. p. 2. q. 20. docet, quòd ratio distinguendi Angelum ab Anima est, quia Angelus est substantia libe a vertibilis immutabiliter; Anima verò vertibilis mutabiliter. At noster Macedo obseruat, Alens. docuisse eandem rationem distinctionis, quàm amplexus est D. Thomas; quarè contra Alens. militant eædem rationes &c. sit igitur iuxta Scotum.

Concl. Angelus, & Anima specificè differunt ex proprijs eorum naturis, quia videlicet Angelus est natura completa, Anima natura incompleta. Est Scoti in 2. d. 1. q. 6. & ab eodem ita prob. Quicquid est potens agere, est aliquod ens, habens actum primum, & priùs est sibi secundùm naturam suam ratio actus primi secundùm se, quàm in comparatione ad actum secundum, cuius potest esse principium; sed Angelus, & Anima est aliquod ens habens actum primum; ergo priùs secundùm se est actus primus, quàm habeat actum secundum, hoc est vnibilitatem, vel intelligibilitatem; ergo prima distinctio vnius ab altero non est per naturam suam, inquantum est principium talis operationis, sed per naturam suam, vt hæc natura est ad se; licet per identitatem ipsa sit principium actus secundi.

Prob. 2. Ex eo precisè petenda est distinctio specifica Angeli ab Anima, quo posito, cæteris etiam non intellectis; cognoscitur, Angelum, & Animam esse diuersæ speciei; sed posita ratione naturæ completæ in Angelis, & incompletæ in Anima, sufficienter intelliguntur specie differre; etiamsi non intelligatur vnibilitas, & non vni-

bili-

bilitas &c. ergo primaria ratio distinctiua Angelī ab Anima petenda est à conceptu naturæ completæ, vel incompletæ; quod est idem ac dicere, quia Angelus est hæc natura, & Anima est hæc natura.

Arg. 1. cont. concl. probando, quòd Angelus, & Anima non differant specie, sic. D. Aug. lib. 3. de lib. arb. docet, *Angelum, & Animam esse natura pares*; ergo &c.

Resp. D. Aug. non loqui de paritate naturæ per respectum ad prædicata specifica; sed in ordine ad beatitudinem, ad quam pari ratione ordinantur, cum idem obiectum beatificum sit Angeli, & Animæ.

Arg. 2. Operationes, & potentiæ Animæ, & Angeli sunt eiusdem speciei; ergo Angelus, & Anima non differunt specie: patet conf. Quia potentiæ, & operationes sequuntur naturas rerum, quarum sunt operationes; operari namque sequitur esse &c. Resp. hoc argumentum tangere difficultatem, circa quàm Scotus est problematicus; vt in sequenti quæstione ostendetur, qua de re pro nunc tenendo partem affirmatiuam respondemus dist. ant. Potentiæ intellectiuæ &c. differunt specie ex parte fundamenti; conc. ex parte obiecti; neg. ant. Nam Anima, & Angeli versantur circa idem obiectum; quia verò emanant à fundamentis diuersis, ideò fundamentaliter sunt diuersæ: sed de hoc infra &c.

Arg. 3. Si Angelus, & Anima differrent specie, sequeretur quemlibet Angelum esse perfectiorem qualibet Anima; & per consequens, capacitatem cuiuscunque Angeli in ordine ad beatitudinem esse maiorem capacitate cuiuscunque Animæ; sed consequens non videtur admittendum, ergo nec antecedens: patet conf. quia beatitudo satiat totam capacitatem naturæ, ergo maior beatitudo tribui debet maiori capacitati, & sic beatitudo Angeli esset maior Beatitudine cuiuscunque Animæ, quod est contra Sanctos Patres, asserentes, Animam Christi summè frui.

Resp. ex Scoto concedendo maiorem cum sequela; & neg. min. ad illud autem, quod adducitur de beatitudine, negamus assumptum; quia beatitudo, vt ex S. Scrip. & Theologorum doctrina constat, non datur cum proportione ad naturam, sed cum proportione ad merita; ac proinde non satiat totam capacitatem Angeli, & Animæ; cum

possent habere maiorem, & maiorem beatitudinem; si maiora haberent merita; vt latè ostenditur in disp. de beatitudine part. 1.

Arg. vltimò. Si species Angeli constituitur per id, quod est actus spiritualis completus; & species Animæ per id, quod est actus imcompletus, non videtur posse Angelum, & Animam inter se specie differre; ergo omnes Angeli, & Animæ erunt indiuidua vnius speciei infimæ, & atomæ: patet sequela. Vnde enim desumetur? Non quidem ex parte generis, quod est spiritus, & adæquatè diuiditur per actum completum, & incompletum: non ex parte differentiæ; quia hæc solùm poterit esse maioris, vel minoris perfectionis intra illam eandem speciem actus completi, quæ perfectio non est specifica, sed gradualis, & idem dicendum de Anima, quæ est actus incompletus; ergo &c.

Confirmatur. Etenim omnis substantia spiritualis necessariò est intellectiua; sed talis ratio intellectualitatis non videtur posse multiplicari specie in genere actus completi, & incompleti, ergo solo numero Angeli, & Animæ differre possunt.

Resp. hoc argumentum tangere difficultatem grauem. Ex quo fit, vt Doctores in diuersas sententias abeant. Siquidem D. Bonau. Albetus Magnus; & ex modernis Arriaga, & Mastrius opinantur, omnes Angelos esse eiusdem speciei; sicut omnes Animæ sunt eiusdem speciei; vnde concedunt totum argumentum. Verùm ne recedamus à comuniori sententia, quam docet ipsemet Scot. vt infra monstrabitur, respondemus neg. sequelam ant. & ad discursum, qui fit ad ostendendam veritatem sequelæ; dicendum, quod principia specificæ distinctionis desumenda sunt à rationibus formalibus specificis. Substantia siquidem spiritualis se habet, vt genus ad substantiam completam, quales sunt Angeli, & ad substantiam incompletam, quales sunt Animæ; ac proinde non per graduales, sed per specificas perfectiones multiplicantur species in natura intellectuali. Quod explicari potest paritate Animalis; Planè animal contrahitur velut genus per duas differentias oppositas, nempe per rationalitatem, & per irrationalitatem; per rationalitatem vna tantum species constituitur, nempe homo; at per irrationalitatem, per quam

indi-

ſpecie, ſiue ſint cauſata totaliter, ſiue partialiter. Nam calor e. g. cauſatus ab igne, & calor cauſatus à ſole ſunt eiuſdem ſpeciei, etſi cauſæ ſint diuerſæ ſpeciei. Similiter mus cauſatus, ſeu productus per propagationem, & mus generatus ex putri ſunt eiuſdem ſpeciei; eſtò cauſæ ſint diuerſæ ſpeciei. Neque hæc alia propoſitio eſt vniuerſaliter vera: Cauſata ſiue partialiter, ſiue totaliter ab eadem cauſa, & ſub eadem ratione formali, & ſpecifica ſunt eiuſdem ſpeciei. Idem enim ſub eadem ratione formali poteſt cauſare immediatè ſpecie diſtincta; & quantò cauſa eſt vniuerſalior, & illimitatior, tantò eadem omninò ex natura rei indiſtincta poteſt cauſare plura ſpecie diſtincta, vt patet de cauſa vniuerſali.

Not. 2. Quòd ſunt aliquæ entitates, quæ ex rationibus ſuis formalibus ſic ſe habent, quòd ſemper ſpecie differunt à quibuſcumquè cauſis, etiam ſi à ſpecie diuerſis cauſentur, vt patet de mure, generato ex putri, & de veſpe, generata, ſiuè per propagationem, ſiuè per putrefactionem: & è contra ſunt aliquæ entitates, quæ ex ſuis rationibus formalibus ſic ſunt eiuſdem ſpeciei, vt quantumcumque à diuerſis cauſis producantur adhuc erunt eiuſdem ſpeciei, vt patet de mure, generato ab alio mure, & de mure, generato ex putri.

Not. 3. Quòd aliquæ ſunt potentiæ, quæ comparantur ad operationes proprias immanentes, & aliquæ comparantur ad operationes, ſeù actiones tranſeuntes: primo modo ſe habent intellectus, & intellectio; ſecundo modo ignis, ſeù potentia eius calefactiua reſpectu ligni. Potentiæ primo modo ſi non ſunt ſubordinatæ, nec vna in operando præſupponit de neceſſitate operationem alterius, & reſpiciunt obiectum idem, ſub eadem ratione conſideratum, ſunt productiuæ operationum eiuſdem rationis, & communiter ſunt eiuſdem ſpeciei tam potentiæ, quam operationes; ſic ſe habent intellectus humanus, & Angelicus, ac eorum operationes. Si verò ſunt ſubordinatæ vt intellectus, & voluntas, intellectio, & volitio, intellectus, & fantaſia, tunc ſpecie diſtinguuntur, & potentiæ, & actus earundem, eſtò circa idem obiectum operentur, loquendo de diſtinctione, quæ ſe tenet ex parte potentię: ſecùs autem ſi ſe teneat ex parte eiuſdem obiecti; obiectum

enim specie diuersum habet ex parte sui causare principaliter diuersitatem specificam, sed quia actus magis dependet à potentia, quàm ab obiecto, hinc est, quòd, licet obiecta sint diuersa, nihilominus sunt eiusdem speciei.

Not. 4. Quòd gradus perfectionales, alij sunt indiuiduales, alij specifici; indiuiduales addunt maiorem perfectionem, sed non variant speciem, sic albedo, vt quatuor, & albedo vt sex. Specifici verò addunt perfectionem, & diuersificant, vt patet in animabus sensitiuis; quò enim aliqua est perfectior, eò plures gradus sensitiuos habet: Vnde equus habet animam sensitiuam perfectiorem quàm musca, non solum quoad gradus indiuiduales, sed etiam specificos. Sic pariter Angelus superior est diuersæ speciei ab inferiori, estò vterquè sit substantia spiritualis. Itaquè si velimus partem affirmatiuam tenere, scilicet quòd intellectus Angelicus, & humanus, & eorumdem operationes specie differant, dicere debemus, quòd gradus alterius, & alterius intellectus sunt specifici. Si partem negatiuam, tunc debemus dicere, quòd illi gradus sunt indiuiduales, & se habent intellectus, & operationes in perfectione, sicut calor vt quatuor, ad calorem vt sex. His notatis ponuntur argumenta ex vtraquè parte.

Arg. prob. Quòd distinguantur specie. A fundamentis specie diuersis non possunt pullulare passiones eiusdem speciei, ergo nec ab Anima, & Angelis possunt emanare potentiæ eiusdem speciei: antecedens patet de rudibilitate, & risibilitate.

Resp. neg. paritatem, est enim maxima disparitas de Homine, & de Equo, & de Anima, & Angelo; quia in istis reperitur idem genus substantię spiritualis, & intellectualis, ac etiam eædem propensiones; in illis verò aliter se habet, quia passio emanat à toto subiecto, & non à ratione generica, hoc est ab animali... Vel resp. neg. paritatem, quia intellectus non est passio, sed potentia Animæ, ideo &c.

Arg. 2. Quod est principium distinctiuum alicuius, non est eiusdem rationis cum alio; sed gradus intelligendi maior, vel minor in anima est principium distinctiuum vnius ab alio, ergo non sunt eiusdem rationis.

Prob. min. Anima sensitiua in Brutis distinguitur penes

gradus ſentiendi, ſumendo gradum ſentiendi pro fundamento, ergo, & intellectus Angelicus, & humanus penes gradus intelligendi pro fundamento acceptos;eadem enim eſt ratio; nam ſicut quælibet Anima ſenſitiua eſt ſub genere Animæ ſenſitiuæ in communi, ita quilibet intellectus ſtat ſub intellectu communi vt ſic, & per conſequens,ſicut diſtinguitur vnum, ita, & aliud.

Reſp. neg. min. ad prob. neg. ant. ſeù paritatem,quia fit tranſitus à fundamento ad potentiam, concedo quòd Animæ diſtinguantur ab Angelis; ſed negamus de potentijs; potentiæ namque admittunt gradus perfectionis indiuiduales, non autem ſpecificos; idem etiam currit de animalibus ſenſitiuis,reſpectu potentiarum,minus, vel magis perfectarum,eſtò Animæ diſtinguantur ſpecie, iuxta regulam ſuperius traditam, quod non eſt vniuerſaliter vera hæc propoſitio. Cauſata à diuerſis &c.

Arg. pro parte negatiua, probando ſcilicet, quòd non diſtinguantur ſpecie. Potentiæ diſtinguuntur per actus, & actus per obiecta ex Ariſt. in lib. de anima; ſed idem eſt obiectum intellectus Angelici, & Animæ, ergo eiuſdem rationis. Reſp. diſt. ant. diſtinguuntur &c. extrinſecè, concedo; intrinſecè, nego; & hoc modo loquitur Ariſt.

Contra. Obiectum concurrit ad producendum actum, tanquam cauſa partialis, licet minus principalis, ergo intrinſecè diſtinguuntur.

Reſp. neg. conſeq. quia cauſa efficiens non diſtinguit intrinſecè effectum, ſicut intrinſecè non componit, vel non includitur in ipſo.Stat igitur,quòd diſtinguatur actus per obiectum extrinſecè, & non intrinſecè.

Contra. Ideò dicuntur potentiæ Animæ, & Angeli ſpecie differre, quia fundamenta ſpecie differunt: ergo, & quando obiecta ſpecie differunt; actus enim, & à potentia, & ab obiecto habent eſſe, ergo ſi actus diſtinguuntur, quia ſunt à potentijs ſpecie diuerſis; ergo, & quando ſunt ab obiectis diuerſis ſpecie, & per conſequens, quando eſt idem obiectum non diſtinguitur; & ſic intellectus Angeli, & Animæ,cum reſpiciant idem obiectum,non diſtinguuntur ſpecie.

Reſp. conc. totum diſcurſum vſquè ibi; ac per conſequens, quando eſt idem obiectum, non diſtinguitur, ne-

gamus, autem quòd, quando obiectum est idem, sit etiam identitas specifica in potentia; & ratio est, vt docet Scotus, loc. cit. in resp. ad 1. princip. quia, quæcumquè differentia sufficit ad distinguendum, sed non quæcumquè identitas sufficit ad perfectam identitatem aliquorum; identitas autem ex parte obiecti est identitas secundùm quid; diuersitas verò ex parte fundamenti est diuersitas simpliciter; & identitas, secundùm quid non tollit diuersitatem simpliciter.

Contra. Si potentiæ Animæ, & Angelorum non differunt specie, sequeretur quòd visio beatifica Angeli, & Animæ non differret specificè, quod est falsum, quia omnes species diuersæ habent ordinem determinatum secundum perfectiùs, & imperfectiùs.

Resp. ex Scoto neg. sequi huiusmodi inconueniens, quia cum dubium sit, an potentia intellectiua, tam Angeli, quam Animæ se habeant actiuè, vel passiuè, vndè tota causa visionis beatificæ erit obiectum, & cum obiectum sit idem, eadem etiam specificè erit visio tam Angeli, quam Animæ; sic possumus respondere, quòd potentiæ se habeant passiuè. Vel resp. ad Scoti mentem nos non habere pro inconuenienti, quòd vnaquæquè visio beatifica ex parte inæqualitatis potentiæ specificæ recipiat maiorem, vel minorem perfectionem. Immò defendimus inæqualitatem visionis beatificæ expetendam esse, ne dum ab inæqualitate luminis gloriæ, sed etiam ab inæqualitate potentiæ, vt latè ostensum est in disputatione de Visione beatifica.

QVÆSTIO V.

Vtrum in eadem specie sint plures Angeli, solo numero differentes.

NOt. 1. Quòd ad intelligentiam præsentis quæstionis faciunt ea, quæ dicta fuerunt in logica de natura communi, de specie, & de principio indiuiduationis; vndè, ne dicta repetamus, solum ad mentem reuocabo, quòd differentia, alia est generica alia specifica, & alia indiuidualis, & hæc vltima sic diffinitur ad mentem Scoti: differen-

ferentia indiuidualis, seù hęcceitas est vltima realitas rei cuiuscumquè, tam substantialis, quàm accidentalis, tam materialis, quàm spiritualis, propter quam vnaquequè res constituitur indiuidua, & singularis; vnde in quolibet indiuiduo est natura specifica, differentia indiuidualis, &, præter ista, in naturis substantialibus datur subsistentia, quæ quidem subsistentia in natura intellectuali nuncupatur Persona, ac proindè quilibet Angelus est Persona.

Not. 2. Quòd Doctores multùm variant in positione principij indiuiduationis; etenim Henricus de Gandauo opinatur naturam specificam constitui indiuiduuam per simplicem negationem communicabilitatis, absquè alio positiuo superaddito; contra quam opinionem arguit Scotus; eò quia negatio, quæ inseparabilliter competit alicui subiecto, semper supponit aliquod positiuum, ratione cuius talis negatio competit, vt patet de rationali, & de negatione eiusdem rationalis. D. Thomas, cum suis, existimat principium indiuiduationis esse per quantitatem, vel per materiam, vt est sub quantitate, non per materiam absolutè, quia sic different genere, si different per materiam sed; quia vna pars materiæ est sub altera parte quantitatis, vndè impossibile est inuenire distinctionem numeralem in eadem specie, vbi nec est quantitas, nec materia sub quantitate, licet quidam Thomistæ contendant principium indiuiduationis esse materiam, affectam quantitate, & alijs accidentibus: sed hæc opinio nihil placet Scoto, ideoque eam sic improbat. Quælibet substantia, saltem diuinitus, potest existere, sine quolibet accidente, non autem sine sua singularitate, ergo nullum accidens potest esse principium indiuiduationis; nequè materia, talibus, & talibus accidentibus affecta; eo quia tam materia, quàm forma ingreditur essentiam formalem rei materialis; differentia autem numerica est extra essentiam. Tum, quia eadem numero materia remanet ingenita, & incorrupta, & tamen genitum, & corruptum numero distinguuntur. Tum, quia res spirituales, quales sunt Angeli, qui nullum ordinem dicunt ad materiam, nihilominus numero distinguuntur, vt probabimus infra, adducendo fundamenta nostræ conclusionis. Nequè existentia, vt aliqui putant

putant poteſt vllo modo poni principium indiuiduationis, cum ipſa exiſtentia ſit modus afficiens ipſam rem ſingularem, ac proindè non poteſt eſſe ratio indiuiduationis. Itaquè remanet vnamquamquè rem indiuiduari, vt docet Scotus, per vltimam ſuam realitatem, quæ à Scotiſtis vocatur hæcceitas, quæ quidem hæcceitas diſtinguitur formaliter tantum à re, cuius eſt ratio indiuiduationis.

I. Concl. Admittenda eſt diſtinctio ſpecifica inter Angelos; hæc eſt Alenſ. p. 2. Scoti in 2. d. 3. q. 7. §. quod dicunt, quàmuis Maſtrius, Delgadillus, & quidam alij Scotiſtæ contendant Scotum oppoſitum tenere, ſed vt bene notat Macedo decipiuntur, cum Scotus in 2. d. 3. cit. arguens contra aduerſarios, dicat ſic. Confirmo hoc etiam per aliquos, quibus eſt inconueniens; quòd aliqua ſpecies ſimul tota ſit damnata naturæ intellectualis ſimpliciter; multæ autem ſpecies eſſent Angelorum, in quibus nulla eſſet ſaluata, poſita iſta poſitione, ideſt Thomiſtarum, & paulò inferius adducta auctoritate Auguſtini, ſic loquitur. Iſta totalitas, & partialitas in Angelis, non videtur eſſe irrationabilis, niſi ponatur, quòd nulla ſpecies Angelica quantum ad omnia indiuiduua totaliter perierit, & ita aliqui de quacumquè ſpecie corruerunt, & aliqui perſtiterunt, & clarius in 3. d. 21. q. 1. ad p. principale; tunc dico, quòd argumentum illud eſt bonum contra illos, qui ponunt Angelos ſingulos in ſingulis ſpeciebus: ſed hoc credo falſum, ideò non cecidit aliqua ſpecies Angelica tota &c. Itaquè eſt aperta Scoti ſententia, non omnes Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ, ſed plures ſpecies Angelorum defacto dari; eſtò opinio oppoſita ſit probabilis vt patet ex D. Damaſ. lib. 21. de fide, c. 3. *Æquales, ait, ne inter ſe, an diſpar ei ſint, haud quamquàm compertum habemus, ſolus ille ſcit, qui illas creauit*. Similia habet D. Aug. Baſilius, Athanaſ. Prob. ratione. Nulla apparet repugnantia ponere plures Angelorum ſpecies, immò hæc poſitio cedit in Diuinæ potentiæ, ac ſapientiæ comendationem, & vniuerſi pulchritudinem; ergo &c.

Prob. Non repugnat in genere intellectiuo ponere præter Angelos, Animas, quæ ſpecie differant ab Angelis, ergo nequè repugnat plures Angelorum ſpecies: patet conſ. eò quia Anima exceditur ab Angelo, ratione gradus perfectio-

ctionis, & completi; ita potest vnus Angelus alium Angelum in gradu completo excedere, secundum rationem specificam, vt etiam supra indicauimus in solutione eiusdem argumenti, ergo &c.

II. Concl. Angeli, nedum plurificari possunt numero intra eandem speciem, sed etiam de facto sic se habent, vt plures Angeli, solo numero differentes, reperiantur in eadem specie. Conclusio quoad primam partem est Scoti, & Scotistarum, nec non aliorum Theologorum; immò, & Thomistarum, si loquamur de potentia Diuina absoluta. Quò ad secundam partem est Scoti, D. Bonau. & aliorum communiter contra Thomistas.

Prob. à Scoto 1. pars sic. Nulli speciei infimæ repugnat communicari posse pluribus; ergo nec repugnat habere sub se plura inferiora, solo numero differentia: cons. patet: ant. prob. Si alicui speciei infimæ repugnaret communicari pluribus, vel hæc repugnantia proueniret ex perfectione, vel ex imperfectione talis speciei; non ex perfectione, quia communicabilitas conuenit naturæ Diuinæ; nec etiam ex imperfectione, quia communicari pluribus conuènit speciebus infimis substantiæ corporeæ, quæ sunt imperfectiores: ergo ex nullo capite repugnat &c.

Prob. 2. Omnis natura, quæ potest intelligi sub ratione vniuersalis absquè contradictione, est plurificabilis numero; si enim esset de se hæc ei repugnaret intelligi sub ratione vniuersalis, sicut repugnat naturæ Diuinæ; sed omnis natura creata potest intelligi sub ratione vniuersalis, absquè contradictione; quia nulla est de se hęc, alioquin per potentiam Dei absolutam non posset multiplicari etiam specificè, quod est contra quosdam Thomistas, censentes de potentia Dei absoluta posse numero multiplicari Angelos intra eandem speciem: ergo &c.

Resp. Thomistæ, aliquid posse dici vniuersale duobus modis: nempè ex parte rei, & ex parte intellectus: primo modo, quando res, quæ est vniuersalis, reuera est in pluribus, vt animalitas in homine, & in Brutis &c. secundo modo, quando res illa ab intellectu percipitur secundùm se, & absquè eo, quod inueniatur in pluribus, sed solum repræsentetur sine conditionibus indiuiduantibus, quæ sunt materia, & quantitas; quarè dicunt naturam Angeli-

cam non posse intelligi sub ratione vniuersalis primo modo, sed secundo modo, quia illa quidditas intelligitur tantùm, sine conditionibus indiuidualibus, sed non inuenitur in pluribus indiuiduuis. At cont. dist. Caiet. arguit sic Rada. De ratione vniuersalis est, posse de pluribus dici, & in pluribus esse; ergo diuidere vniuersale in illud, quod est in pluribus, & in illud, cui repugnat esse in pluribus, est diuidere vniuersale in se, & in oppositum sui, quod absurdum est.

Confirmatur. Nam intellectus non potest verè applicare intentionem vniuersalitatis, nisi in fundamento talis vniuersalitatis capaci, alioquin ita benè posset applicari secunda intentio generica naturæ specificæ, & intentio generis indiuiduo, sicut generi; ergo oportet, quòd sit in re fundamentum, supra quod fundetur talis, & talis intentio vniuersalitatis, ergo cum intellectus concipit naturam Michaelis, e. g. sub ratione vniuersalis, inuenit in ea fundamentum communicabilitatis, absquè contradictione, & repugnantia.

Prob. 3. à Scoto. Potest Deus, annihilato vno Angelo, eius speciem reproducere in alio indiuiduuo, non quidem in eodem, quæ erat antea, quia idem numero Angelus annihilatus non potest reproduci in sentẽtia Thomistarum, asserentium, quòd si eadem numero Anima non remaneret incorrupta, sed simul cum ipso corpore periret, non posset idem numero homo resurgere, vt expresè docet S Thomas 4. d. 44. q. 2. ad 3. ergo in diuerso indiuiduo ab eo, qui fuerat prius; ac proinde possibilia sunt plura indiuidua. Resp. Thomist. quòd annihilato vno Angelo, si Deus reproduceret in eadem specie Angelum, esset idem Angelus, ac annihilatus. Ad illud de resurrectione dicunt, verum esse non posse resurgere eundem numero hominem, si aliqua eius pars non permaneret; sed non est verum de iterata reproductione, à Deo facta. Verùm ista responsio est friuola, & ideo meritò a Scotistis modernis impugnatur, quam impugnationem breuitatis causa omitto.

Prob. vltimo. Si Angeli non possent numero multiplicari sub eadem specie, maximè, vel quia non haberent differentiam indiuidualem, vel quia non haberent illam distinctam à specifica; sed neutrum dici potest, quia constat

Ange-

Angelos singulares esse, cum habeant subsistentiam, quæ immediatè non recipitur nisi in natura singulari: neque secundum, quia sicut in alijs rebus, ita in Angelis reperitur differentia indiuidualis, & specifica: ergo &c.

Prob. conc. autoritate August. dicentis in Enchiridio cap. 28. *Quod quia tota natura humana cecidit, ideo placuit a'iam partem saltem reparare sed quia non tota natura Angelica, sed pars cecidit, eam non reparauit.* Vnde sic Scotus concludit: Ideo teneo, quod quidditas Angelica non est de se hæc cum non sit actus purus; ergo ex auct. D. Aug. habetur non solum possibilis plurificatio indiuiduorum in natura Angelica, sed etiam de facto intra eandem speciem plura esse indiuidua, quæ erat 2. pars conclusionis, quæ insuper prob. per illud Isaiæ 6. vbi dicitur: *Duo Seraphim stabant.* In quibus verbis quis non percipit indicari numerum; duo namque Seraphim exprimit duo singularia speciei atomæ; alioquin esset manifestum absurdum dicere duo, & non significare duo iudiuidua eiusdem speciei; cum nomen Seraphim determinet quandam speciem attomam; ac proinde duo Seraphim sunt duo indiuidua eiusdem speciei attomæ; nequè aliter, & non nisi violenter, inquit Macedo, explicari potest Scrip. textus. Dicerent Aduersarij, illa duo Seraphim poni pro indiuiduis speciei subalternæ, non infimæ, & per consequens non dari duo indiuidua &c. At hæc responsio, & explicatio est prorsus violenta, nam idem esset, ac ponere duo animalia pro duobus hominibus, quò nihil ineptiùs, vt exagerat Doctiss. Macedo in 2. collat. 2. diff. 2.

Arg. 1. cont. 2. conc. & signanter cont. 1. p. Arist. lib. 7. meth. ait. In his quæ sunt sine materia, idem est, quod quid est, & id cuius est; sed Angeli sunt sine materia, ergo Angeli non possunt esse plures, manente, quod quid est, seu eadem ratione specifica.

Resp. Arist. loqui de materia sumpta pro differentia indiuiduali, quæ ideo dicitur materia, quia constituit in esse simpliciter subiectum, quod dicitur materiale, comparando ipsum ad esse quidditatiuum, quod dicitur formale, non verò de materia pro altera parte compositi.

Arg. 2. Omnis differentia formalis est specifica, sed Angeli differunt inter se differentia formali, quia sunt formæ

distinctæ, ergò necessariò omnes Angeli. Differunt specie; ac proinde, nulla inter ipsos est differentia numeralis, prob. min. Angelus differt ab Angelo, qui est forma, ergo habent inter se differentiam formalem.

Resp. Scotus, quod differentia formalis potest accipi dupliciter. 1. modo pro differentia, quæ fit per formam. 2. pro differentia formarum, seù pro formis ipsis, quæ differentiam afficiunt. Vnde primo modo, maior est vera, sed minor falsa. Ad prob. dicit Doctor, quod est ibi fallacia consequentis. Non enim sequitur formæ differunt, ergo formaliter, seù per formam differunt; sicut non sequitur plures homines inter se distinguuntur, ergo per humanitatem differunt; non enim per humanitatem differunt, sed per suas differentias indiuiduales. Vnde aliud est aliquid distingui, & aliud esse rationem distinctionis.

Arg. 3. In entibus perfectis, cuiusmodi sunt Angeli, nihil est quod per se non intendatur à natura; sed multitudo numeralis non intenditur à natura: ergo &c. min. patet, quia infinitas non per se intenditur à natura, sed multitudo numeralis sub vna specie tendit in infinitum, ergo &c. Resp. Scotus, quod hæc ratio peccat in fallacia consequentis; non enim sequitur in bona consequentia: Infinitas non intenditur, ergo nec pluralitas numeralis; nam potest intendi pluralitas limitata, & rationabilis, non autem infinita, & irrationabilis. Cæterùm falsum est illud assumptum. Agens non intendere pluralitatem indiuiduorum. Vel enim intelligit de agente summo, seù prima causa, vel de causa creata; si de primo falsum est, & patet in stellis, inanimatis, & de animabus, quę sunt spiritus: Si de secundo constat pariter falsitas. Itaquè negatur min. &c.

Contra. Multitudo indiuiduorum solùm intenditur propter conseruationem speciei, quæ in rebus corruptibilibus defficeret, nisi propagaretur, vt ait Arist. 2. de Anima; sed hæc ratio non militat de Angelis, cum sint spiritus immortales; ergo &c.

Resp. Scot. neg. mai. & ratio est, quia cum rerum omnium artifex præcipuè intendat bonum, & ordinem vniuersi in rerum formatione, non solum debet intendere earum diuersitatem secundum speciem, sed etiam multitudi-

tudi-

tudinem ſecundùm indiuidua, vtrumquè enim conducit ad ordinem, & pulchritudinem vniuerſi. Quarè D. Damaſcenus in elementario cap. 12. inquit. *Congruum fuit, plures Angelos in eadem ſpecie producere, vt communicantes ad inuicem natura gaudeant inuicem, & naturali beatitudine copulati ad inuicem ſecure, & amicabiliter diſponantur.*

Vnde ex dictis reijcitur error Auicennæ 9. meta. opinantis numerum intelligentiarum proportionari numero cælorum, & per conſequens non eſſe niſi decem iuxta vndecim orbes, quod ſic delirando ponebat. Prima intelligentia producebat ſecundam: Secunda tertiam: Tertia quartam vſquè ad decimam: & vltimam intelligentiam ſecundùm ipſum producere terrena, & materialia, eaquè diſponere, & gubernati; patet etiam error Saducæorum, qui nullum ſpiritum admittebant; nec non Ariſt. dicentis ſecundùm numerum motuum Cœlorum numerandas eſſe intelligentias.

QVÆSTIO VI.

Vtrum dentur plures Angelorum Hierarchiæ, & ordines.

NOt. 1. Quod hierarchiæ vocabulum, græcum eſt, & idem ſonat ac Principatus, ſeu collectio Perſonarum aliquo modo ſacrarum ſub aliquo Principe. Triplicem autem hierarchiam diſtinguit S. Dionyſ. lib. de cęleſti hierarchia c. 3. Prima, & principalis, & omnium exemplar eſt ſumma, & ineffabilis poteſtas Trinitatis; aduerte tamen, quod in diuinis non datur propriè hierarchia, quia Diuinæ Perſonæ ſunt omnes æquales in poteſtate: quarè hierarchia ſic propriè deſcribitur: Eſt rerum ſacrarum, & rationabilium ordinata poteſtas in ſubditis debitum retinens Principatum, hierarchia autem eſt ſacer Principatus, quia componitur ex his nominibus grecis, ideſt hieras, quod eſt ſacrum, & arcos, quod eſt Princeps. Secunda reperitur propriè in natura Angelica, & tertia in natura humana, de quà hic non quærimus. Prima ergo hierarchia appellatur ſupercęleſtis, quia eſt Diuinarum Perſonarum, non quod in Diuinis Perſonis ſit ordo præcipiendi,

di, sed ordo principiandi, quo videlicet. Pater est à nullo, Filius à Patre, & Spiritus S. ab vtroque. Secunda dicitur cęlestis. Tertia dicitur subcęlestis, siuè humana, & ecclesiastica.

Not. 2. Quod secundum Gregorium *Ordo Angelicus dicitur multitudo cœlestium spirituum, qui inter se aliquo munere gratiæ similantur, sicut, & naturalium donorum participatione conueniunt*. Vnde considerare oportet, quod ordinum distinctio fundamentum habet ex natura, dispositionem ex gratia, & complementum ex gloria. Quarè in Dæmonibus est ordo quantum ad naturam, quia vt dicit D. Dionys. lib. de Diuinis nominibus, naturalia in Demonibus remanserunt integra, sed obscurata per malitiam; ac proindè in ipsis est quædam prælatio, vt tradunt Magister, Alens. D. Bonau. D. Thom. & alij communiter; filij namquè tenebrarum imitari conantur, & si falsò, & imperfectè filios lucis; Cæterum hæc coordinatio, & prælatio non est ex Diuina institutione positiua, sed solum permissiua, cum sit à Principe tenebrarum instituta ad perniciem Animarum, & infestationem Ecclesiæ. Vnde eleganter D. Bonau. in 2. d. 6. art. 3. q. 2. ait. *Nulla ibi manet iuris obligatio, sed solùm malenolens confœderatio.*

Concl. in Cęlesti Republica dantur tres hierarchiæ, & nouem ordines, seu chori, & vnaquæque hierarchia continet tres ordines, seu choros. Hæc est omnium Theologorum contra quosdam hæreticos negantes Angelorum hierarchias. Prob. conc. quò ad 1. part. auctorit. SS. Patrum, & præsertim D. Dionys. qui in lib. de cælesti hierarchia fatetur huiusmodi doctrinam recepisse à D. Paulo suo præceptore, quam doctrinam deinde omnes Patres, tam Græci, quam Latini amplexi fuere.

Prob. etiam auct. Ecclesiæ, quæ iam ab antiquo enumerat varios Angelorum ordines in officio omnium Sanctorum. Prob. 3. auct. S. Scrip. quæ meminit ordines Seraphinorum Ezech. 10. Cherub. ad Ephes. 1. dominationum, Principatuum, potestatuum, & virtutum: ad Coloss. 1. Thronorum: ad Thesal. 4. Arcang. & Daniel. 10. vbi quidam Angeli dicuntur custodire Regna, & nationes, & ad Rom. 8. & alibi sæpè, ergo dantur varij ordines Angelorum. Prob. ratione Angelorum merita in via fuerunt inæ-

qua-

qualia: ergo, & gloria. Tum quia decet terrenum Regem habere multos ministros collaterales in varios cætus, & ordines distributos; ergo à fortiori hoc decet Regem Cœlestem, ergo in Cœlesti Republica dantur hierarchiæ, & ordines, seù chori Angelorum.

Prob. 2. pars auct. D. Dionys. qui primus omnium tradidit partitionem naturæ Angelicæ in hierarchiam supręmam, mediam, & infimam; quæquidem partitio recepta deinde fuit ab omnibus Sanctis Patribus, & à scholasticis; ergo ex communi sententia Patrum, & scholasticorum, & perpetua traditione, habemus, dari in Angelis tres hierarchias. Prob. etiam ratione. Nam in triplici diuersitate sunt operationes hierarchię Angelorum, quæ secundùm Dionys. in lib. de cœlesti &c. cap. 6. sunt purgare, & purgari, illuminare, & illuminari, perficere, & perfici: ergo huiusmodi operationes ostendunt tres esse hierarchias: antecedens patet, quia supremæ hierarchię Angelorum à solo Deo purgantur, illuminantur, & perficiuntur, & hi Angeli deindè purgant, illuminant, & perficiunt Angelos mediæ hierarchiæ, communicando eis nouas notitias, quibus carebant. Angeli pariter secundæ hierarchiæ sic purgati, illuminati, & perfectionati rursus purgant, illuminant, & perficiunt Angelos infimæ hierarchiæ, qui deniquè purgant, illuminant, & perficiunt homines. Insuper ostenditur, & declaratur, quomodo hierarchiæ diuiduntur in choros, seù ordines, & quomodo inter se ordinentur. Prima hierarchia dicitur supræma, eò quia componitur ex spiritibus alijs præstantioribus, qui dicunt habitudinem ad Deum, veluti assessores intimi Cœlestis Regis, à quò immediatè purgantur, illuminantur, & perficiuntur, & isti supræmi Principes partiuntur in tres ordines, seù choros, nempè Seraphinorum, Cherubinorum, & Tronorum; Seraphim interprætatur ardor, vel incendium charitatis; Cherubin interprætatur plenitudo scientiæ; Troni, dicuntur, eò quia in ipsis Deus placidiori modo quiescit; ideoquè dicuntur sedes Dei ad recipiendos in se, vt loquitur D. Dionys. Diuinos fulgores, & in alios transfundendos. Secunda hierarchia appellatur media respiciens statum præfecturæ generalis, & constituitur ex Dominationibus, Principatibus, & Potestatibus

secun-

ſecundum D. Greg. & Ambroſ. eſtò D. Dionyſ. loco poteſtatum ponat virtutes. Dicuntur Dominationes, quia dominatum quemdam particularem in inferiores exercent circa Regimen Eccleſiæ, & hominum præſidendo inferioribus, & ordinando, quæ ſunt agenda. Principatus ſic dicuntur, quia ſpeciali modo aſſiſtunt principibus, & regibus, nec non inferiores Angelos inſtruunt de eorum tutela, & eruditione in rebus pertinentibus ad eorum ſalutem. Poteſtates ſic nominantur, quia inſigni pollent potentia, quà malorum Angelorum reprimunt inſultus, ne hominibus noceant in corporalibus, vel ſpiritualibus. Tertia hierarchia infima miniſterijs particularibus deputata componitur ex virtutibus, Archangelis, & Angelis; virtutes ſic dicuntur, quia magnifica, prodigioſa, & miraculoſa opera ſolent perficere. Archangeli ſic nuncupantur, quia ſunt nuncij ſpeciales, & maiores, quàm Angeli; tum quia præſunt cuſtodiæ Regnorum, & Prouinciarum. Angeli tandem ſic vocantur, quia ſunt nuncij minores, minora nunciando, & iſti præſunt cuſtodiæ hominum. Vnde ſecundùm aliquos carent particulari nomine, & ſolum communi vocabulo Angelorum appellantur. Prima hierarchia comparatur ſtatui contemplatiuorum, ac proindè in ea ſunt tres gradus ſecundum tres actus contemplationis. Secunda hierarchia comparatur ſtatui prælatorum, & Tertia hierarchia ſtatui actiuorum, de quibus videri poſſunt commentatores D. Dionyſ. & etiam D. Bonau. in 2. ſent. & alibi, cum Doctor Seraphicus in ſuis operibus agat de Theologia Myſtica, ad quam ſpectat hæc materia.

Arg. 1. cont. conc. probando quod in Angelis non ſunt plures hierarchiæ. Hierarchia idem eſt ac ſacer Principatus; ſed vnus tantum eſt ſummus Princeps omnium, ergo vna tantum hierarchia.

Reſp. argument. benè probare, quod detur tantum vna hierarchia, ſi attendatur vnitas ſummi Principis, ſed non ſequitur, quin ſint plures ſecundùm diſtinctas multitudines alio, & alio modo gubernationem Principis recipientes.

Arg. 2. In humana natura eſt tantum vna hierarchia; ergo, & in natura Angelica eſt tantum vna.

Reſp. neg. conſ. conceſſo ant. & ratio eſt: quia omnes

homi-

homines sunt eiusdem speciei, & simili modo recipiunt gubernationem summi Principis; non sic autem est de Angelis.

Arg. 3. Hierarchia importat principatum, & prælationem, sed in Angelis non potest esse prælatio; ergo neque Principatus. Prob. min. Vbi est prælatio, est etiam subiectio, & seruitus, & disparitas; sed in Angelis non habet locum nequè seruitus, cum sint omnes liberi, nequè disparitas cum omnes æquè videant Deum in gloria: ergo in Angelis non est prælatio.

Resp. conc. mai. & neg. min. ad prob. dist. mai. vbi est prælatio propriè nimirum potestas coercendi subditos, est seruitus, conc. mai. Vbi est prælatio impropriè, idest potestas imperandi alijs sine cupiditate, & superbia dominandi, sed quædam ciuilis dominatio excellentior, neg. mai. Itaquè in Angelis est quoddam regimen, seu prælatio ciuilis, superiores dominando inferioribus; qualis prælatio fuisset etiam inter homines innocentes, si status innocentiæ stetisset. Quarè hanc dominationem, & politiam agnouit, & docuit D. August. in domibus iustorum, dicens lib. 19. de ciuit. Dei c. 14. *Non enim iusti dominandi cupiditate imperant, sed prouidendi omnia. Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit*; & loquens de muliere in statu innocentiæ inquit: *Mulier fuisset subdita dilectione potiùs, quàm conditione*. Similiter in Angelis est disparitas naturæ, gratiæ, & gloriæ, vt patet ex dictis.

Quæres 1. Vtrum Angeli sint numero finiti, vel infiniti.

Resp. Quod variant Doctores; nam alij putant esse numero infinitos in nixi doctrinæ Nisseni lib. de Opificio hominis, dicentis: *Angelorum copias esse numero infinitas*; & infra; *Ad infinita propè millia esse diffusas*. Alij putant esse numero finitos; at non conueniunt in numero assignando. Quidam censent Angelos esse plures omnibus creaturis corporeis, tam in specie, quàm in indiuiduis consideratis. Quidam arbitrantur, Angelos ita se haberi ad homines quoad numerum, vt nonaginta nouem ad vnum, desumpta proportione ex parabola centum ouium. Quidam opinantur Angelos sic se habere, vt nouem ad vnum, secundum aliam parabolam dragmarum decem. Quidam deniquè homines, & Angelos æquali numero esse. Sunt etiam, qui putant

tot homines ad æternam fælicitatem esse prædestinatos, quot Angeli lapsi sunt. Itaquè dicendum cum communi Theologorum sententia, Angelos non esse numero infinitos, sed finitos, in maxima tamen multitudine, cum passim S. Script. ingentem numerum indicet, & præsertim Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei;* & Apocal. 5. *Audiui vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium*. Quot autem sint Angeli incertum est, solus Deus, qui illos condidit, nouit numerum eorum. Nihilominus noster Frassen probabile putat, Angelos numero plures esse, quam species corporeæ, & præstantiorum specierum indiuidua, quàmuis probabilius censeat, numerum Angelorum excedere multitudinem hominum, qui sunt, fuerunt, & futuri sunt; quàm sententiam probat auct. SS. Patrum, & deniquè hac ratione communi Theologorum. Singulis hominibus à Deo deputatur Angelus Custos ex infimo ordine; ita quod vnusquisquè hominum, qui fuerunt à mundi primordio, & ad finem vsquè futuri, perculiarem suum habuerit, aut habiturus sit Angelum. Immò legimus in reuelatione Sanctę Brigittæ lib. 4. cap. 11. tot esse in illo infimo ordine Angelos; vt ex illo plusquam decem singulis hominibus in custodiam deputari possent. Verùm hæc ratio videtur supponere tanquam certum, Angelos deputatos ad custodiam hominum, qui ex hac vita migrarunt, non deputari postea ad custodiam aliorum hominum, qui nascuntur, quod mihi non satis probatur

Quæres 2. An singuli Angeli propria habeant nomina.

Resp. Verisimilius videri singulos, quibusquè Angelis à Deo assignata fuisse propria nomina, non quidem vt per illa ab alijs Beatis cognoscantur, vt docet S. Greg. homil. de centum ouibus, sed vt inter loquendum, illis nominibus vtantur beati; nam post diem tremendi Iudicij alij Beati de alijs, & de Angelis loquentur: ergo verisimiliùs apparet, quod vnusquisquè Angelus habeat proprium nomen: & quod de Angelis bonis dicimus, etiam de malis iudicandum.

Cæterùm Sanctorum Angelorum tantum septem sunt, quorum nomina memorantur à scriptoribus chatolicis, & sunt isti. Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Salatiel, si-

uè Sealtiel, Iehudiel, & Barachiel. Quarè præter ista nomina, nec vsurpanda, nec inuocanda sunt alia; cum nec ex S. Scrip. nec ex Sanctis Patribus habeantur; vt videre licet apud Frassen t. 2. d. 2. art. 1. q. 1. in fine.

Quæres 3. Quando Angeli fuerunt creati.

Resp. cum Magistro sentent. d. 2. D. Bonau. 2. p. 1. art. 2. q. 3. cum D. Thoma, Scoto, & omnibus ferè scholasticis, Angelos esse creatos, non ante mundum, sed simul cum mundo; ità euidenter colligitur ex Concil. Lateran. & refertur in capite firmiter de Sanctiss. Trinitate. *Simul ab initio temporis vtramquè de nihilo condidit creaturam, Angelicam, & mundanam, ac deinde humanam.*

Dices. Nulla fit mentio in Genesi de Angelorum creatione, ergo &c. Resp. Angelos tacitè esse compræhensos nomine Cœli, quò significauit Moyses tam continens, quàm contentum: prout tradunt Patres, & Theologi.

Quæres 4. An sit adeò certum, Angelos esse creatos simul ab initio temporis, vt oppositum sit saltem erroneum in fide.

Affirmant Ferrariens. Cano, Molina, & quidam alij, & maximè ob auctoritatem Concil. cit. quòd videtur deffinitiuè procedere; cum in confessione fidei, quæ incipit: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur*, vno contextu subiungat verba supra relata. Nec refert; quòd D. Thomas p. 1. q. 61. expresse neget, oppositum esse erroneum, præcipuè, vt ait, propter sententiam Gregorij Nazianzeni, nam oportet dicere, vel D. Thom. non meminisse huius decreti, vel ipsum ignorasse; etiam si tunc esset adhuc satis recens, & per Greg. IX. iam tum radactum in corpus iuris, vt præclarè aduertit Herinx part. 2. tract. de Angelis. Nihilominus, etsi conc. ob sua fundamenta, & ob communem omnium consensum sit indubie præferenda, nec videatur amplius posse sine temeritate negari; oppositum tamen ab erroris nota vindicant Doctores passim, sinè, quia Concil. Lateran. id solum dixerit ex communi doctrina incidenter non definiendo; cum hoc ad Scopum illius non spectaret, siuè quia explicari aliqualiter posset, quòd scilicet, Deus Angelicam, & humanam creaturam condiderit simul, idest pariter; idque non ab æterno, sed ab initio temporis, Angelicam scilicet, in quodam sui temporis, ini-

tio, similiter & mundanam, estò non vnico, & eodem vtramquè. Ita noster Herinx loc. cit.

Quæres 5. Vbi fuerint Angeli creati.

Resp. Angelos probabilius fuisse creatos in Cœlo Empyreo: ita communis Theologorum sententia, cum Magistro. Alens. D. Thoma, D. Bonau. sic pariter videntur docere Sancti Patres, qui videri possunt apud Doctores modernos. Immò consonat hæc sententia S. Scrip. significanti in varijs locis, Angelum è Cœlo cecidisse, seù esse inde expulsum; vt Isaias 14. *Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* Luca 10. *Videbam Sathanam cadentem sicut fulgur de Cœlo*; & Apocal. 12. vbi describitur prælium magnum, factum in Cœlo.

DISPVTATIO III.

De intellectu, & voluntate Angelorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Angelus intelligat per suammet substantiam, vel per potentiam à substantia distinctam.

NOt. 1. Quòd apud omnes Doctores Catholicos certum est Angelos cognitione intellectuali esse præditos, sed incertum est de principio cognitionis, idest per quid Angelus intelligat. Quidam volunt (omisso comentatore, qui 12. meta. affirmat, in substantijs separatis essentiam, & operationem non esse quid distinctum) vt Durandus in 2. d. 3. q. 5. quòd licet intellectio, quà Angelus intelligit alia à se sit realiter distincta ab eius substantia, illa tamen, quà intelligit se ipsum, est prorsus indistincta. Alij, vt Thomistæ, contendunt principium intellectiuum Angeli esse realiter distinctum ab eius essentia, cum per ipsos sit purum accidens.

Verùm Scotus, cum sua schola, docet potentiam intellectiuam, & volitiuam, tam Angeli, quam Animæ esse distinctam formaliter tantum ab eorum essentia, vt alibi ostensum est.

Not. 2. Quòd, vt traditur in lib. de Anima; duplex intellectus Animæ distinguitur, nempè agens, & patiens, seù

seù possibilis, vel passibilis. Intellectus autem agens duobus modis dici potest. Primo latè, prout est facultas quomodocumquè actiua, siuè productiua suorum actuum, siuè specierum, seù habituum intellectualium, & in hoc sensu nemo Theologorum negat, esse in Angelis intellectum agentem. Secundo strictè, quatenus est facultas solùm, & immediatè productiua specierum intelligibilium in intellectu possibili illis carentibus, siuè abstrahendo species illas à phatasmate, siuè aliter agendo. Similiter intellectus possibilis ex opposito duobus modis intelligi potest, vel pro quacumquè potentia passiua receptiua, & sic dicitur passiuus, quatenus recipit suos actus; vel pro facultate, quæ, vt tradit Arist. lib. de Anima, cap. 4. sit priùs nuda potentia in genere intelligibilium, & deinde fiat omnia intelligibilia per susceptionem specierum, vel Verbi mentis.

I. Concl. Angelus non intelligit per suam substantiam, sed per facultatem, seù potentiam, à sua substantia formaliter distinctam, quæ dicitur intellectus, & hæc eadem conclusio currit de voluntate.

Prob. conc. quoad 1. part. D. Dionys. lib. de Cœlesti hierarchia c. 11. distinguit in Spiritibus virtutem à substantia, vnde sic loquitur. *In tria omnes Diuinæ mentes cœlestiratione sua diuisæ sunt in essentiam, in virtutem, & actionem*: Idem docet D. Aug. lib. 6. de Trin. & etiam D. Anselm. in lib. de casu Diaboli: ergo &c.

Prob. ratione. Etenim duobus modis fieri posset, vt Angelus intelligeret alia extra se per suam substantiam, vel quia substātia Angeli suppleret vicem speciei, respectu cuiusqumquè obiecti; vel quia in ea, tamquàm in obiecto cognito, viderentur omnia alia obiecta; sed neutrum dici potest: non primum, quia substantia Angeli, non est vniuersalis repræsentatio omnium obiectorum: nequè secundum, quia licet substantia Angeli posset esse medium cognitum, ducens in aliquam cognitionem Dei, & fortè aliquorum effectuum, quos ipsa virtute continet, non tamen in cognitione aliarum rerum naturalium, quia non est causa illarum, nec eas eminenter continet; ac proindè non est sufficiens principium ex parte obiecti ad eas cognoscendas. Secunda pars conc. probatur ex dictis alibi; sicut enim omnes passiones, proprietates, & potentiæ emanant

nant ab essentia, ità non distinguuntur ab ipsa realiter, sed formaliter tantùm, & consequenter realiter cum ipsa identificantur.

II. Concl. In Angelis admittendus est intellectus agens, & patiens, propriè dictus: hæc est Scoti in 2. d. 3. q. 11. & sic ab ipso probatur. Omnis actiua potentia, quæ absquè imperfectione tribuitur naturæ inferiori, non est deneganda naturæ superiori; sed intellectus agens in hominibus, qui sunt natura inferiores Angelis, verè admittitur etiam à Thomistis, ergo ab ipsis non est denegandus Angelis. Prob. min. Maxima est perfectio in qualibet natura, quòd habeat in se virtutem, & principium, quò possit sibi acquirere conuenientem perfectionem, sed intellectus agens est principium, quò homo potest assequi notitiam, & scientiam, quæ est eius perfectio: ergo perfectionis est in homine habere intellectum agentem, ergo, & in Angelis.

Resp. Thomistæ mai. arg. esse quidem veram de perfectione simpliciter, non verò de illa, quæ solum ponitur ad supplendam imperfectionem; vndè cum intellectus agens in hoc sensu ponatur in homine, non sequitur, quòd sit admittendus etiam in Angelo.

Contra. Qua ratione admittitur intellectus agens in homine, eadem admittendus est in Angelo; eo quia, & si Angeli habeant species sibi concreatas; tamen rerum omnium, maximè singularium notitiam sibi congenitam non possident; ac proindè, vel eam acquirere possunt, & sic egent intellectu agente, vel si non possint, sequitur quòd Angeli sint deterioris conditionis, quàm homines; Tum, quia actio, quà agens superioris ordinis præuenit operationem agentis inferioris, non aufert ab eo potentiam actiuam, respectu suæ operationis; ergo, quàmuis Deus concreasset Angelo omnes cognitiones; attamen perfectionis est, quòd retineat suas potentias, vt patet etiam de Christo, in quo erat intellectus agens, estò haberet scientiam omnium rerum, cart. 59. Confirmatur ex Macedo: vide infra cart.

Prob. 2. à Scoto ratione ipsa, qua D. Thomas oppositum conclusionis stabilire nititur, quam Scotus deducit in oppositum conclusionis D. Thomæ. Obiectum adæquatum

intellectus Angelici, vel est quid singulare, vel quid vniuersale per prædicationem; adeout complectatur sub se omnia prorsus intelligibilia. Non primum, quia res singularis creata, quantumuis perfecta nequit continere formaliter, vel eminenter omnia intelligibilia ab Angelo: Non secundum, quia sequeretur res materiales, & corporeas. V. g. Cœlos, & elementa, non posse ab Angelo cognosci, nulla enim potentia versatur circa id, quod non continetur sub obiecto suo adæquato. Si autem primum admittant Thomistæ, cum sensibilia, & materialia non sint de se proximè, & actu intelligibilia, quia non sunt obiecta proportionata facultati, purè intellectuali, oportet ad ea percipienda, quòd Angelus habeat intellectum agentem, quò mediante species à rebus ipsis materialibus excipiat, ac per easdem materialia cognoscat, si aliunde earum cognitionem non habeat.

Arg. cont. 1. conc. Angeli sunt puri actus, & intellectiui essentialiter: ergo nihil distinctum possunt recipere, per quod intelligant. Resp. dist. ant. Sunt puri actus excludentes compositionem phisicam, conc. excludentes formam spiritualem, qualis est intellectio, neg. ant.

Arg. 2. Angelus est intelligens actu; ergo intelligit per suam substantiam: patet conseq. quia ideo Anima non intelligit per suam substantiam, quia est intelligens solum in potentia, vt potè corpori coniuncta.

Resp. neg. conf. Natura enim intellectualis tripliciter se haberi potest ad suam intellectionem. Primò, itaut sit intelligens solum in potentia. 2. quod sit intelligens, sed per actum distinctum ab ipsa. 3. per actum, qui sit eadem natura intelligentis. 1. & secundo modo competunt Animæ, & Angelis. 3. modo soli Deo competit, qui est actus purus.

Arg. cont. 2. conc. Intellectus agens, & possibilis ita nominantur, & solum distinguuntur per comparationem ad phantasmata; sed in Angelis non sunt phantasmata, ergo neque admittendus est intellectus agens, & possibilis.

Resp. neg. mai. Nam oportet, quòd Angelus in cognitione rerum materialium recipiat species ab illis, & deducat ad statum spiritualitatis. Vnde patet, quòd non solum per cóparationem ad phantasmata ponitur intellectus agens,

sed

sed etiam per alias rationes, vt ostensum fuit in probatione conc.

Arg. 2. Intellectus possibilis est agens, ergo non sunt distinguendi vllo modo, maximè in Angelis, intellectus possibilis, & agens, patet consequentia, quia intellectio est actio; ergo intelligere est agere; ac proinde intelligens est agens. Resp. neg. conf. ad prob. dicitur, quòd intellectio non est actio de genere actionis, sed actio de genere qualitatis; quàmuis scilicet actio accipiatur pro actu producto, & non pro trasmutatione productiua.

Arg. 3. Actio immanens est in agente, sed intellectio est actio immanens, & est in intellectu possibili, ergo intellectus possibilis est agens. Resp. Actio immanens est in agente, eo quod fiat in agente, propriè loquendo de agente, neg. mai. eo quod non terminetur ad aliquem terminum productum in esse reali, tanquam ad passum conc. mai. & concessa min. negatur conseq. ob rationem assignatam.

Arg. 4. Intellectus possibilis elicit intellectionem, sicut voluntas volitionem, sed voluntas est agens respectu volitionis, ergo pariter intellectus possibilis est agens respectu intellectionis. Resp. ad mai. quòd intellectus possibilis passiuè elicit intellectionem, intellectus autem agens, actiuè; elicere autem conuenit, tam principio actiuo, quam passiuo, sed diuersimodè, videlicet vni actiuè, alteri passiuè; ita Nicolaus de Nise ad 3. q. intellectus humani; ex quò patet discrimen inter voluntatem, & intellectum.

Quæres. An intellectus Angelicus sit discursiuus ità vt ex rebus cognitis alias ignotas agnoscere valeat.

Resp. affirmatiue ex Scoto, q. 4. & 5. prol. & in 2. d. 1. q. 1. d. 7. vbi asserit, non videri probabile Angelis esse denegandum omnem prorsus discursum cont. D. Thomam, & Thom. p. 1. q. 58. art. 5. qui opinantur intellectum Angelicum non esse discursiuum, ità ut procedat à principijs ad conclusiones, seorsim eas intelligendo.

Prob. Scot. sic. Ideo Angelus non esset discursiuus, quia non haberet virtutem deducendi conclusiones ex præmissis, ex hypothesi, quòd conclusiones non essent ipsi notæ; vel quia omnes conclusiones ipsi fuissent notæ ab innitio suæ creationis; vel deniquè, quia saltem habitualiter eas no-

nouisset ab ipso exordio suæ formationis: sed nullum istorum rectè potest affirmari; ergo &c. Non quidem primum; esset enim imperfectio in Angelo, si non haberet virtutem colligendi ignotum ex cognitis; nequè secundum, eo quia falsum est, quod Angelus omnes conclusiones actu simul intellexerit, alias infinitas ferè cognouisset virtute naturali, cum infinitæ conclusiones ex rebus creatis inferre possint, quod implicat in intellectu creato. Nequè tandem tertium; quàmuis enim Angelus omnia habitualiter nouisset ab initio, vel per habitum, vel per species diuinitus ei inditas, non tamen indè sequeretur, quòd non esset discursiuus; sicut à pari homines non minus forent discursiui, estò agnoscerent omnes conclusiones per species sibi à Deo inditas, vt constat de Anima Christi. Quod si opponantur à Thomistis autoritates SS. Patrnm, & signanter D. Dionysij, & D. Bernardi, qui videntur tradere, Angelos sine discursu intelligere.

Resp. Sanctos Patres tantum velle, Angelos non intelligere modo humano, sed independenter à materia, & à phantasmatibus, nequè cum labore, & difficultate, vti homines scientias comparare; ex quò patet, Angelos reuerà proficere posse in scientia.

QVÆSTIO II.

Vtrum ad res cognoscendas indigeat Angelus rationibus cognoscendi.

NOt. 1. Quòd ratio cognoscendi, aliquando est ipsa essentia rei cognitæ, vt patet in cognitione intuitiua; aliquando autem est aliud ab essentia rei, & tunc verè, & propriè dicitur species intelligibilis, quòd si interdum dicatur habitus, hoc solum est, quia habet modum formæ permanentis, non de facili delebilis: habitus enim, propriè dictus, generatur ex actibus. Species autem intelligibilis diuiditur in speciem impræssam, & expræssam. Prima sic describitur: est virtualis similitudo alicuius obiecti, effectiuè concurrens cum intellectu ad cognitionem producendam, de qua plura diximus in disp. de visione beatifica, querendo: An sit possibilis species impræssa Diuinæ

 essen-

essentiæ ad eam intuitiuè attingendam. Species expræssa est terminus internus cognitionis, qui in intellectu dicitur verbum mentis, in immaginatione phantasma; quod quidem Verbum est imago expræssa ipsius obiecti cogniti.

Not. 2. Quòd omnes Theologi conueniunt, in Angelis fuisse concreatas saltem species rerum vniuersalium, etiam præstantiorum indiuiduorum, quæ Deus, vel formauerat, vel formaturus erat. Siquidem hæc veritas apertè deducitur ex S. Scrip. quæ Ecclesiast. cap. 17. affirmat, quòd Deus primos parentes repleuerit disciplina intellectus, scientia, spiritus, & sensu repleuerit cor eorum. Quarè si homines Angelis inferiores huiusmodi dona à Deo receperunt, iure meritò eadem, & potiora donata fuisse Angelis, afferere debemus; audiamus quid dicatur de Lucifero in Ezechiel. 28. *Tu cherub signaculum similitudinis, plenus sapientia, & prefectus decore in delicijs Paradisi Dei fuisti. Tu Cherub extentus, & protegens, perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te*: quæ in sensu allegorico à Sanctis Patribus de Principe rebellium Angelorum interprætantur. Cæterùm huiusmodi specierum infusio non est dicenda naturalis, quasi natura Angelorum illas exigat, estò species ipsę naturalium rerum sint in substantia naturales, quia Angelus potuisset sua facultate aquirere rerum cognitiones, ac proindè sibi species comparare: sed talis infusio potius dicenda est gratuita, quàmuis fundata in libertate Dei, & congruentia desumpta ex statu perfecto, in quò Angeli fuerunt creati.

I. Concl. Angelus indiget speciebus impræssis ad cognitionem abstractiuam rerum possibilium, aut præteritarum, aut futurarum, aut non sufficienter præsentium.

Prob. à Scoto in 2. d. 3. q. 10. Intellectus humanus eget speciebus ad rerum possibilium, & non debitè præsentium: ergo, & intellectus Angelicus. Conseq. patet, quia non est maior ratio de vno, quam de alio; immò fortassè facilius apparet, quòd intellectus humanus non indigeat speciebus, cum possit ipse determinari per species phantasticas, quòd in intellectu Angelico assignari non potest.

Prob. 2. Omne obiectum debet influere in potentiam, & eam determinare ad cognitionem, vel per se, vel per aliquid aliud, illud repræsentans, sed res illæ, abstractiuè

cogno-

cognoscendæ nequeunt per se ipsas mouere intellectum, cum non sint realiter existentes, nec ipsi debitè præsentes: ergo Angelus eget speciebus ad illas agnoscendas; & hæc eadem ratio militat de rebus absentibus. Quòd enim Angeli res corporeas existentes videre non possint in quacumquè distantia, insinuat S. Scrip. pluribi, & maximè Iob cap. 1. *Circuiui terram, & perambulaui eam &c. Nunquid considerasti seruum meum Iob?* & Matt. 12. *Et veniens inuenit eam vacantem, Scopis mundatam & ornatam, tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi.* Quarè etiam ex Doctrina Sanctorum desumitur, Animas in Lymbo, Purgatorio, aut Inferno, naturaliter ignorare, quæ hic aguntur; ac proinde necessarium fuisse, aut esse, eas instrui, siuè à nouiter aduenientibus, siuè à spiritibus bonis, vel malis; & hoc non nisi ob distantiam, quæ impedire potest huiusmodi notitiam. Similiter, quòd Beati in Cœlo intelligant præces nostras refertur in reuelationem Diuinam in Verbo, aut extra Verbum. Vndè historiæ referunt, Dæmones inuicem nunciare, quæ in diuersis orbis partibus contingunt. Itaquè res debent esse in proportionata distantia, ad hoc vt Angelus eas cognoscere valeat, & intueri.

Verùm his non obstantibus Malderus q. 55. art. 2. citans D. Thomam censet, Angelos etiam malos posse intueri rem quantumcumquè distantem, ac proindè dum volunt aduertere posse videre quid per totum mundum fiat, estò à loco se Angelos non moueant, nisi diuinitus impediantur. Quod si Animæ Defunctorum, & Dæmones nesciant, quæ à nobis fiant, dicit cum Ferrariensi, prouenire non ex locorum distantia, sed ex Diuina ordinatione. Ex qua doctrina inferri potest, qualiter Animæ Sanctorum etiam naturaliter intelligant præces ad se directas. In quam sententiam inclinat etiam noster Herincx, dicens sic in parte sum. Theol. & planè mirum foret, oculum intellectualem, qui per corpora opaca non impeditur; naturaliter videre non posse in locis subterraneis, quæ aguntur super terram, cum oculus corporeus videre possit Sydera, tam imenso spatio distantia.

II. Concl. Angelus non indiget speciebus impræssis ad res præsentes, siuè spirituales, siuè materiales intuendas, dum-

dummodo sint debitè approximatæ, est Scoti in 2. d. 3. q. 10. & est communis.

Prob. Species ponitur ad suplendas vices obiecti, vel absentis, vel non potentis per se mouere potentiam: sed tam spiritualia obiecta, quam materialia possunt per se imediatè mouere potentiam intellectiuam Angeli; ergo Angelus non indiget &c.

Confirmatur. Angelus intuetur ipsas species intelligibiles seù impræssas sine alia specie, alioquin daretur processus in infinitum, ergo pariter potest Angelus, sine speciebus intueri alia obiecta, siuè spiritualia, siuè materialia.

Arg. cont. 1. conc. Nihil imperfectius re materiali potest esse perfectio Angeli, sed species rei materialis est imperfectior ipsa re materiali, ergo talis species non potest esse intellectui Angelico ratio cognoscendi.

Resp. dist. mai. perfectio entitatiua, seù essentialis, conc. mai. perfectio accidentalis, qualis est species, nego. Tertia conc. vide infra cart. 60.

Arg. 2. Angelus habens species plures, quero, vel necessariò fertur in obiecta illarum specierum, vel non, non primum, quia sequeretur, quòd semper esset in actuali, & necessaria intellectione, quasi infinitorum obiectorum, ergo secundum, ergo ad res intelligendas, de quibus species habet, debet determinari per aliquid aliud, distinctum à speciebus; subsumo min. sed illud aliud determinatiuum posset ipsum intellectum determinare, tam seclusis speciebus, quam præsentibus ipsis, ergo &c.

Resp. quòd intellectus non necessariò fertur in obiecta, quorum habet species, quando species illæ ipsi intellectui debitè non rapræsentantur, & in eo non relucent actu, veluti imagines rerum, sed solum, quando in ipso relucent, & debitè rapręsentantur, quia cum intellectus sit facultas naturalis, etiam naturaliter operatur circa obiecta, debitè sibi proportionata, vt patet etiam de oculo, & sic pariter respondet ad omnia, quæ in argumento subduntur.

Dices. Species possent esse debitè propositæ intellectui, & omnes relucere, & sic omnia intelligere, sed hoc videtur absurdum, ergo &c.

Resp. quòd Angelus potest conuertere suum intellectum, modò ad vnam speciem, modò ad aliam, & sic intueri

tueri, modò vnum obiectum, & modò alterum. Non enim Angelus est deterioris conditionis, quàm sit homo, qui, vt experimur, potest pro suo libito in se excitare species alterius, & alterius obiecti, estò species deindè determinent intellectum ad cognitionem talis obiecti.

Arg. 3. Intellectus noster cognoscit aliqua, sine speciebus; intelligit enim res Spirituales, relationes, entia rationis, quorum sicut nullum datur phantasma, ita nulla dari potest species, ergo, cum intellectus Angelicus sit magis actiuus, omnia intelligere potest sine speciebus.

Resp. neg. antecedens. Nam res Spirituales à nobis intelliguuntur, quòad prædicata communia, vel propria ex communibus, quorum etiam in intellectu nostro dantur species, vt docet Scotus in p. d. 3. q. 2. §. dico. Vbi sic ait: Imprimens intellectui nostro speciem vnius vniuersalis, in illo quoquè causat speciem vniuersalioris, etiam transcendentium. Similiter relationes reales cognoscuntur per species suorum extremorum, & entia rationis, ab intellectu ficta instar entium realium, cognoscuntur per proprias species exrremorum.

Arg. 4. Species est eiusdem rationis cum eo, cuius est species, ergo non opportet speciem ponere.

Resp. dist. antecedens, quatenus est imago repræsentans illud, conc. quòd sit eiusdem rationis; itaut obiectum possit se habere in ordine ad potentiam, sicuti species; si loquamur de cognitione abstractiua, neg. ant. Itaquè species dici potest eiusdem rationis in repræsentando obiectum, cuius est imago.

Contra. Præsentia obiecti est causa speciei, & non è contra, ergo si prima repræsentatio in intellectu Angelico non est per speciem, superfluum est ponere speciem.

Resp. dist. ant. In cognitione intuitiua, conc. abstractiua neg. Abstractiua enim cognitio obiecti habetur per speciem, iam receptam eiusdem obiecti.

Quæres. Vtrum Angelus cognoscat se ipsum sine specie.

Resp. Affirmatiuè, cum Scoto in 2. d. 3. q. 8. Ratio, assignata est superius; eò quia species tantùm ponitur ad supplendum absentiam obiecti, vel in defectum eius; cum igitur substantia ipsius Angeli sit præsens intellectui eius-

dem Angeli, etiam in ratione obiecti intelligibilis, non est necesse ponere speciem; secùs autem in cognitione abstractiua. Idem est dicendum de anima separata, estò coniuncta corpori nequeat se intuitiuè cognoscere.

Quæres 2. An Angelus naturaliter cessare possit ab omni cognitione.

Resp. Angelus non potest cessare ab omni cognitione, posset tamen à sui ipsius cognitione, aut etiam Dei: ratio est, quia intellectus Angeli est causa necessaria; ac proinde, positis quæ ad agendum exiguntur, necessario agit, & intelligit; neque subditur intellectus imperio voluntatis, saltem quò ad euidentia; vndè solum subiacet indirectè, quatenus voluntas, vel diuertit ad alia consideranda, vel obiectum remouet, non tamen omnia obiecta remouere potest, quòd si id concedamus, saltem se ipsum amouere nequit. Quòd autem cessare possit à cognitione sui ipsius, & etiam Dei.

Prob. quia, & si substantia Angeli sit ipsius intellectui obiectum, præsens semper, & proportionatum, tamen simpliciter posset velle tot alijs per intellectum intendere, vt vis intellectiua exhausta simul se extendere non posset ad ipsummet Angelum; hoc idem à fortiori asserendum de cognitione Dei.

Cæterùm si Angelus esset solus, & nudatus omni specie, necessariò se intelligeret, cum nullum aliud obiectum tunc habere posset.

Quæres 3. Vtrum Angelus decipi possit in rebus agnoscendis.

Resp. affirmatiuè. Potest enim Angelus connaturaliter ex signis ineuidentibus, aut testimonio alterius fallibili aliquid cognoscere. Hac ratione Angeli mali frequenter decipiuntur, dum inordinati amoris, aut odij ducti affectu absolutè præbent assensum, vel dissensum ijs, quæ sunt incerta, vel tantum verosimilia. Verùm Angeli boni omnis inordinati affectus expertes, ne in verisimilibus decipiantur, non iudicant absolutè ea esse, aut non esse, ea forè, vel non forè; sed tantum iuxta verisimilitudinis gradum: ea verosimilia esse, vel non esse, fore, vel non fore. Accedit insuper Diuina prouidentia, eos ratione status beatifici præseruans ab omni errore, dirrigendo eos in

actus

actus veros, aut diuertendo à falsis, vel subtrahendo concursum; ità ex communi sententia discurrit noster Herincx in disp. de Angelis.

QVÆSTIO III.

Vtrum Angelus cognoscat quidditates creatas, per distinctas rationes, vel per vnam rationem possit plura intelligere; itaut Angelus superior per pauciores, ac vniuersaliores intelligat.

NOt. 1. Quòd quæstio præsens non intelligitur de quidditatibus, essentialiter subordinatis, quales sunt gradus metaphysici à generalissimo vsquè ad infimum specificum, in plura singularia per plures differentias indiuiduales diuisibilem; cum ista se habeant, vt superius, & inferius, & in inferiori contineantur actualiter, & essentialiter gradus omnes Superiores; estò probabile sit, vnumquodquè per propriam speciem intelligi posse: probabilius tamen Scotistæ passim tenent cum Scoto in p. d. 3. q. 2. §. quinto, dico. Magis, & minus vniuersale posse per eandem speciem cognosci; sed quæstio est de pluribus rebus, seù quidditatibus disparatis, siuè sint numero, siuè specie, aut etiam genere distinctæ. Insuper quæstio agitatur de speciebus, à Deo infusis, non verò de speciebus, ab obiecto productis. Tum quia negant Thomistæ tales species esse Angelo acquisibiles ab obiectis; Tum quia gratis concedunt huiusmodi species, ab obiecto productas, debere commensurari singulis obiectis; secùs autem discurrunt de speciebus à Deo infusis, dum putant esse altioris ordinis; ac proindè specificè differre ab acquisitis, quia, aiunt, descendere à Deo, & ab Ideis Diuinis; & sic posse vnam speciem esse rationem repræsentandi plura perfectè, & distinctè, vt infra magis patebit.

Not. 2. quòd in ha celebri controuersia quattuor reperiuntur opiniones. Prima est Henrici de Gandauo. quol. 5. q. 14. dicentis, Angelum cognoscere creaturas per vnum habitum scientialem, ipsi infusum, includentem essentialiter relationes ad omnes quidditates existentes, & possibiles; itaut intellectus non possit capere istam qualitatem,

tem,

tem, nisi capiat scibile ab ipso dante habitum, & si infinitæ species essent causandæ, omnes posset intellectus Angelicus perfectè cognoscere per talem habitum; & alia plura habet pro confirmatione suæ sententiæ, quæ videri possunt in Scot. in 2. d. 3. q. 10. vbi etiam eam Doctor impugnat pluribus rationibus, inter quas hæc est præcipua... Vbi pluralitas concludit perfectionem intensiuè, infinitas concludit infinitatem intensiuam; sed si secundum ista res cognoscitur perfectè, aliqua virtus intensiua requiritur ad cognoscendum; ergo si cognoscantur infinita, vel non tot, quin plura, ille habitus erit infinitus, quòd est impossibile.

Confirmatur, quia talis habitus, seù species esset proxima causa infinitarum cognitionum, seù non tot, quin plurium, & hæc ratio valet etiam contra Thomistas, ponentes in supremo Angelo vnicam speciem, qua omnia intelligit.

Secunda opinio est D. Thomæ, censentis vnam speciem repræsentare posse plura obiecta disparata, tum numero, tum etiam specie, vel genere distincta; immò posse plura, & plura in infinitum. Quarè gratis concedunt, producibilem esse à Deo speciem repræsentatiuam infinitorum obiectorum, saltem synchategorematicè, & quòd superior Angelus, quia per pauciores species intelligit, habet species vniuersaliores, & plura repræsentantes, quam Angelus inferior: contra quas opiniones insurgit Scot. sic. Quicquid est ratio perfectè cognoscendi aliqua plura, est alicuius primi obiecti, in quò perfectè continentur illa cognoscibilia: sed nulla talis ratio vna potest esse in Angelo respectu omnium quidditatum creatarum, ergo &c. mai. patet primò exemplo, quia essentia Diuina est primum obiectum cognitum, & ratio essentiæ est vna, respectu essentiæ cognitæ, per quas cognoscuntur omnia obiecta secundaria, quæ per proprias rationes cognoscuntur: secundò, prob. eadem maior duabus rationibus. Prima est. Non potest esse vnitas in posteriori essentialiter, nisi sit vnitas in priori essentialiter; sed ratio cognoscendi in intellectu creato est posterior obiecto cognito; quia obiectum per se istam rationem mensurat, ergo necesse est, vnum esse obiectum, quia est ejus mensura, si mensuratum sit vnum.

Prob. 2. Nihil est ratio cognoscendi aliud perfectè, nisi sit propria ratio eius formaliter, vel istam rationem contineat virtualiter, sed non potest esse vna propria ratio formalis, & plurium: ergo erit vna continens proprias rationes plurium virtualiter; ac proindè obiectum eius, eadem ratione continet virtualiter ista plura obiecta; nam, quando aliquid est ratio cognoscendi plurium obiectorum, obiectum illius rationis primæ continet perfectè obiecta istarum plurium rationum: min. patet; quia nulla vna entitas potest esse in superiori creato, quæ contineat perfectè, & eminenter omnia, quæ continentur in omnibus inferioribus; ergo nulla vna ratio intelligendi potest esse perfecta ratio cognoscendi omnes quidditates creatas.

Thomistæ non satis conueniunt in respondendo rationibus Scoti. Vnde cum eorum responsiones sint infirmæ, immò nullius solutionis, vt videri potest in Mastrio disp. de Angelis q. 7. vbi illas fusè recitat; ideò pergo ad probandum non posse dari speciem, quæ plures disparatas quidditates repræsentare valeat.

Prob. Species est naturalis, & expressa obiecti similitudo, ergo fieri non potest, vt vna, & eadem species, & similitudo disparatas quidditates, puta hominem, & plantam, & lapidem repræsentet; ac proindè non poterit vna, & eadem species esse similitudo plurium quidditatum, & ex consequenti Angeli, qui sunt superiores, non intelligent per pauciores, & vniuersaliores species.

Confirmatur, quia ex opposita sententia sequitur posse dari speciem tantæ perfectionis in repræsentando, quantæ perfectionis est Essentia Diuina in repræsentando. Ponatur, quòd aliquis Angelus supremus de facto intelligat per duas tantùm species, tunc producatur alius Angelus perfectior, iste intelliget per pauciores species, nempè per vnam, quæ erit ratio intelligendi infinita intelligibilia, infinita, inquam, singularia, & infinitas quidditates à Deo producibiles, sed hoc est manifeste absurdum: ergo &c. Deindè creatur à Deo alius Angelus perfectior, tunc iste, cum sit perfectior omnibus, intelliget per suam Essentiam, & sine vlla specie omnes quidditates creatas, sed hoc est impossibile. quia id soli Diuinæ essentię competere potest; ergo &c,

Tertia opinio est neutralium, qui estò cum Thomistis conueniant in priori puncto de vniuersalitate specierum in repræsentando plura, negant tamen quòd possint repræsentare infinita syncathegorematicè, siuè non tot quin plura, vel specie, vel numero distincta.

Cæterùm quidam alij admissa vniuersalitate specierum in vtroquè sensu, adhuc negant Angelos, quò perfectiores, eò per simpliciores, & perfectiores species intelligere; ità Ariaga, & plures alij, immò obseruat Rada, ipsos Thomistas valdè inter se discrepare in explicatione suæ sententiæ. Quarè contra istam opinionem militant eædem rationes, superius allatæ contra Thomistas, ideò &c. Quarta denique opinio est Scoti, & Scotistarum in 2. d. 3. q. 10. Aureoli maioris, qui negant positionem Thomistarum, & etiam possibilitatem, vt tactum est in superioribus rationibus; vnde sit.

I. Concl. Nequit dari habitus scientialis, nec species repræsentatiua infinitorum obiectorum, siuè non tot, quin plurium: est Scoti, vbi supra, & satis remanet probata ex dictis &c.

II. Concl. Nec vna species potest esse ratio Angelo distinctè cognoscendi plures quidditates disparatas, etiam si non infinitas: est Scoti loco cit. pro cuius probatione præter ea, quæ adducta sunt, adhuc prob. Species est similitudo, & imago naturalis repræsentans prototypum, ergò si prototypa sint contraria, & disparata, cuiusmodi sunt quidditas hominis, & lapidis, nullo modo potest eadem species; seù similitudo vtrumquè repræsentare. Idem enim esset, ac si vnam, & eandem imaginem hominis, & leonis fingeremus.

Nec valet respondere veram esse consequentiam de speciebus acquisitis, non verò de infusis, quæ cum sint superioris, & altioris ordinis possunt plura repræsentare. Non valet, inquam, eò quia species altioris ordinis nequit continere virtualiter omnes inferiores species, sed eminenter tantum, hoc est per excessum perfectionis; ac proindè nequit vna species infusa plura disparata repræsentare.

III. Concl. Estò darentur species in repræsentando vniuersales, tamen Angelus superior non intelligeret per pauciores, & vniuersaliores: Est Scoti, loc. cit. §. argumenta alte-

alterius opinionis contra Thomistas, qui vt loquitur Mastrius, ad oppositum tuendum, mirabilia effitiunt semper diuinando: sed omissa prolixitate Mastrij in discurrendo, breuitatis gratia sic probatur. Species ratione perfectioris potentiæ, in qua est, repræsentare non potest vniuersaliùs; eadem enim species in Angelo non repræsentabit plura, ac in Anima, seù in Angelo infimo, ergo Angelus superior non intelligeret, etiam admissa vniuersalitate specierum, per pauciores species: prob. ant. Demus vnum principium esse rationem cognoscendi tres conclusiones, v. g. animal rationale, ex quò infertur, hominem esse flebilem, & risus; & beatitudinis capacem, sed huiusmodi non esset ratio in Angelico intellectu intelligendi plures conclusiones, quam tres; ergo à simili, nec vna species erit ratio repræsentandi quattuor quidditates in Angelo; si est ratio repræsantandi solum duas in intellectu hominis; sed sequitur tantum, quòd eadem species repræsentabit clariùs, iuxta maiorem perfectionem intellectus; & hoc sufficit ad saluandum, quòd quantò magis creatura Deo appropinquatur, eò perfectius operatur, & intelligit; non verò quòd per pauciores species Angelus perfectior Deo magis appropinquans, intelligat; quæ quidem perfectio potiùs refunderetur in speciem, quàm in Angelum. Tum quia sequeretur secundùm hanc opinionem deueniri posse ad summum Angelum, qui per suam substantiam intelligeret, quod improbatum fuit supra.

Arg. pro opinione Henrici. Si in intellectu Angelico non poneretur habitus scientialis, sequeretur, quòd intellectus ille esset in potentia essentiali ad illum habitum habendum; ac proindè in ipso generari poterit ex frequentatis actibus, sed hoc est vilificare intellectum Angelicum, ergo ponendus est habitus scientialis concreatus à Deo. Mai. quoad primam partem patet: quia intellectus Angeli est capax talis, vnde si esset denudatus, posset generari ex frequẽtatis actibus; Angelus enim potest habere frequentatos actus. Prob. etiam sequela mai. quia tunc quoad actum primum non esset perfectus, sed potentialis, & imperfectus, sicut intellectus noster, quod absurdum est dicere de intellectu Angelico.

Resp. neg. seq. mai. quia tunc intellectus est in poten-

tia essentiali, quando est in potentia ad actum primum, idest, quando est denudatus specie intelligibili, quæ requiritur simul cum intellectu ad cognitionem producendam. Quarè, ponendo in Angelo species concreatas cum communi sententia Theologorum non est admittendus habitus scientialis.

Ad illud, quod tangitur de genitione habitus in intellectu Angeli: resp. Scotus dupliciter; primò negat generationem talis habitus, & rationem assignat; quia habitus non generatur in naturaliter, siuè in summè determinatis ad vnum, sicut in graui per quoscumquè descensus non generatur habitus descendendi; generatur igitur habitus solùm in potentijs indeterminatis ad actum per frequentationem actuum; Angelus autem est summè habilitatus ad intellectionem. Resp. 2. Nos posse concedere habitum posse generari in intellectu Angelico; ad rationem contra hoc, nempè quòd intellectus Angelicus tunc esset in potentia essentiali, idest ad actum primum, & ad actum secundum, negat consequentiam; nam habitus fit ex frequentatis actibus secundis; actus autem secundi præsupponunt primum, & consequenter non esset in potentia essentiali.

Arg. 2. auct. D. Dionysij de diuin. nom. cap. 7. vbi ait *Quod connexio vniuersi consistit in hoc, quòd supremum inferioris coniungitur cum infimo superioris*; sed sic est, quòd supremus naturæ humanæ est esse cognoscens promptè per habitum scientialem, ergo infimus Angelus debet cognoscere per habitum scientialem, ergo in vnoquoquè Angelo ponendus est habitus scientialis.

Resp. Scotus, veram esse Doctrinam D. Dionysij, vbi illud, quod ponitur supremum in inferiori, non repugnat superiori; at habere talem habitum scientialem repugnat superiori; quia in nobis est perfectio, supplens imperfectionem, sicut generare, sentire &c. quæ tamen non ponuntur in Angelis.

Arg. 1. A Thomistis cont. 1. conclus. Non repugnat per cognitionem creatam cognosci omnia possibilia, quia etiam in sententia Scoti talis cognitio non esset infinita, vt probabiliter docet Scotus de Anima Christi; ergo nec repugnat, quòd detur vna species, habens virtutem con-

currendi ex parte obiecti ad eam cognitionem; quia adhuc minor est perfectio speciei, quam illius cognitionis actualis.

Resp. neg. assumptum, &, licet Scotus teneat Animam Christi videre omnia possibilia, hoc tamen docet, non quòd Anima per actum beatificum videat immediatè omnia obiecta secundaria, sed quòd in Verbo ei omnia possibilia repræsentantur. Quòd si Aduersarij contendant, posse Beatum videre omnia possibilia in Deo vnico actu ex vi ipsius visionis, id, eadem prorsus ratione, negamus, qua negatur de specie impressa. Vide disp. part. 3. disp. de scientia Christi.

Arg. 2. Nulla est repugnantia, quòd tot illa multitudo syncathegorematica per vnam speciem repræsentetur; quia totum illud obiectum est finitum simpliciter; ergo per finitam repræsentari potest.

Cofirmatur. Nam potest aliquis intellectus habere principium repræsentatiuum infinitarum rerum, saltem in potentia, idest non tot, quin plurium sicut de facto Anima Christi per scientiam infusam habet principium cognoscendi omnes cogitationes Angelorum, & hominum per totam æternitatem; sed non possunt simul actu dari infinitæ qualitates, siue non tot, quin plures; ergo omninò vna sola qualitas, seù species intentionalis poterit repræsentare plura etiam infinita.

Resp. neg. assumptum, cum eius confirmatione. Etenim, cum multitudo syncathegorematica non sit quid creatum, ac determinatum, vt traditur in Physica, sed indeterminatum, & confusum, nequit dici totum illud obiectum esse simpliciter finitum; Tum quia in tali obiecto nullus est terminus perfectionis finitæ. Ad confirmationem patet quid sit dicendum.

Arg. 3. Non maior repugnantia apparet, quòd vna species habeat virtutem concurrendi loco diuersorum obiectorum, quam vna, & eadem potentia possit concurrere ad plures actus diuersos; sed vnus intellectus ex parte potentiæ concurrit ad omnes actus, etiam syncathegorematicè infinitos, ergo sic etiam potest ad eos concurrere vna species loco obiecti.

Resp. neg. paritatem; & ratio est; quia vt optimè dis-

currit Lychetus in 2. d. 3. q. 10. istæ perfectiones, nempè cognitiones tot obiectorum, vel cogitationum non requiruꝰt aliam, & aliam perfectionem in intellectu, cum ea; quæ sufficit ad vnam intellectionem, sufficiat etiam ad cognitionem alterius in ratione potentiæ. Si autem intellectus supplere deberet causalitatem alicuius obiecti, sicut suplet species, de necessitate exigeretur in intellectu maior perfectio.

Arg. 4. Sicut per speciem impressam, vel saltem expressam creatam repræsentatur Deus, obiectum infinitum, vt docet Scot. in 2. absquè eo, quòd inferatur in ea infinitas simpliciter, sed solùm infinitas secundum quid, ideſt in repræsentando; ita etiam per speciem finitæ virtutis repræsentari poterit infinita multitudo, nedum indiuiduorum, sed etiam specierum; non enim apparet maior ratio de vna, quam de alia; immò plus est repræsentare Deum, quàm infinita obiecta creata: ergo &c.

Resp. Lychetus in 2. d. 3. q. 9. quòd non est par ratio; quia aliud est repræsentare infinitum sub ratione, qua infinitum est, & aliud est repræsentare infinita obiecta; primo modo non oportet, quòd species sit infinita, & maximè dum repræsentat velatè, & in ordine ad actum talis potentiæ, vt in sequenti quæstione ostenditur. 2. autem modo exigitur, quòd species sit infinita ob rationem assignatam. Resp. 2. neg. paritatem; quia species repræsentans D. essentiam in cognitione abstractiua velatè, nequè est infinita in genere entis, quia species vniuersaliter deficit ab entitate obiecti, nequè in proprio ordine intentionali, seù in genere repræsentatiui; cum non repræsentet essentiam Diuinam, quantum est de se repræsentabilis: secùs autem est in proposito de specie infinita obiecta repræsentante; licet enim ex eorum infinita multitudine non cresceret species in perfectione in eodem genere, & ordine perfectionis cum obiectis repræsentatis, quia species semper deficit ab entitate obiecti; cresceret tamen in suo ordine intentionali aritmeticè, seu quantitatiuè, quia esset illis adæquata secundum proportionem repræsentantis ad repræsentatum. Vnde fit maxima. Quando aliquod repræsentat plura, quorum quodlibet exigit specialem perfectionem in repræsentante, tunc repræsentans infini-

ta debet esse infinitum in perfectione, e. g. species repræsentans Aquilam, Leonem, Hominem Angelum &c. debet continere in se virtualiter, seu eminenter perfectiones omnium illorum obiectorum in esse intelligibili.

Arg. cont. 2. conc. Nulla apparet repugnantia, quòd species creata, quatenus est quædam participatio Idearum Diuinarum, ac proindè Diuinæ essentiæ, repræsentet plura: ergo talis species est admittenda &c.

Prob. ant. Virtutes, dispersę in inferioribus causis, vniuntur in causa superiori; sed species sunt quædam virtutes complentes actiuitatem potentiæ intellectiuæ: ergo possibile est virtutem in inferioribus speciebus dispersis, quales sunt species ab obiectis acquisitæ ità vniri in specie à Deo infusa, vt possit illa repræsentare plura obiecta disparata. Accedit etiam, quòd vnica visione videmus campum, plantas, animalia, & alia, quæ in eo sunt; ergo vnica species poterit plura disparata repræsentare.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. assumptum in maiori, & dicimus, tunc assumptum esse verum, quando ex vnitate virtutis sequitur, quòd perfectius, aut citius habetur effectus, quod in proposito non contingeret; Angelus enim per vnam speciem, nec citius, nec perfectiùs intelligeret, v. g. decem obiecta, quàm per singulas species infusas illa decem obiecta repræsentantes. Ad illud, quod additur de vnica visione, dicendum breuiter, quòd singula obiecta immittunt species proprias, per quas fit visio, estò simul collectæ integrent quodammodo vnam totalem visionem.

Arg. cont. 3. conc. auct. D. Dionys. dicentis cap. 12. de Angelica Hyerarchia. *Angeli superiores habent scientiam vniuersaliorem, quàm inferiores*; ergo Angeli superiores habent species magis vniuersales, quàm inferiores.

Resp. Scotus. Quòd D. Dion. ibi per scientiam, & cognitionem vniuersaliorem non intelligit cognitionem habitam per species vniuersaliores, sed scientiam limpidiorem, & intensiorem; nam alia translatio, loco huius verbi (vniuersaliorem) habet totalitatem scientiæ, idest perfectiorem.

Arg. 2. Virtutes dispersæ in causis inferioribus vniuntur in causa superiori, ergo Angelus Superior per pauciores species intelligit; ant. prob. nam sensus communis co-

gnoſcit plura obiecta, repræſentata in ſenſibus externis per proprias ſpecies: ergo per vnicam ſpeciem &c.

Reſp. Fauent. Quòd illud Axioma valet in cauſis primarijs, non verò in ſecundarijs, quales ſunt ſpecies. Vel dicitur quòd valet in virtutibus, quæ ſunt vnibiles in cauſa ſuperiori, quod in propoſito non contingit. Quare docet Scotus in 2. q. 10. quòd aliæ ſunt virtutes actiuæ, quarum vnitas non pendet ex vnitate obiecti, vt calor frigus, & ſimilia, & hæ quidem vniuerſaliter vniri poſſunt in virtute altioris ordinis, quia vnitas caloris non pendet ab vnitate ſubiecti, circa quod operatur, neque ex virtute caloris producti, quia vnitas prioris non pendet ab vnitate poſterioris, ſed è contra. Aliæ verò ſunt virtutes, quarum vnitas neceſſariò pendet ab vnitate ſui obiecti, eo modo, quo vnitas poſterioris pendet ab vnitate prioris, & ſic ſe habent ſpecies intentionales, cum ab eo dependeant, ſicut menſuratum à menſura, & hæ adunari nequeunt in vna virtute altiori, niſi detur aliquod obiectum, ſibi correſpondens, vt ſupra dicebamus.

Neque exemplum de ſenſu communi verum eſt in ſententia noſtra, cum Scotus neget, ſenſum communem per vnam ſpeciem ea omnia cognoſcere, quæ ſenſus externi per plures cognoſcunt, ſed per diſtinctas ſpecies, vt patet lib. de Anima, cognoſcit illa.

Arg. 3. Angelus cognoſcit omnes ſpecies figurarum, & numerorum poſſibilium, ſed non cognoſcit ſingulas illas differentias ſingulis ſpeciebus, aliàs in Angelo eſſent infinitæ ſpecies actu; ergo cognoſcit illas per ſpecies vniuerſaliores. Reſp. neg. Aſſumptum: falſum eſt enim Angelum cognoſcere actu ſimul omnes ſpecies numerorum, ſed poteſt ſucceſſiuè illas cognoſcere, non quidem per ſpecies vniuerſales, ſed per diſtinctas ſpecies, quæ ſi ſint finitæ habet illas concreatas; ſi verò infinitæ non habet omnes concreatas, ſed aliquas, & cœteras à rebus accipit.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angelus habeat notitiam naturalem distinctam Essentiæ Diuinæ.

NOt. 1. Quòd perspicuum satis est, Angelos, cum sint longè perspicaciores hominibus, viribus naturæ, citrà Dei reuelationem Deum cognouisse, sed in præsenti queritur de medio, quo existentes in via, Deum cognouerunt, de quo tres extant opiniones. Altera Henrici quodl. 3. quæst. 1. vbi tenet Angelum nullam habere cognitionem distinctam Dei, seù Essentiæ Diuinæ, sed solùm confusam, qualem habemus nos.

Altera est D. Thomæ p. 1. quæst. 56. art. 3. qui tribuit Angelis mediam Dei cognitionem inter Beatam, & eam, quam nos per Creaturas acquirimus, dicentis, quòd Angelus per se, quatenus est Imago Dei, cognoscit ipsum Deum.

Tertia est Opinio Scoti in 2. dist. 3. quæst. 9. existimantis, Angelos, in via existentes, habuisse distinctam notitiam Dei per speciem, ipsis à Deo concreatam, repræsentantem Diuinam Essentiam, non adæquatè, & simpliciter, quantùm est repræsentabilis, sed in comparationem ad talem actum, vt magis patebit infra.

Not. 2. Quòd vt habet Scotus in responsione ad primum Henrici, species tripliciter potest intelligi adæquata; primo modo, quòd sit adæquata in entitate. 2. quòd sit adæquata secundùm proportionem repræsentantis ad repræsentatum absolutè; 3. secundum proportionem, non absolutè, sed per comparationem ad actum talem (licèt non secundum entitatem) tamen ista est perfectibilis, sicut illa est perfectiua, & ista repræsentat quantum est repræsentabilis in comparatione ad talem actum. Primo modo vniuersaliter, nullum per se repræsentans (quod est ratio repræsentandi, & non cognitum) adæquatur illi, quod repræsentat, vt patet de albedine, & de specie albi. 2. modo aliqua ratio repræsentat per adæquationem, sicut species perfectissima albi repræsentat illud album. 3. modò quæcunquè albi species etiam in oculo cæcutiente, licet non ità perfectè repræsentet album, sicut esset repræsenta-

tabile, tamen perfectè repræsentat illud per comparationem ad actum sequentem, quià ità perfectè repræsentat, sicut requiritur ad habendum talem actum circa obiectum. Ad propositum igitur dico, quòd nulla species per adæquationem potest repræsentare Essentiam Diuinam (loquitur hic Scotus de notitia abstractiua) primo modo, nec 2. modo, sed 3. modo comparando ad intellectum creatum aliquo modo potest habere speciem, quæ scilicet ità perfectè illam Essentiam repræsentet, sicut actus talis intellectus attingit; hæc Scotus.

Not. 3. ex Scoto in Report. quòd Imago dicitur dupliciter primo modo, sicut species in oculo dicitur species, imago visibilis. 2. modo, sicut Imago Herculis, & hoc modo imago ducit in cognitionem illius, cuius est, numquam tamen per signum cognoscitur signatum, nisi prius cognoscatur signum, & esse signum talis rei; ac proinde oportet priùs cognoscere istam rem, cuius est imago, quàm imaginem; aliàs non plùs cognosceretur signatum, quàm priùs; ex quo infertur non subsistere opinionem Thomistarum dicentium, Angelum cognoscere Deum per seipsum, quatenùs est Imago Dei.

Not. 4. Quòd principium alicuius effectus dupliciter dicitur naturale; primò quando ex viribus naturalibus attingitur effectus, vt intellectus sua virtute attingit obiectum, illud cognoscendo. 2. dicitur naturale, quia est concreatum, & de ratione alicuius status; in quo sensu iustitia originalis, concessa à Deo homini in statu innocentiæ, dicebatur naturalis. Vnde cognitio Angelorum in via de Deo per speciem concreatam dicitur naturalis, quia erat de ratione illius status, & dicitur etiam supernaturalis, quatenùs non erat, nec esse poterat ex viribus naturalibus, sed à Deo solo, quàmuis non sit principium actus gratuiti, & gloriosi, non enim est ordinis supernaturalis, sicut gratia, & gloria, sed ordinis naturalis.

Concl. Probabilissimum est, & rationabile Angelis Viatoribus concreatam à Deo fuisse speciem, qua Deum cognoscere potuerant distinctè: est Scoti, & Scotistarum: prob. ex Scot. Dico igitur breuiter ad quæstionem, quia non habemus regulam de intellectu Angelico, neque enim possumus attribuere illi omnem perfectionem, quæ est in

intellectu simpliciter, neque tantum imperfectionem, quæ est in intellectu nostro, quia rationabile est illi attribuere omnem perfectionem, quæ conuenit intellectui creato, & nulla repugnantia occurrit, quod intellectus creatus habeat talem cognitionem per speciem distinctè repræsentantem Diuinam Essentiam; tamen non intuitiuè, ergo rationabile est talem notitiam Angelis concedere. Quod autem talis species sit ponenda persuadetur sic à Scoto. Beatitudo naturalis Angeli excedit naturalem beatitudinem hominis in statu innocentiæ: sed homo in tali statu habere potuit aliquo modo cognitionem distinctam de Deo, ergo multo magis Angelus: sed cognitio distincta nequit haberi nisi per distinctum repræsentatiuum, ergo Angelus potuit habere speciem distinctè repræsentantem Diuinam essentiam, & consequenter volitionem summi boni distinctè, quod est maior beatitudo.

Persuadetur 2. à Scoto sic: Aliquis raptus videns transitoriè Diuinam essentiam, cessante isto actu videndi, potest habere memoriam obiecti, & hoc sub ratione distincta, sub qua erat obiectum visionis, licet non sub ratione præsentis actualiter: ergo dari potest species hoc modo Diuinam essentiam abstractiuè repræsentantem: prob. assumptum per raptum D. Pauli, qui recordabatur eorum, quæ viderat iuxta illud ad Corint. *Scio hominem in Christo ante annos 14. siue in Corpore &c. & audiui arcana Dei, quæ non licet homini loqui.*

Persuadetur etiam Doctrina D. Aug. lib. 4. super Gen. cap. 3. vbi inquit: Angelos in statu innocentiæ, & in via habuisse cognitionem matutinam creaturarum, & vespertinam; & vocat matutinam cognitionem creaturarum in verbo non intuitiuè, sed abstractiuè cognito per aliquam speciem creatam, quia tunc non erant beati, & inter beatitudinem naturalem, & supernaturalem intercessit aliqua morula; appellat autem cognitionem vespertinam cognitionem creaturarum in proprio genere; ergo admittenda est in Angelis talis species.

Arg. 1. cont. conc. Quod distinctè cognoscitur, cognoscitur secundùm propriam rationem formalem, qua ponitur in esse proprio essentiali, & quidditatiuo; sed Deus nequit per speciem cognosci in esse proprio, & quidditatiuo

tiuo, quia cognosceretur sub ratione Deitatis; ergo Angeli nequeunt distinctè Deum per speciem cognoscere.

Resp. dist. mai. quod distinctè, & adequatè cognoscitur, & simpliciter, cognoscitur sub ratione propria, & essentiali conc. si non adæquatè, & simpliciter, sed tantum quantum potentia cognoscens capere potest; nego.

Contra. Si Angelus posset habere distinctam, & quidditatiuam cognitionem Dei, sequeretur, quod posset etiam intueri Deum; cum cognitio intuitiua sit notitia propria, & quidditatiua: sed hoc est hæreticum; ergo &c.

Si dicatur quod ad cognitionem intuitiuam non solum requiritur, vt cognoscatur secundùm propriam quidditatem, sed etiam secundum propriam existentiam, & præsentiam, ut vult Scotus, hoc non impedit, quin illa cognitio per quidditatem sit intuitiua, quia existentia non est separabilis à quidditate, nec quidditas ab existentia, ac proindè nequit intelligi vnum sine altero, & idem dicendum de præsentia; est enim Deus præsens omnibus rebus: ergo &c.

Resp. neg. seq. mai. quia talis cognitio non est simpliciter perfectissima, sed secundum quid tantùm, & in comparatione ad talem actum. Deinde quando dicitur quod non potest haberi cognitio distincta, & quidditatiua, quin cognoscatur existentia actualis ac præsentia illius ratione identitatis; concedimus, quod existentia non est separabilis à quidditate Dei, & similiter præsentia; ex hoc tamen non sequitur quod sit cognitio intuitiua, quia existentia, & præsentia potest repræsentari abstractiuè per speciem etiam absente obiecto, vt patet, e.g. de Roma existente, quæ per speciem repræsentatur in eo, qui Romamiam viderat.

Cæterùm ad illud quod tangitur de præsentia dicimus quod duplex est Dei præsentia, alia in genere ubi, & sic Deus per suam immensitatem omnibus rebus est præsens; alia in ratione obiecti, & per propriam essentiam, & sic Deus non est præsens habenti speciem repræsentantem Diuinam essentiam.

Contra. Absentia obiecti nihil impedit, quin cognitio sit intuitiua, & beatifica, quia absentia, vel præsentia nihil variat in ipsa visione, dummodo intueatur Angelus

gelus essentiam obiecti existentis, ergo repugnat &c. ant. prob. dato, quod eclypsis esset beatitudo Astrologi, eamque videret per propr iam speciem eius repræsentantem ipsam perfectè, licet fieret in alio emispherio, attamen esset beatus in visione illius; ita in proposito dicendum de specie repræsentante Diuinam essentiam.

Resp. neg. ant. quia visio beatifica consistit in cognitione clara Diuinæ essentiæ, non in cognitione per repræsentatiuum, quæ regulariter semper est imperfectior visione intuitiua; licet enim aliquis videat figuram Herculeam, distinctè Herculem repræsentantem, non tamen ita perfectè videt Herculem, sicut si ipsum Herculem intuitiuè videret; & sic patet quomodo non est idem videre eclypsim per speciem, ac intuitiuè.

Arg. 2. ab Henrico. Omnis propria ratio intelligendi aliquod obiectum per adæquationem, repræsentat illud obiectum; sed nulla species vel essentia creata potest adæquatè repræsentare Diuinam essentiam; quia finiti ad infinitum nulla est proportio: ergo &c.

Resp. transeat maior: & dist. min. adæquatè, & absolutè conc. secundum quid, & in comparatione ad actum, neg. min.

Contra. Species creata vnius rei magis assimilatur alteri rei creatæ, quàm Deo; quia vtrumque finitum; ergo talis species distinctiùs repræsentat creaturam, quàm Deum, & per consequens non est propria ratio distinctè cognoscendi Deum, nec etiam in comparatione ad actum.

Resp. dist. ant. in entitate, & in essendo, conc. ant. in ratione proportionis, quæ est repræsentantis ad repræsentatum, neg. ant. Vnde docet Scotus, quod similitudo naturalis in essendo non est per se ratio repræsentandi vnum respectu alterius; quia hoc album quantumcunque simile alteri albo, non est ratio repræsentandi illud; species autem, quæ multò minus est in entitate naturali similis huic, est illius repræsentatiua.

Arg. 3. Vnum quodquè cognoscitur per suam similitudinem, sed Angelus est similitudo, & imago Dei, ergo Angelus Deum cognoscit per seipsum, seu per suam essentiam.

Confirmatur, quia, si Angelus intelligeret Deum per spe-

speciem, sequeretur, quod illa species esset magis imago, quàm Angeli, quod est contra D. August. lib. 14. de Trinit. cap. 8. vbi tradit, quod *Eo aliquod est imago Dei quo particeps eius esse potest*; ergo &c. Resp. dist. min. dissimulata mai. Angelus est imago Dei, quatenus ratio cognoscendi, neg. min. quatenùs res cognita, conc. min. Ad confirmationem dist. seq. mai. esset species magis imago Dei, vt res cognita, neg. ut ratio cognoscendi conc. Itaquè si spectemus Angelum, & speciem in ratione entis, & ut effectum, certum est quod Angelus est magis imago; at si consideremus illa, vt rationem cognoscendi, species est magis imago in ratione repræsentationis.

Arg. vlterius. Si illa species esset in intellectu vnius Angeli posset Angelus alius illam in eo videre; & sic naturaliter habere distinctam cognitionem Dei: sed hoc videtur absurdum, ergo. Resp. dist. mai. posset illam videre tanquàm rem cognitam in ratione entis, conc. tanquam rationem cognoscendi Deum, neg. Vide hoc idem argumentum in disp. de visione beatifica, & alia plura, quæ faciunt ad vberiorem doctrinam; & clariorem intelligentiam huius quæstionis, hæc confirmatio cum sequentibus rationibus reponenda est in quæst. 1. disp. 3. post improbationem responsionis Thom. ad prob. primam secundæ conclusionis, car. 47.

Confirmatur ex Macedo tom. 2. collat. 3. diff. 4. Intellectus patiens indiget, non solum speciebus inditis, sed promptis, & expeditis ad operandum, per quas reponatur in act primo; sed hæc opera est ab intellectu agente; ergo est necessarius: ant. patet, quia non satis est habere species inditas ad operandum, vt fiat certa, & expedita operatio, ut contingit in memoria, quæ cum sit custos specierum indiget excitatione, vt recordetur; ita & intellectus, estò habeat species congenitas, non potest per se eligere, & determinare has, vel illas ad operandum, cum præsertim in sententia D. Thomæ passiuè se habeat intelligendo; nam omnia fit; non facit teste Arist. Insuper. Impressio speciei ex parte principij ante intellectionem, & expressio eiusdem sunt res distinctæ, quia impressio speciei est ex parte principij; expræssio ex parte termini: impræssio est actio, expræssio est passio, impræssio est ab alio, & est quid tran-

siens,

ſens, expreſſio eſt quid immanens in uno, & eſt tota intellectus, agentis, & propria.

Præterea. Intellectus agens ponitur, ut ſpecies acceptas à ſenſibus depuret, & ad ſtatum imaterialitatis traducat, & hæc ratio eſt Achilles Thomiſtarum, ſed in intellectu angelico, vltra ſpecies ingenitas aduenit multa multitudo ſpecierum de nouo, quales ſunt contingentium, præſertim actionum liberarum; vt infra dicetur, euentuum futurorum, & illas, quas continue recipiunt in mutuo colloquio Angelorum, quas non habent cum loquuntur, ergo ob has neceſſarius eſt intellectus agens, qui eas debet formare, preparare ad vſum intelligendi, quæ ſubminiſtratio ſpecierum eſt in actu primo ante ſecundum, atque adeò propria intellectus agentis.

Quod autem ſolent reponere, eas ſpecies de nouo aduenientes produci à Deo connaturaliter in intellectu angelico (quod tamen difficile eſt credere) nihil prodeſt, quia illa productio ſpecierum non eſt tota præparatio, & adhuc ſupereſt exhibitio, & applicatio earum ad intelligendum, quæ munia non ſpectant ad intellectum patientem, cuius eſt ſolummodo actus intelligendi ſecundus, ita diſcurrit Macedo. Hæc 3. conc. reponenda eſt in quæſt. 2. diſp. 1. de Intellectu Angeli poſt ſecundam concluſionem cart. 50.

III. Concl. Per ſpecies concreatas non poſſunt Angeli cognoſcere complexiones contingentes; ac proinde ab illis ſpecies accipiunt. Eſt Scoti in 2. d. 3. q. 11. §. Reſpondeo. Prob. Hæc complexio e. g. Petrus docebit cras, eſt contingens, vt poſſit eſſe, & non eſſe: vel igitur cognoſcitur ab Angelo antequàm ſit, determinatè, aut non determinatè: ſi primum non cognoſcitur vt contingens: Si ſecundum requiritur alia ratio cognoſcendi præter ſpecies illas concreatas; ergo &c.

Confirmatur. Quia illa ſpecies repræſentat tantum illas terminos Petrus docebit; non autem contingentiam illorum, ergo non poteſt per illas haberi cognitio contingentiæ, quæ ſolum cognoſcetur, cum in re ponetur. Niſi fortè velis dicere Deum reuelare etiam ſuum decretum liberum de rei futuritione; quòd ſane nimio plus eſt, inquit Macedo, quàm quod debetur Angelo.

Præterea. Species Angelis concreatæ non ſunt perfe-

ctiores in repræsentando Ideis Diuinis; sed istæ non repræsentant complexiones contingentes, siue contradictorias certò, ac determinatè; ergo multò minus species istæ eas repræsentabunt; mai. pat. min. prob. Quia Ideæ Diuinæ antecedunt actum voluntatis Diuinæ, sine quo nullum est futurum contingens determinatum. ergo Idea non repræsentat &c.

Adde; quod posita locutione Angelorum (quam nefas est negare) incredibile videtur dari species congenitas omnium, quæ per totam æternitatem ad inuicem loqui possunt. Nam locutio est omninò libera, & de pluribus, & quasi infinitis secretis cordium, quæ non omnibus loquentes patere volunt: quomodo ergo species illæ congenitæ seruient ad hanc voluntariam, & secretam collocutionem. Certè cum ea, de quibus possunt loqui sint infinita, aut Deus non prouidit Angelis, non dando, aut si dedit, infinitas prouidit? Vtrum sit incredibilius, ait Macedo, Thomistæ iudicent; certè vtrumque videtur incredibile.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angelus sua naturali vi cognoscere valeat secreta Cordium.

NOt. 1. quod intellectus Angelicus, & humanus habent idem obiectum adæquatum, quamuis vnus alio perspicacior perfectiùs intueatur obiectum; vnde Anima separata, & Angelus agnoscere possunt quodlibet obiectum creatum positum in rerum natura; obiectum enim Angeli secundum naturalem attingentiam est ens finitum, & limitatum; sicut & intellectus Animæ separatæ; vt alibi dictum est.

Not. 2. Quod per secretum cordis aliqui intelligunt tam cogitationes internas mentis, quam etiam volitiones ipsas, quæ sunt operationes voluntatis. Alij verò intelligunt tantum operationes voluntatis, siue affectum voluntatis: de cogitationibus autem distingunt; potest enim cogitatio duobus modis considerari; vno modo secundum substantiam, & quatenus est præcisè intellectus operatio, nul-

nulla habita relatione ad voluntatem: secundo modo quatenus prouenit ex affectu, & imperio voluntatis in primo sensu volunt, non esse secreta cordium, sed in secundo sensu tantùm.

Not.3. Quod in hac quæstione sunt duæ opiniones, prima est Alens. p.2.q.26. memb.3. quam sequuntur D.Thom. D. Bonau. Ricard. & omnes ferè recentiores tam Thomistæ, quam neutrales, qui asserunt ita firmiter Angelos cognoscere non posse secreta cordis vel Angeli, vel hominis, ut contendant esse de fide. Angles in floribus Theologiæ, concedit, Angelum posse naturaliter cognoscere omnes cogitationes nostras naturales, quæ à voluntate non pendent, & actus voluntati subiectos, quos voluntas aliquando sine deliberatione, & libertate habet, qui dicuntur à Theologis, motus primò primi; non verò actus, qui à voluntate deliberatè pendent. Secunda opinio est Scoti in 2. d.9.q.2. in solutione primi argumenti principalis, quam confirmat 4. d. 10. q.8. in solutione 3. arg. principalis quomodocumque sumatur secretum cordis, siue pro cogitatione mentis, siue pro volitione, siue affectione voluntatis Angelum posse cordis secretum agnoscere. Verùm discrepant inter se Scotistæ; nam aliqui tenent, Scotum de facto negare Angelos cognoscere secreta cordium, siue bonos, siue malos, & in hoc sensu amplectitur ab Ocham, Gabrielle, Maiore, & à multis Scotistis. Alij verò per pendentes Scotum negatem in 4. loco cit. Dæmones de facto cognoscere secreta cordium, & mysteria gratiæ, quia hoc illis Deus non permittit, ne ingentia mala hominibus inferrent; censent Angelos bonos secundùm mentem Scoti, non solum posse, sed de facto cognoscere secreta cordium; Dæmones autem posse, sed de facto hoc illis Deum denegare.

I. Concl. Non est de fide, Angelos reuerà cordium secreta (supposito generali concursu Dei) uiribus proprijs cognoscere non posse: hæc est contra quosdam Neutericos, & signanter contra Suarez, Ariegam, & contra quosdam recentiores Thomistas.

Prob. generali principio Theologorum. Quod expressè non traditur à S. Scrip. nec explicitè in Euangelio continetur nec diffinitur in Concilijs, nec à Sanctis Patribus, nec

nec ab Ecclesia, quo ad doctrinam autenticam clarè docetur, non est dogma fidei, vel articulus, spectans ad fidei substantiam; sed Sanctos Angelos viribus naturalibus non posse penetrare secreta cordium nullibi in S. Scrip. traditur, nec in Concilijs diffinitur, nec ab aliquo Sancto autentico docetur, sed solum hoc expressè negatur de facto de Angelis malis; sic enim habemus in Auctore de Ecclesiasticis dogmatibus apud Aug. cap. 61. *Internas Animæ cogitationes Diabolum non videre, certi sumus*, ergo non est error in fide asserere, Angelos posse &c.

II. Concl. Angeli, spectata eorum vi naturali, possunt cognoscere secreta cordium quomodocumque summantur; de facto tamen soli Angeli boni ea cognoscunt.

Probatur Conclusio quoad primam partem. Actus huiusmodi interni, vt semel sunt actus eliciti, sunt obiecta proportionata intellectui Angelico; sunt enim actiones ordinis naturalis, aut qualitates naturales pertinentes ad ordinem vniuersi, sicut alia entia naturalia; ergo Angelus poterit illa cognoscere.

Confirmatur quia ista secreta sunt naturaliter intelligibilia ab ipso Angelo eliciente; ergo à quolibet alio pariter intelligibilia sunt; eo quia omnis Angelus intra spheram suæ actiuitatis omne intelligibile naturaliter concludit; ac proinde quidquid est intelligibile ab uno, erit, & à quolibet intelligibile.

Prob. 2. ex Scot. Quilibet Angelus naturaliter intuetur substantiam alterius siuè Animæ, siuè Angeli, & proprietates eius naturales; ergo poterit intueri etiam cogitationes, & volitiones in esse reali actuali positas; conf. patet, quia si potest naturaliter intueri principium, poterit pariter intueri effectus in tali principio contentos; etenim irrationabile videtur, quod aliquod creatum intelligibile, non supernaturale, nec ordinis Diuini, nullum intellectum creatum, habeat, cui sit proportionatum, & debitum.

Respondent Thomistæ primæ rationi Scoti; quod secreta cordium sunt obiectum proportionatum per modum actus primi, & sub ratione possibilium esse ordinis naturalis; non verò per modum actus secundi, & quoad existentiam, cum sic importent libertatem, & esse sub dominio Angeli elicientis, sine cuius consensu nequeunt ab

alio

alio videri: & in hoc ſenſu moraliter loquendo ſunt altioris ordinis nempe liberi, qui eſt veluti medium inter ordinem naturalem, & ſupernaturalem, ac proindè non pertinere ad ordinem vniuerſi, ad quem ſolum naturalia ſimpliciter pertinent,

Ad Confirmationem negant paritatem per eandem rationem aſſignatam, ideſt, quia ea ſunt ſub imperio Angeli elicientis, & non alterius. Deinde reſpondent ſecundæ rationi Scoti, dicendo, diſparem eſſe rationem de eſſentia, voluntate, & intellectu Angeli in ſe, & de his, vt ſunt in actu ſecundo. Siquidem illa pertinent ad ordinem naturalem, hæc autem non; & exindè Suarez, & Ariaga negant, ſecreta cordis eſſe ab Angelo cognoſcibilia, quia de illis non habet ſpecies, cum habeant ſpecies ſolummodo de rebus naturalibus, cuiuſmodi non ſunt ſecreta cordium.

Reſp. Io: à S. Thoma, quod actus voluntatis non ſunt naturalis ordinis, ac proindè non ſunt de conſideratione vniuerſi, quia ſolum actus determinati ſunt aliquid pertinens ad integritatem vniuerſi.

Reſp. Recentiores Neuterici, ſecreta cordium non poſſe ab Angelo cognoſci naturaliter, non propter phyſicum aliquem exceſſum altioris ordinis, ſed ob aliquod impedimentum in genere moris, quod ita explicat Amicus, vt refert Maſtrius diſp.2.q.8. art.2. n.147. quia creatura intellectualis non ſolum habet phyſicum, ſed etiam morale dominium ſupra ſuos actus, ac proindè proteſt pro ſuo libito celare alijs ſcientiam de ſuis ſecretis.

Verùm nulla reſp. ex ſupra recitatis ſatisfacit, eò quia ſic reſpondendo petunt principium; hoc enim eſt, quod quærimus; quare ſolum res naturales ſunt obiectum proportionatum intellectus Angelici, & non liberæ, quæ etiam in actu poſitæ, & liberè elicitæ habent pariter entitatem ordinis naturalis. Neque hic eſt ſermo de actibus voluntatis, vt continentur in eius virtute indifferenti, & poſſunt ab ea produci, & non produci, quia, cum vt ſic non habeant eſſe determinatum, per ſpeciem repræſentari nequibunt, ſed loquimur de ipſis in eſſe poſitis, qui vt ſic habent eſſe determinatum; & dicũtur liberi ſolùm per denominationem extrinſecam. Cæterum nec reſp. Amici ſoluit Scoti rationes, immò ſic reſpondendo venit in no-

ſtram ſententiam, quia etiam nos aſſignamus cauſam moralem excludendi ſcientiam aliorum de ſecretis. Itaque ſtando rationibus philoſoficis probabilior eſt noſtra ſententia, quid autem de facto reuerà contingat, nobis per Scripturam non eſt notum.

II. Pars Concluſionis patet ex dictis.

Arg. cont. primam Concluſionem auctoritatibus Sac. Scrip. quæ vbique declarat pertinere ad Deum ſolum ſecreta cordium noſcere. Legitur enim 3. Reg. cap. 8. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Pſal. 43. *Nonne Deus requiret iſta? ipſe enim nouit abſcondita cordis*; & Pſal. 2. *Scrutans corda, & renes Deus.* Matth. cap. 9. *Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum*; Et in actibus Apoſtolorum cap. 1. *Tu Domine, qui corda noſti omnium*; & alibi ſepè & hoc idem docent SS. PP. ergo &c. Reſp. Scot. in ſolutione ad ſecundum expendens illud Sac. Scrip. ſolus Deus nouit abſcondita cordis, quod intelligitur vniuerſaliter de omnibus videlicet cordium ſecretis, præſentibus, præteritis, & futuris. Secundò ex propria perfectione, & independenter, adeo vt impoſſibile ſit impediri eius cognitio. Tertio ſolum Deum cognoſcere ſecreta cordium tamquam iudicem vniuerſalem, quo quidem modo nullus alius cognoſcere poteſt; & hæc explicatio quadrat optimè præcitatis Scrip. locis, vt patet bene conſideranti.

Sed inſtat Vaſquez. Scriptura, & PP. ita attribuunt Deo cognitionem ſecretorum cordis, vt euidenter inferatur ſoli Deo competere ergo &c. Reſp. friuolam eſſe hanc inſtantiam, cum explicatio allata ſit conformis etiam SS. PP. & S. Scrip. etſi non placeat Suarez, nec ipſi Vaſquez.

Arg. cont. ſecundam concluſionem; Angelus etiam ſi admittatur cognoſcere actus internos alterius Angeli, & hominis quò ad eſse abſolutum, non tamen eos cognoſcit quoad eſse reſpectiuum, & tendentiam in obiectum; cum non cognoſcat ipſum obiectum vt volitum, ſed ſic eſt, quod ad cognitionem ſecretorum cordis exigitur, vt cognoſcantur obiecta etiam ſecundum eſse reſpectiuum, & tendentiam, ergo Angeli non cognoſcunt ſecreta &c. Maior patet ex dictis alibi; eò quia intellectio, & volitio ab Angelo viſæ ſunt ei veluti ratio cognita tantum, ſeu obiectum cognitum, non autem ratio cognoſcendi; ergo nequit

quit Angelus cognoſcere ſecreta cordis quoad eſſe reſpectiuum, videt namque Angelus cognitionem, volitionem, ſed non videt quid cogitemus, quid amemus, & ad quem finem tendat noſtra cognitio, ac volitio, quæ ſiquidem ſoli potentiæ elicienti ſunt ratio cognoſcendi.

Reſp. diſt. mai. videns cogitationes alterius diſtinctè, & ſpecificè, non videt ſaltem abſtractiuè obiectum illius, nego; non videt intuitiuè obiectum, concedo: ex hoc tamen nequit inferri, Angelum non agnoſcere cogitationes niſi ſecundum eſſe abſolutum, vt eleganter diſcurrit Maſtrius in hac quæſtione n. 261. & n. 250. Vel reſp. non videre reſpectum actualem, ſed aptitudinalem.

Arg. 2. Admiſſa hac ſententia, ſequitur, quod fruſtra in Angelis poneretur locutio, quia ſic omnis interna cogitatio vnius Angeli poſſet ſciri ab alio Angelo, ſed hoc videtur abſurdum, ergo non eſt admittenda talis ſententia, Reſp. ex Scot. in 2. d. 9. q. 2. admiſſa noſtra ſententia ſolum ſequi locutionem non eſſe ita neceſſariam, ac ſi vnus Angelus non videret internum conceptum alterius; non autem eſſet locutio fruſtranea, quia auditio, vt docet Scotus eſt perfectio quædam liberaliter communicata Angelo audienti ab Angelo loquente; ad hoc enim potiſsimè eſt inſtituta locutio in loquentibus intellectiuis, vt ſibi inuicem liberaliter communicent conceptus ſuos.

Arguunt Recentiores, & ſignanter Ieſuitæ tali pacto: Ex hac ſententia ſequntur abſurda in vita politica, ſi tollatur ſecretum cordis; ergo cum intellectualis natura ordinetur ex ſui conditione ad vitam politicam; naturale etiam eſt, vt poſſideat ſecreta cordis iuxta exigentiam ſuæ naturæ. Reſp. neg. aſſumptum, quia ſecretum cordis ex natura rei datur tantum reſpectu hominis, & pro ſtatu iſto ob membrorum corpulentiam, vt tradunt D. Greg. & D. Aug. &c. Cæterùm negatur, vitam politicam ex ſui natura petere ſecretum cordis; nam ſine perturbatione adhuc vita politica duceretur; & fortè meliùs, quàm modò, ſi nullum daretur ſecretum cordis, vt Socrates aiebat. Itaque ſecretum cordis pertinet ad vitam politicam pro ſtatu iſto, quatenus videlicet ob naturæ lapſæ imperfectiones melius eſt vnum hominem alterius ignorare ſecretum cordis, quam ſcire.

Vtrum Angeli naturaliter cognoscere valeant effectus supernaturales, & mysteria gratiæ.

NOt. 1. Quòd effectus supernaturales sunt in duplici genere; alij dicuntur supernaturales quoad substantiam, & sunt illi, qui transcendunt omnem facultatem, & potentiam naturalem creaturæ, & à solo Deo fieri possunt; sic vnio hypostatica, visio beatifica, gratia santificans, & huiusmodi. Alij dicuntur supernaturales tantum quoad modum, & sunt illi, qui simpliciter fieri possunt à causis naturalibus, estò non cum talibus circumstantijs; nam à priuatione ad habitum non datur regressus, sic mortui resurectio, visus restitutio, & similia; vt etiam explicatum fuit in disputatione de visione beatifica. Quæstio igitur præsens non est de effectibus supernaturalibus secundi generis, nempe quoad modum; constat enim tales effectus ab Angelis certò, ac euidenter cognosci, immò & ab hominibus, nimirum mortuum resurexisse, cæcum illuminatum fuisse &c. quia huiusmodi effectus secundùm suam entitatem sunt naturales, ac proinde naturaliter cognoscibiles, sed quæstio procedit de effectibus primi generis: an certò, & intuitiuè Angelus eos agnoscere valeat.

Not. 2. ex Scoto quol. 14. quòd obiectum primum intellectus Angelici, vel humani ex natura potentiæ secundùm naturalem attingentiam est præcisè ens limitatum ad se, vel ad alterum limitatum; nam entitas limitata, quæ est essentialiter ad alterum illimitatum, non est naturaliter intelligibilis ab intellectu creato; sicut nec terminus sine quò nec ipsa intelligi potest sub proprio conceptu. Qua ratione notant quam plures Scotistæ excipienda esse ne dum mysterium Trinitatis, sed etiam mysteria prædestinationis, reprobationis, glorificationis, & damnationis cuiusuis rationalis creaturæ: & insuper quæcumque alia creata respectum pro formali dicentia ad Deum sub ratione Deitatis, vel sub aliqua ratione solùm cognoscibili ex reuelatione, aut ad liberam D. voluntatis dispositionem, qualia sunt Verbi incarnatio, iustificatio impij per infusionem gratiæ, glorificatio, opera de condigno vitæ æternæ, & similia.

Not. 3. Quòd circa hanc quæstionem versantur duæ opiniones. Prima est D. Thomæ 1. p. q. 57. art. 5. existimantis effectus supernaturales secundùm substantiam, qui dici solent mysteria gratiæ, non posse ab Angelo naturali virtute, seclusa reuelatione diuina, euidenter, & sub proprio conceptu cognosci, sed ad summum arguitiuè tantùm: ratio, quia cognitio effectus huiusmodi cum sit superioris ordinis non est debita intellectui creato secundùm naturalem attingentiam, cuius obiectum non est ens supernaturale, sed naturale. Secunda est Scoti in 4. d. 10. q. 8. vbi loquens de præsentia Corporis Christi in Eucharistia ostendit eam naturaliter posse cognosci ab Angelo: & in solutione ad 3. principale indiffinitè docet mysteria gratiæ, ex quo posita sunt in effectu, posse etiam à dæmonibus agnosci, nisi de facto à Deo impedirentur. Verùm Doctor, prout passim aduertunt Scotistæ, non tenet hanc sententiam in tanta vniuersalitate, sed cum quadam exceptione, vt in sequenti conclusione ostenditur.

Conc. Aliqui effectus supernaturales pertinentes ad gratiæ mysteria, supposito iam primo miraculo, quod sint à Deo producti, vt ab Auctore supernaturali, & supra omnem naturæ exigentiam, possunt ab Angelo distinctè, & euidenter cognosci; aliqui verò non, sed solùm supernaturaliter, & media reuelatione. Hæc reuerà est Scoti, & Scotistarum, & etiam Nominalium. Prob. Conc. quod ad primam partem. Mysteria gratiæ supernaturalia, tam quoad modum, quam quoad substãtiam continentur intra latitudinem entis creati: ergo Angelus sua naturali vi illa potest attingere. Consequentia patet, quia ens limitatum est obiectum adæquatum intellectus Angelici, & aliundè nil obstat, quin Mysteria gratiæ attingantur; non quidem supernaturalis entis maior perfectio obstat; quia aliquod gratiæ Mysterium est imperfectius substantia Angeli, quæ tamen attingitur ab intellectu Angelico. Neque diuersitas ordinis, quia obiectum, & potentia non oportet, quod sint eiusdem ordinis; cum potentia sit Spiritualis, & substantialis, obiectum verò sepè materiale, & accidentale. Neque tandem obstat supernaturalitas, cum illa non attendatur nisi per ordinem ad potentiam effectricem talis effectus supernaturalis. Vnde superna-

turalitas vnius corporis positi in duobus locis circumscriptiuè sine dubio perciperetur ab Angelo.

Prob. Conc. quoad secundam partem. Angeli non cognoscunt euidenter, & intuitiuè mysteria Incarnationis, decreta Dei libera, iustificationem peccatoris, acceptationem bonorum operum, & similia: ergo Angelus non omnia mysteria gratiæ agnoscere valet. De mysterio Incarnationis patet per illud ad Ephes. c.9. *Sacramentum absconditum à Deo*; de Decretis pariter liberis patet per illud ad Rom. cap. 11. *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* De cæteris patet maximè in sententia Scoti, docentis Angelos sine reuelatione non posse cognoscere remissionem peccati, iustificationem, & alia huiusmodi, quia gratia non iustificat hominem physicè, & ex natura rei, sed tantum moraliter, & ex ordinatione Diuina.

Arg. cont. primam partem conclusionis. Cognoscibilitas sequitur entitatem; sed gratia santificans v. g. est entitas supernaturalis, ergo solum supernaturaliter cognosci potest. Resp. ex Scot. conc. mai. & dist. min. quod ad fieri, concedo; quoad cognosci postquam facta est, nego. Gratia namque posita in esse, & quilibet alius habitus infusus, & ipsum lumen gloriæ cognosci potest ab Angelo in ratione entis, licet non in ratione gratiæ santificantis, vt supra indicauimus.

Arg. 2. Angelus nequit naturaliter aquirere species à supernaturalibus; ergo neque cognoscere entia supernaturalia. Resp. neg. ant. Nam quodcumque ens limitatum positum in esse, & intellectui Angelico præsens est obiectum proportionatum, ac proinde cognoscit illud intuitiuè sine specie, vt resolutum fuit in quæstione de specie Angelica; immò etiam si obiectum sit supernaturale, est tamen ei naturale species immittere, & potentiam mouere.

Arg. 3. Angelus si naturaliter intuetur mysteria gratiæ: ergo & actum beatificum alterius, quod non videtur admittendum, quia esset naturaliter beatus.

Resp. dist. conſ. videret actum beatificum quoad entitatem absolutam, seu in genere entis, concedo: quoad respectum terminantem ad obiectum beatificum, nego; quia respectus non attingitur sine cognitione termini, ac proinde non cognoscitur respectus ad Deum, cum ipse natura-

raliter non cognoſcatur, vnde non ſequitur, quod eſſet naturaliter beatus; ſola namque viſio actus beatifici quoad entitatem abſolutam nequit beatificare; Itaque actus vitalis, cum poſſit permanere, deſtructo etiam obiecto, poteſt videri, non viſo reſpectu actuali ad ipſum obiectum.


Cont. Angelus naturaliter cognoſcit illum actum eſſe non quamcunque cognitionem, ſed beatificam; ergo infert, neceſſariò habere obiectum beatificum, ergo beatur per talem cognitionem. *Reſp.* diſt. ant. cognoſcit intuitiuè, nego ant. arguitiuè, & abſtractiuè concedo. Quarè non ſequitur, quod Angelus per talem viſionem ſit beatus, cum ad hoc exigatur viſio intuitiua.

Ex dictis infertur primo Thomiſtas non modeſtè loqui, dum Scoti ſententiam temerariam appellant, ac fidei parùm conſentaneam. Etenim neque S. Scrip. neque SS.PP. contra noſtram ſententiam reclamant, imò eſt conſona rationi, Angelicis perfectionibus, & Doctrinæ SS. PP. & S. Scripturæ. Secundo infertur, quod Angelus naturaliter videre poteſt exiſtentiam Corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, habitus Thologicos Fidei, Spei, & Charitatis. Prob. primo, quia de cæteris conſtat ex dictis, Anima Chriſti nouit naturaliter ſe eſſe vbicunque eſt, ac proindè nouit ſe eſſe in Euchariſtia, & modum, quo ibi exiſtit; non enim eſt poſſibile, quod cognoſcat, ſe eſſe in Euchariſtia, & non cognoſcat modum, quo ibi exiſtit; quod gratis concedit etiam Vaſquez, eſtò neget Angelum non cognoſcere myſteria gratiæ: ergo à fortiori Angelus noſcere valet exiſtentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia. Inſuper cognoſcere poteſt etiam modum exiſtendi quantitatis ſine ſubiecto in eodem Sacramento; ſiue enim ille modus exiſtendi ſit negatiuus, ſiue ſit poſitiuus, & ſpecialis modus ſubſiſtendi à Deo ſuperadditus, eò quia nulla apparet impoſſibilitas, tam ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ: ſed de hoc latè in part. 4. tract. 2. de Sacramento Euchariſtiæ.

Quæres. Quid dicendum ſit de Dæmonibus poſtquàm amiſerunt ſtatum viæ.

Reſp. Quòd Diabolus, vt communiter docent Theologi, & SS. PP. fuit impeditus à cognitione aliquorum circa aduentum Chriſti, & circa eius dignitatem, & fructum

aduentus ipsius Christi; & hoc speciali Dei prouidentia; vt putat Scotus in 4. d. 10. q. 6. §. ad arg. ex doctrina D. Aug. dicentis lib. 9. de Ciuitate Dei: *Christus tantum innotuit Diabolo, quantum voluit; & tantum voluit, quantum oportuit.* Quarè censent aliqui, vt Delcadil, & Lorca, impeditam esse notitiam Dæmonis non solum per substractionem concursus, sed etiam per effectionem aliquorum effectuum, qui occultarent Christi diuinitatem, diuertendo mentem Dæmonis, ne consideraret illos effectus, qui eius Diuinitatem ostenderent, vt habetur etiam in homil. de partu Virginis. Verùm postquàm Christus Dominus prędicauit, & fecit signa, & miracula in confirmationem suæ doctrinæ, Diabolus cognouit esse Christum, & verum Filium Dei, sic tradit communis sententia Patrum, quàmuis inter se sit dissidium de qualitate huius scientiæ. Quidam enim vt D. Hieron. Chrisostomus, Beda, & D. Thom. 3. p. q. 44. art 1. existimant, hanc Dæmonis notitiam non esse omninò certam, sed ex suspicione ortam, quod dissidium componit noster Delcadil tom. de Angel. cap. 4. diff. 4. vbi sic habet: fortè componitur hoc dissidium ex dictis à num. 80. Quarè dicimus, quod speciali Dei prouidentia fuit impedita Dæmonis cognitio, ne Christum perfectè agnoscerent, quod si non fuisset impedita, habuisset certam de Christo notitiam; habebat enim sufficiens principium cognoscendi oracula Prophetarum de Christo Domino; vnde Io. 5. *Scrutamini scripturas &c. illa sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Immò ex Scrip. veteris testamenti agnoscere potuissent Iudæi Christi diuinitatem, vt docet glosa ordinaria super prædicta verba. *Per ipsas me Deum intelligere potestis, si diligenter aduertatis*; & in nouo testamento sunt apertiora testimonia de Christi Diuinitate; vt Io. 8. *Ego de supernis*; & cap. 10. *Ego, & Pater vnum sumus*: ac proinde nisi impeditus fuisset intellectus Dæmonis, habuisset certam scientiam, de Messia in lege promisso. Idem videtur docere Scot. in 3. d. 21. q. 1. in fine quæstionis.



QVÆ-

QVÆSTIO VII.

Vtrum Angelus sua naturali virtute cognoscere possit futura contingentia.

NOt. Quod futura contingentia sunt triplicis generis: quædam enim necessariò proueniunt ex causis naturalibus determinatis, vt motus Corporum Cęlestium, & cursus Astrorum; immò etiam omnes euentus naturales, qui in his inferioribus fiunt, siuè à Cœlorum influxu, siuè ab alijs causis naturalibus. Alia sunt futura, quæ non necessariò, sed vt plurimùm ex suis causis sequuntur absque dependentia à libero arbitrio; vt sanitas ex tali medicina &c. Alia denique sunt futura, quæ prorsus contingenter, & à causis liberis fiunt; his prænotatis, sit.

I. Concl. Futura, quæ habent causam determinatam, & infallibilem, cuiusmodi sunt, quæ attenduntur pænes motum corporum superiorum, in quibus est determinatio, & omnis impedimenti remotio, possunt ab Angelo certitudinaliter sciri; est communis, & signanter D. Bonau. in 2. q. 3. p. 2. & patet. Nam Angeli possident scientiam mirabilem, & vniuersalem scientiam causarum naturalium, & consequenter effectuum, qui in ipsis continentur, ergo &c. Tum quia si homines in Astronomia periti prædicunt certitudinaliter motus Cœlorum, eclypsim &c. à fortiori Angelus, qui in cognitione non patitur ingentes difficultates, quas nos experimur; maiori certitudine, ac perfectiori modo cognoscet talia futura, habentia causam necessariam, & infallibilem.

II. Concl. Futura, quæ habent causam determinatam, sed fallibilem, estò plerunque sic contingat, non cognoscit certitudinaliter Angelus: hæc pariter est communis, eamque sic probat D. Bonau. vbi supra. Ideò habent causam determinatam, quia intentio naturæ mouet ad vnum determinatè, ideò fallibilem, quia multipliciter potest occurrere impedimentum, vtpotè ager sęminatus, si terra pinguis est, & bona dispositio superiorum corporum afferet pinguem fructum; non tamen ita certitudinaliter sciri potest ab Angelo, sicut futura habentia causam infallibilem.

III. Concl. Futura contingentia à causa libera dependentia nequit Angelus virtute naturali certò scire, sed solum coniecturas, seu arguitiue. Hæc constat ex S. Scrip. & præsertim ex illo Isaiæ. *Annunciata, quæ ventura sunt, & sciemus quia Dij estis vos*: ideoque D. Bonau. loc. cit. ait: cum talia prædicuntur, prædictio dicitur diuinatio, quia talis est actus diuinus. Hinc Tertull. Apologet. cap. 20. *Testimonium Diuinitatis, veritas diuinationis*; at quia Dæmones, subdit D. Bonau. superbi maximè desiderant honorari vt Deus, maximè conantur ostendere, hanc vim se habere, vt patet ex Ariolis, aruspicibus, responsis per Idola &c. Ratio conclusionis est, quia huiusmodi futura non possunt ab Angelo præsciri in se ipsis; cum in se ipsis non sint determinata, neque in se existant; nec etiam in causa, quia ipsa pariter est indifferens, & indeterminata, quam indeterminationem nequit Angelus agnoscere; cum non cognoscat, nec id, quod ipsemet est acturus, antequàm aliquid facere proponat. Quare vt tradunt D. Bonau. D. August. & comuniter Doctores, Diabolus non præsciuit suum casum; ergo multò minùs potest similia de alio Angelo, vel homine præscire. Secunda pars Conclusionis patet signanter de Dæmonibus; qui estò non videant nostras cogitationes cordis, tamen plerùmque eas agnoscunt ex coniecturis, ex signis externis, ex hominis complexione, nec non ex alijs effectibus, nisi à Deo impediantur ob nostrum bonum, & salutem Animæ &c.

Aduertendum, quod diximus in conclusione futura, contingentia; secùs autem de præteritis, quæ sicut potuerunt sciri præsentia, sic in nostra sententia eorum recordari possunt Angeli; alioquin spectando precisè præteritionem, præterita sunt tam ignota Angelo, quam futura, cum neutra mouere possint intellectum Angelicum, ad quam motionem exigitur obiectum existens. Verùm Thomistæ aliter discurrunt, dum putant, Angelos omnia, & præterita, & præsentia, & futura intelligere per species congenitas; vnde non est eis facile respondere, si interogentur: per quam speciem cognoscat Angelus futura, quando ei reuelantur. Nam dicere, quod cognoscunt per eandem speciem, per quam cognoscunt eadem, vt præsentia, & præterita, est concedere Angelum posse

naturali virtute cognoscere talia futura antequam sint, quod sibi ipsis contradicit. Quamuis Caspensis in tract. de Angel. Thomistam agens respondeat; futura non esse intra latitudinem obiecti naturalis intellectus Angelici, saltem quoad modum, ac proindè non sequi, Angelum futura præscire.

Arg. cont. tertiam Concl. Astronimi, & Mathematici percursum astrorum præcognoscunt, & prædicunt multa futura, quæ in multis vera sunt: ergo si maior est intelligentia in Angelis tam bonis, quam malis, videntur, posse præcognoscere futura. Resp. ex D. Bonau. quod Astronimi, & Mathematici si dicunt frequenter vera, hoc faciunt coniecturando, siuè secundum leges astrorum, siuè secundum diabolica commercia; primo modo quando dominatur Stella, quæ habet impræssionem super diuersos humores, disponit secundum hoc hominem ad diuersos mores, & affectiones; secundo modo nempè secundùm commercia Diabolica, vt quando volunt vi astrorum vltra procedere, quam scire possunt, tunc nisi Diabolus adesset, ita frequenter falsum, sicut verum dicerent; nunc autem cum toto auxilio Dæmonum frequenter falsa prædicunt, & decipiuntur, sed tanta est Dæmonum astutia, quod ita sciunt occulcare fraudem suam, vt ostendant errorem, siuè defectum fuisse in Astronimo considerante, non in aere, aut Diabolo assistente. Itaque tàm Astronimi, quàm Dæmones præsciunt huiusmodi futura ex coniecturis minoribus, vel maioribus, cum Angelus sit longè hominibus perspicacior, & scientificus.

Adde, quod Deus in vindictam impiæ curiositatis consulentium interdum permittit, quod Dæmones, vel Magi vera prædicant, vt aduertit D. August. lib. 2. de Doctrinâ Christiana.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Angeli ad inuicem loquantur, & quomodo loquantur.

NOt. 1. Quòd locutio est manifestatio conceptus mentis facta ab Angelo alteri Angelo; quæ quidem locutio

tio mentalis competit mirabili modo etiam Deo; Verùm diuersa ratione, vt obseruat D. Greg. lib. 2. moral cap. 5. *Aliter, inquit, loquitur ad Angelos Deus; aliter Angeli ad Deum, aliter Deus ad Sanctorum Animas. aliter Deus ad Diabolum, aliter Diabolus ad Deum;* & quibusdam interpositis subdit. *Deus, ergo Angelis loquitur, cum eis voluntas eius intima videnda manifestatur; Angeli autem, & Animæ loquuntur Deo per sua desideria;* vnde Propheta. *Desiderium cordis eorum audiuit auris tua*. Cæterùm quod Angeli inuicem loquantur est de fide; vnde dicitur Isaiæ 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus*; ita Frassen.

Not. 2. Quòd difficillimum est reperire, & penetrare modum, quem tenent Angeli ad inuicem loquendo, hinc tot capita, tot sententiæ. Quidam putant, loqutionem Angelicam inter ipsos perfici mediantibus signis materialibus, & sensibilibus in aere, in Cœlo, vel in alio corpore Angelis proximo formatis; ita Durand: sed hæc opinio non est tolleranda, inquit noster Herincx; eò quia incredibile est, spirituales substantias ab huiusmodi signis dependere, adeò vt sine illis loqui non possint; sequeretur enim quod si res corporeæ, & sensibiles non essent creatæ, non possent Angeli ad inuicem loqui, quod est manifestum absurdum. Alij vt Greg. Marsilius, quos sequitur Molina, opinantur, Angelos indigere signis, saltem spiritualibus, quibus inuicem loquantur; at nec ista subsistere potest, eò quia illa signa, vel essent naturalia, & hoc dici nequit, quod non apparet, quæ signa naturalia ista essent; tum quia deberent esse publica, & communia omnibus, ac proinde non posset Angelus alteri loqui nisi alijs audientibus: Vel essent signa ad placitum, & ex instituto, & sic ad eorum institutionem prius debuissent Angeli conuenire, & his signis potius, quàm alijs alligare significationem talis, & talis conceptus mentalis; quod siquidem fieri debuit per aliquam loquelam iam inter Angelos practicatam; ergo frustrà excogitatur alius modus loquendi. Alij censent, quod fiat loqutio per actum reflexum super actum directum priùs habitum, quo mediante se explicet habere huiusmodi conceptum de tali, & tali re, ita Vasquez, Amicus, & alij recentiores: sed nec ista quadrat; nam omnis vera locutio nequit esse actus purè immanens,

sed

ſed debet eſſe ad extra cauſans aliquod in audiente, quo excitetur ad audiendum, ſi ad alia eſſet intentus, ſed actus reflexus eſt actus immanens, vt gratis concedunt ipſi aduerſarij; ergo loqutio non fit per actum reflexum; mai. patet à proportione vocalis loqutionis inter homines &c.

Alij exiſtimant, Angelos loqui per hoc, quod loquens vellet alterum ſcire ſuum conceptum, hoc enim fit pro loquentis arbitrio reſpectu iſtius, vel iſtorum tantùm, cui, vel quibus Angelus loquens intendit manifeſtare ſuum conceptum: excitatur etiam alter audiens ad intelligendum, & cauſatur in intellectu audientis, ſeu gignitur ſpecies conceptus manifeſtati, vel ipſummet conceptum loquentis obiectiuè, vt vult Ocham, coefficere cognitionem ſui in audiente; ita communiter recentiores, quam ex parte amplectitur etiam noſter Herincx, dum eam vocat valdè probabilem, & facilem, quamuis non ſit improbabilis doctrina Scoti, ex quo apparet, quod tam inſignis Scotiſta aliqualiter recedit ad ſententia Scoti; Nihilominus etiam iſta opinio, quæ videtur eſſe omnium Thomiſtarum improbatur; etenim illa ſimplex volitio, ſeu ordinatio conceptus proprij ad alterum eſt actus liber voluntatis, & locutio Angelica non eſt actus voluntatis, ſed intellectus; hinc à Theodoreto ſcribente ſuper illud Apoſt. 1. ad Corint. cap. 13. *Si linguis hominum* &c. *Appellatur intelligendi vis, per quam, non quæ ſenſu, ſed intelligentia percipiuntur, manifeſtans*: ergo &c.

Præterea illa ſimplex ordinatio, ſeu volitio, qua vult Angelus manifeſtare alteri ſuum conceptum, nequit excitare audientem, ergo &c. Prob. Excitatio neceſſariò debet fieri per aliquod immutans intellectum Angeli, qui debet audire, vt in nobis contingit, ſed illa ordinatio conceptus ad alterum nil cauſat in intellectu audiẽtis, cum nec conceptum ipſum, nec ſpeciem eius in ipſo realiter producat; ergo illa ordinatio, ſeu volitio non poteſt dici locutio.

Concl. Modus locutionis quo vtuntur Angeli fit vel per productionem ipſius met conceptus in audiente, vel per cauſationem ſpeciei abſtractæ ab obiecto, de quo fit locutio; Ità Scot. in 2. d. 9. q. 2. & præter Scotiſtas ſecundam partem tenent D. Bonau. Ocham, Aureol, Gabriel, & ex Thomiſtis Zumel, Peſantius, Auerſa, Suarez, & alij.

& alij. Prob. Concl. rationibus, quibus confutatæ remanent aliorum opiniones, & insuper probatur sic. Loquens intellectualiter intendit deducere eum, cui loquitur in cognitionem rei, de qua fit locutio, ergo si possit tanquam causa totalis sine vllo medio illam cognitionem producere in audiente, reuerà censendus est, eam producere, sed sic se habet Angelus loquens; ergo &c. Probat. min. Scotus. Intellectus Angeli loquentis cum specie intelligibili obiecti concurrentis ad sui notitiam est causa effectiua adæquata sufficiens ad producendam talem notitiam in quocunque intellectu debitè approximato; sed intellectus Angeli audientis est capax talis cognitionis recipiendæ; ergo tunc intellectus Angeli causare potest in intellectu alterius Angeli talem cognitionem, vel speciem talis obiecti manentis in ipso Angelo loquente. Prob. mai. Doct. Illud, quod sufficienter est in actu primo respectu alicuius effectus, potest illum causare in receptiuo proportionato approximato, sed Angelus habens notitiam habitualem alicuius obiecti est sufficienter in actu primo ad causandam intellectionem illius; ergo &c.

Aduerte, quod ratio fundamentalis Scoti non debet accipi in tanta vniuersalitate, quasi velit, quod omne principium productiuum effectus in se, sit etiam productiuum in alio, sed solum quando principium producens, & passum recipiens effectum productum, inuicem proportionantur; adeo vt vnum sit susceptiuum effectus alterius eiusdem ordinis, & rationis.

Cæterùm quod Angelus audiens sit capax talis receptionis, patet, quia vnus Angelus ab altero illuminatur, vt dicetur in sequenti quæstione, sed illuminatio fit per receptionem notitiæ impressæ ab Angelo illuminante: ergo in intellectu Angelico est capacitas receptionis notitiæ alienæ, & speciei impressæ, vt magis monstrabitur in solutione argumentorum. Nota quod locutio potest esse intuitiua cognitio rei, & abstractiua; intuitiua actus intellectus manifestati; abstractiua obiecti illius actus; non enim obiectum intuetur, sed per speciem cognoscitur abstractiuè, vt docet Mastrius disp. 2. n. 301.

Arg. 1. Non apparet quomodo Angelus loquens possit Angelo audienti imprimere suam intellectionem, vel speciem,

ciem, ergo &c. Prob. ant. vel Angelus loquens est intra intellectnm Angeli audientis, dum imprimitur, & hoc non; alioquin ei illaberetur intimè, quod est proprium Dei; vel est distans localiter ab Angelo audiente; & tunc pariter nequit aliquid imprimere eius intellectui; cum intellectio, vel species deberent transire per medium, quod non apparet possibile, cum sint accidentia spiritualia, quæ nequeunt per media corpora transire, eisque inhærere: ergo non apparet, quomodo Angelus loquens possit audienti imprimere notitiam, vel speciem obiecti.

Resp. neg. ant. ad eius probationem dicendum, quod Angelus vtroque modo potest audienti imprimere suam intellectionem, vel speciem; & si primo modo imprimat, non tamen debet illabi, illapsu soli Deo proprio, qui in hoc consistit, quod Deus omnem rem in se, & sub suo dominio contineat eo modo, quo explicatum fuit in quæstione de immensitate; sed illabitur alio illapsu conuenienti etiam creaturis, nimirum constituendo se intimè præsentem, & immutando intellectum alterius, qualiter obiecta illabuntur necessariò intellectui; dum in eum immittunt suas species. Si autem secundo modo fiat, intellectionis, vel speciei impressio fit sine transitù per medium, quod non est capax ob sui immaterialitatem talium accidentium spiritualium; sed tunc agit indistans, quæ siquidem actio indistans de facto datur vt probatur in physica; essetque in tali casu præsens, & immediatus passo non per contactum Mathematicum, vt ita loquar (proportione seruata) sed per contactum virtutis, quatenus producit terminum in intellectu audientis.

Arg. 2. Intellectio Angeli loquentis imprimenda Angelo audienti est actus vitalis, sed actus vatalis in fieri; & conseruari dependet à suo principio vitali; ergo nequit imprimi in audiente. Resp. neg. min. Nam ad hoc vt aliquis actus dicatur vitalis, sufficit, quod per eum aliqua potentia dicatur tendere vitaliter in obiectum, & quod talis actus ab aliquo principio vitali eliciatur, siuè hoc sit potentia, à qua primo elicitur actus, siuè à potentia recipiente, aliàs Deus non posset infundere speciem, seu notitiam aliquam in intellectu creato, siue humano, siue Angelico.

Arg.

Arg. 3. Vnus Angelus nequit alteri imprimere suam volitionem; quia alias posset Angelus malus imprimere Angelo bono peccatum, quod est manifestè absurdum; ergo &c. Resp. Delcadillus cum Lich. in 2. d. 9. q. 2. concedendo totum; & deinde affert alias instantias, quæ mihi videntur multum vrgere nostram conclusionem: ideo resp. neg. ant. ad illud, quod subditur; aliter posset Angelus malus bono imprimere peccatum, dist. in genere qualitatis, conc. in genere moris, neg.

Cæterùm pro vberiori doctrina, & fundamento nostræ sententiæ obseruandum ex Macedo in hac quæstione, quod duæ sunt actiones; vna intellectio vitalis, & immanens; altera transiens, & non vitalis, quæ producit alium conceptum similem primo immanenti intra proprium intellectum; & declaratur hoc exemplo speciei relictæ ex eodem conceptu: actio, per quam ista species relinquitur in memoria, producitur immediatè à conceptu intellectionis, & tamen non est vitalis; potest ergo à conceptu vitali, & vitaliter producto, procedere actio non vitalis.

Si dicatur. Aliud est producere in se ipso actum non vitalem, aliud extra se ipsum, & in alieno intellectu.

Resp. Macedo, quod hæc obiectio est inanis, quia quando actio natura sua non est vitalis, concomitanter non est immanens, ac proinde abit in transeuntem; & probatur à paritate de potentia visiua, & de phantasia: nam oculus format suam visionem, & deinde illæ species mittuntur in sensum communem, & hic eas mittit in phantasiam, & phantasia in intellectum agentem, qui est potentia spiritualis; ergo &c. Vnde formatur sic Argumentum. Non est minùs difficile mittere speciem in potentiam alterius ordinis superioris, idest spiritualis intra idem subiectum, quàm mittere speciem eiusdem ordinis in subiectum eiusdem ordinis spiritualis, sed phantasia hoc efficit respectu intellectus agentis, ergo, & intellectus Angelicus idem efficiet respectu intellectus alterius Angeli.



QVÆSTIO IX.

Vtrum Angelus illuminare possit alium Angelum, & quomodo.

NOt. 1. Quod illuminatio est species quædam locutionis ei superaddens doctrinam, & quasi magisterium. Vnde est locutio, qua vnus Angelus manifestat alteri veritates ignotas, & excellentes à Deo acceptas. Quare Angelos ab Angelis illuminari est constans Theologorum sententia, desumpta ex SS. PP. signanter Dion. lib. de Cœlest Hierarchia cap. 3. & 4. (contra Durand. dicentem omnes illuminari immediatè à Deo) vbi superiores vocat inferiorum præceptores, & duces. Verùm & si ordinarium sit, & recto ordini consonum, vt Angeli inferiores illuminentur à superioribus iuxta Damasc. lib. 2. de fide cap. 3. hoc tamen non est ita necessarium ex natura rei, vt interdum oppositum contingere nequeat, vt docet Scotus d. 9. q. 2. Similiter censendum non tantum Angelos inuicem illuminare, sed frequenter illuminare etiam homines beatos, & suo modo etiam viatores; & fortasse etiam B. Virgo de multis illuminat Angelos, cum sit illorum Domina, & Regina.

Not. 2. Quod illuminatio Angelica, sic à Scot. describitur: Est quædam locutio de vero perfectiua in esse secundo: dicitur locutio, quia omnis illuminatio est locutio, sed non è contra; quia locutio est de re aliqua, siue perfectiua intellectus audientis, siue non perfectiua; dicitur de vero, non quod sufficiat ad illuminationem manifestatio cuiuscunque veritatis, sed fieri debet de re à Deo reuelata Angelo superiori, & ignota Angelo inferiori; dicitur denique perfectiua in actu secundo quia, cum omnis notitia sit perfectiua intellectus; notitia, quæ dispensatur ab Angelo superiori inferiori, perficit intellectum Angeli taliter, vt eam Angelus nec vi naturali, nec per species sibi congenitas acquirere valeat, ideoque dicitur in actu secundo. Insuper ad maiorem intelligentiam obseruandum, quod D. Dion. enumerat tres actus hierarchicos, nempe purgationem, illuminationem, & perfectionem; qui quidem actus coincidunt cum illuminatio-

ne, quæ dicitur purgatio, quatenus expellit ignorantiam, seu negationem scientiæ; illuminatio, quatenus per illam occulta manifestantur, sicut per lumen corpale colores; & denique perfectio, quatenus perficit intellectum Angelicum scientia quadam eminentiori.

Concl. Illuminatio Angelica non fit per productionem alicuius luminis siue naturalis, siue supernaturalis in intellectu illuminati, sed per productionem cognitionis naturalis priùs habitæ ab Angelo illuminante; hæc infertur ex quæstione antecedenti, ac proinde ex Scot. in 2. d. 9. quæst. 2. & etiam D. Bonau. eamque Scotistæ omnes tenent contra Thomistas.

Prob. breuiter illuminatio est vera locutionis species, & solum addit respectum reuelationis factæ ab Angelo illuminante de re, circa quam fit locutio: sed locutio fit per productionem cognitionis actualis, vel per speciem obiecti impressam in Angelo audiente, ergo & illuminatio ita fieri debet.

Arg. auctoritate D. Aug. in Enchirid. cap. 58. vbi dicit: *Nihil de hac re, hoc est de illuminatione certum esse*, ergo non est certum apud SS. PP. Angelos superiores illuminare inferiores. Resp. Delcadil. cum Vasquez, quod D. August. non vidit opera D. Dion. quæ diù manserunt suppressa; idcirco Gregorius magnus, qui post, tempora D. August. floruit (nam D. August. teste Belar. lib. de Scrip. Eccles. obijt anno 433. Gregorius verò anno 604.) sententiam Dion. ex aliorum relatione de Angelorum illuminatione meminit.

Arg. 2. Omnia, quæ decursu temporis reuelantur Angelis, pertinent ad eorum statum beatitudinis; ergo à solo Deo immediatè reuelantur: Cons. patet, quia solus Deus est causa beatitudinis, tam essentialis, quam accidentalis.

Resp. neg. ant. De multis enim illuminantur; præsertim Angeli custodes, quæ pertinent ad nostram beatitudinem essentialem, aut accidentalem; neque est incōueniens, quod Angeli superiores aliquo modo cooperantur ad actus, qui pertinent ad beatitudinem inferiorum; & tunc Deus se habet vt causa principalior; nam constat, ad diuinam prouidentiam spectare, vt plura Deus faciat per suos ministros, quibus demandata fuit, vel custodia hominum, vel aliorum.

QVÆSTIO X.

Vtrum Angeli gaudeant vera libertate, atque vsu liberi arbitrij.

NOt. 1. quod voluntas est appetitus cum ratione liber, fluens ab essentia Angeli, vel Animæ; vnde vt dogma fidei est habendum, in Angelis esse talem appetitum liberum, seu voluntatem; tum quia sic S. Scrip. nos docet, & tradunt SS. PP. tum quia sunt spiritus excellentiores Animabus, quæ pariter sunt præditæ potentia volitiua; tum quia potentia intellectiua rectè infert potentiam volitiuam; & certè manifestum absurdum esset, cognoscere bonum, & pulchrum, & non posse illud amare, & in eo quiescete.

Not. 2. ex Scot. quol. 16. quod triplex est libertas; alia est libertas essentialis, qua voluntas, cum ex sua intrinseca ratione sit indifferens, & indeterminata, censetur semper ex se liberè actum suum elicere, & in obiectum tendere, estò ab extrinseco moueatur, & determinetur. Alia est libertas contrarietatis, seu specificationis, qua voluntas potest in aliquod obiectum tendere, vel in oppositum; idest velle obiectum, vel nolle; amare, vel odire idem obiectum. Alia libertas contradictionis, seu exercitij, qua voluntas potest actum elicere, vel non elicere, idest velle. & non velle, de qua libertate alibi dictum est.

Not. 3. Quòd liberum arbitrium sic communiter à Theologis describitur: Est facultas actiua cum indifferentia contradictionis, & contrarietatis ad operandum, ita vt positis omnibus prærequisitis ad agendum possit agere, & non agere; vel agere hoc, vel agere oppositum. Hinc patet descrimen inter libertatem simpliciter, & libertatem arbitrij; libertas enim simpliciter est indifferens ad necessitatem, & contingentiam quarè voluntas Diuina, quæ liberè producit Spiritum S. & liberè producit creaturas, has producit contingenter, seu libertate liberi arbitrij, illum necessariò: at libertas arbitrij respicit tantum contingentiam, quia liberum arbitrium duo importat, idest liberum, quod pertinet ad voluntatem, & arbitrium, quod pertinet ad intellectum, qui est vt arbiter, & iudex,

 osten-

ostendens quid sit faciendum, & quid non: quod non potest esse, nisi respectu contingentium; nullus enim propriè arbitratur de omninò necessarijs, aut de impossibilibus.

I. Concl Voluntas Angelica gaudet vera libertate; est de fide, vt indicaui in 1 not.& patet de merito Angelorum quod siquidem exigit veram libertatem; alioquin neque mererentur; neque demererentur.

II. Concl. Voluntas Angelica ex sui natura non est determinata ad eliciendum semper aliquem actum, etiam in communi, seù disiunctiuè, sed liberè potest ab omni actu cessare: Est communis sententia Theologorum contra quosdam. Prob. quia nihil assignari potest, vel obiectum, vel cognitio, vel aliquod aliud, quod ipsam voluntatem, vt potè indifferentem, determinet ad habendam semper aliquam actionem; ergo non est determinata ad eliciendum semper aliquem actum, sed liberè cessare potest &c.

Confirmatur. Eò quia hoc est conformiùs naturæ libertatis, ac perfecto dominio super suos actus. Dupliciter autem potest Angelus ab omni actu voluntatis cessare; primò per puram omissionem; 2. positiuè volendo, & imperando sibi cessationem ab omni actu, ac proinde transacto isto actu imperante cessare debent omnes alij. Neque in voluntate ista deest sufficiens bonitas motiua; quæ siquidem bonitas esset exercitium libertatis, seu alius finis Angelo notus. Ex quo infertur à fortiori contra nonnullos, Angelos non necessariò diligere se ipsos, aut Deum, vt finem naturalem; imò id verum est, etsi necessariò deberent habere semper aliquem actum sub disiunctione. Tum quia non semper actu necessariò cogitant de se ipsis, vel de Deo; tum quia, & si necessariò cogitarent, non apparet tamen vnde determinarentur ad actum dilectionis, cum ipse Angelus habeat bonitatem limitatam, & Deus estò habeat infinitam, non tamen ab Angelis Viatoribus est clarè visa, quod exigitur ad voluntatem necessariò determinandam; vt dictum est in disp. de beatitudine.

III. Concl. Voluntas Angelica non est immutabilis, sed potuit actum semel elicitum non ponere, aut positum retractare. Est Scoti in 2. d.7.q.1. & in 4. d.46. q.4. & aliorum communiter contra Thomistas, & fauent nostræ conclusioni aperta testimonia SS. PP. nempè Nazianz. Greg.

Hie-

Hieron. Isidori, Damasc. & aliorum: at nobis sufficiant verba D. Fulgentij de fide ad Petrum cap. 3. *Si possibile esset, vt humana natura, postquam à Deo auersa bonitatem perdidit voluntatis, ex se ipsa rursum habere potuisset, multo possibilius hoc natura haberet Angelica;* sed naturæ humanæ id possibile est Dei auxilio: ergo &c.

Prob. Concl. ratione. Sicut voluntas Angelica initio est indifferens ad amplectendum aliquod obiectum, vel non amplectendum; ita non apparet ratio cur similis indifferentia deinceps non remaneat in Angelo, quemadmodum etiam remanet in nobis: ergo &c.

Præterea. Angeli de facto mutarunt voluntatem, nempè mali, qui cum cæteris aliquo tempore fuerunt boni, & Deum amarunt. Immò quotidie tam boni, quam mali Angeli mutant suas voluntates, mali siquidem dum desinunt tentare, videntes tentationes potius prodesse, quam obesse, boni dum deserunt, quos à vitijs reuocare studuerunt. Adde quod ista immutabilitas, quatenus ad actus malos esset maxima imperfectio voluntatis Angelicæ: Quare obstinatio Dæmonum, loquendo de negatiua; seu de non pœnitentia salutari, non est referenda in immutabilitatem voluntatis Diabolicæ, sed in defectum Diuinæ gratiæ; vt cum Fulgentio sentit Scotus, de quo latè agetur inferius in disputatione de peccato Angelorum, vbi rigorosè examinabitur etiam opinio Thomistarum, & adducentur eorum rationes, & argumenta.

Quæres 1. An in voluntate Angelica dentur habitus naturales morales.

Resp. affirmatiuè, eò quia eadem ratione, qua admittuntur in nobis, admittendi sunt in Angelis, cum eadem principia reperiantur in nobis, & in illis, videlicet facilitatio ad actus naturaliter difficiles, quales sunt v. g. subijci alteri præsertim inferiori, offensus remittere &c. & maior propensio ad quoslibet actus, puta ad diligendum alios Angelos, ad Deum naturaliter amandum. Insuper Angelus exercere potest actus temperantiæ, fortitudinis, iustitiæ, quæ sunt virtutes morales, ergo &c. patet ant. quia hoc dicit perfectionem in Angelo, non quidem reprimendo passiones sui proprij appetitus, sed volendo, vt passiones in homine reprimantur, & homo fiat fortis, & tempe-

rans; ergo poteſt Angelus elicere aliquos actus morales; ac proinde admittendæ ſunt in Angelis virtutes morales? ita Scotus in 2. d. 29. q. vnica, & Scotiſtæ paſſim ſignanter Herincx, Fraſſen, & alij.

DISPVTATIO IV.

De loco, motu, & menſura durationis Angelorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Angelus ſit in loco.

NOt. 1. quod variant SS. PP. & Scholaſtici differendo de loco Angelorum; nam quidam, vt Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 16. putans, Angelos eſſe corporeos, dicit eſſe in loco, & à loco circumſcribi. Alij verò negant, Angelos eſſe in loco, ità S. Greg. Nyſen. in lib. 1. cont. Eunomium. Scholaſtici pariter diſcordant; nam Durandus opinatur Angelos, aut eſſe vbique aut nullibi eſſe, quæ ſententia à Scholis iam pridem exulata eſt, vt obſeruat Fraſſen. Alij autem cenſent, Angelos eſſe in loco, ſed diuerſo modo à corpore, vt infra patebit.

Not. 2. ex Scot. in 2. d. 2. q. 6. quod corporibus ad veram loci determinationem ſex conditiones exiguntur. 1. eſſe in loco; 2. eſſe in loco actuali; 3. eſſe in loco determinato, & æquali; 4. eſſe in loco commenſuratiuè; 5. eſſe in loco determinatiuè hoc, vel illo; 6. eſſe in loco naturaliter, vel violenter. Quatuor primæ conueniunt corpori, vt corpus eſt. 5. conuenit ipſi ab agente. 6. conuenit ipſi in quantum eſt corpus naturale: hæc Scot. notat tamen Fraſſen, quod tres tantum ex recenſitis conditionibus videntur requiri per ſe, & intrinſicè ad rationem loci, & locati formalem. Prima quod ſit realis, & actualis præſentia locati ad locum, ſine qua nec res corporeæ, nec ſpirituales verè dici poſſunt alicubi exiſtere. 2. vt res locata quantum ad ſubſtantiam, & entitatem ſuam terminetur, & finiatur ambitu ipſius loci. 3. vt hæc determinatio ad locum fiat per rationem formalem vbificationis; ratio autem formalis, vt docet Scotus in 4. d. 10. q. 3. ſumitur dupli-

pliciter: primo propriè pro ratione formali proxima, qua res dicitur formaliter talis; ſic albedo dicitur ratio formalis, qua paries dicitur albus: 2. fundamentaliter pro ratione remota, qua res denominatur talis; ſic albedo vnius parietis eſt ratio formalis fundamentalis ſimilitudinis, quam vnus paries habet ad alterum. Vnde in vbificatione ratio formalis exiſtendi in loco proxima eſt reſpectus rei locatæ ad locum; fundamentalis verò, & remota eſt illa, in qua fundatur talis reſpectus, qualis in corporibus eſt quantitas; in ſubſtantijs autem ſpiritualibus eſt ipſa ſubſtantia.

Not. 3. Quod aliquid eſſe in loco contingit tripliciter; 1. modo præſentialiter tantum; & ſic Deus per ſuam immenſitatem eſt vbique: 2. præſentialiter, & diffinitiuè, & ſic Angeli, & Animæ ſunt præſentialiter in loco, ſed ita hic, vt non poſſint eſſe naturaliter in pluribus locis adæquatis: 3. præſentialiter diffinitiuè, & circumſcriptiuè; & ſic res materiales, quantitatiuæ, & corporeæ ſunt in loco; vt explicatur etiam in lib. phyſ. ad quos &c. Inſuper aduertendum, quod nec ſubſtantiæ ſpirituales, nec corporeæ ſunt neceſſariò in loco; potuiſſent namque à Deo creari, nullo loco creato; neque ſunt in loco naturaliter, prout, ly, naturaliter opponitur violento; quia ſic eſſent in aliquo loco violenter, ſed ſunt in loco neutraliter, & indifferenter.

Concl. Angeli neque nullibi ſunt, neque vbique, ſed in aliquo certo, & determinato loco, & quidem diffinitiuè, ſed non circumſcriptiuè. Hæc videtur communis apud Theologos quoad omnes partes eius, prima pars aperte colligitur ex S. Scrip. vt patebit in probatione ſecundæ partis. Quare inter articulos à Stephano Epiſcopo Pariſienſi damnatos numeratur iſte, nempè, quod Angelus, vel Anima nuſquam eſt.

Prob. ratione. Quia ſi Angeli eſſent nullibi, hoc maximè eſſet propter eorum ſpiritualitatem, ratione cuius dicerentur penitus ſeparabiles, & independentes à ſpatio verò, vel immaginario, ſed hæc ratio non obſtat, quin dicantur eſſe in loco; cum ipſe Deus, & ſi ſummè ſpiritualis ſit reuerà vbique non tantum per præſentiam, ſed etiam per potentiam, & eſſentiam, ergo &c.

Prob. 2. pars 1. ex S. Scrip. quæ docet, Angelos esse in loco sic, vt non sint in alio, & signanter Apocal. 12. *Locus eorum non est amplius inuentus in Cælo*; & loquitur de Angelis malis. Docet pariter, Angelos moueri localiter, ac proinde esse præsentes vni parti vniuersi, & non alteri, Ita Zacariæ cap. 2. *Ecce Angelus, qui loquebatur mecum, egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum, curre, loquere ad puerum istum.* Ita Iob. cap. 1. Sathan ait: *Circuiui terram, & perambulaui eam*: Ita Tobiæ cap. 5. Raphael Angelus dixit: *Omnia itinera eius frequenter ambulaui.* Quæ omnia in sensu proprio, & litterali accipienda sunt; maximè, quia nulla apparet ratio ad tropos confugere; in quo sensu intelligunt etiam SS. PP. & præsertim Basil. Damasc. Theod. Greg. & alij, quos numerant Recentiores Doctores.

Prob. 3. pars; videlicet, quod Angeli sint in loco, non quidem circumscriptiuè sed diffinitiuè, & incircumscriptiuè. Prob. Angelus ex dictis est in loco, sed non modo quantitatiuo; ergo modo spirituali, idest præsentialiter, & totus in toto, & totus in qualibet parte loci; sicuti Anima in corpore, sed sic esse in loco est esse diffinitiuè, & incircumscriptiuè, ergo Angelus est in loco non dimensionaliter, & quantitatiuo modo, sed præsentialiter diffinitiuè.

Arg. 1. auctoritate SS.PP. quod Angelus non sit in loco. Boetius ita: *Communis animi conceptio, incorporalia in loco non esse.* Item D. August. lib. 9. q. 20. inquit, *Deus non est in loco, quia non est corpus.* Resp. Scotus. Boetius intelligit, quod non sunt in loco, sicut est corpus, & idem intelligit D. August.

Arg. 2. Locus ex Aristotile est vltima superficies corporis continentis, immobilis prima, sed nullum corpus continet Angelum; quia continens debet esse actualius contento, & corpus non est actualius Angelo, ergo Angelus non est in loco. Resp. dist. min. circumscriptiuè concedo min. diffinitiuè, nego. Ad id, quod additur de actualitate continentis, resp. cum Scoto, quod verum est de continente per modum causæ, non verò de continente per modum loci, ita vt locatum reperiatur totaliter intra locum, quatenus Angelus penetratiuè est intra partem illius corporis, cui præsens est.

Arg.

Arg. 3. Omne locatum habet situm, sed situs competit soli corpori quantitatiuo; ergo Angelus nequit esse in loco. Resp. dist. min. locatum circumscriptiuè, concedo, locatum diffinitiuè, cuiusmodi est Angelus, nego min.

QVÆSTIO II.

Vtrum Angelus sit in loco per suam essentiam, vel per operationem, vel per aliquid aliud.

NOt. 1. Quòd hæc quæst. dupliciter intelligi potest; 1. quod substantia Angeli non sit in loco, idest non sit præsens loco secundum se, sed sola operatio Angeli sit in loco; per quam operationem Angeli substantia sit in loco; 2. quod substantia Angeli sit in loco, idest præsens loco, sed ratio fundamentalis sit operatio transiens, itaut circumscripta operatione ab Angelo, eius substantia non possit esse in loco. In vtroque sensu à Thomist. videtur amplecti cum D. Thoma p. 1. q. 75. art. 7. vbi asserunt Angelum esse in loco per operationem præcisè, & lib. 3. contra gentes cap. 69. D. Thom. docet, quòd omne, quòd est in loco, vel in re quacunque aliquo modo contingit ipsam; res enim corporea est in aliquo, sicut in loco per contactum quantitatis dimensiuè: res autem incorporea in aliquo esse dicitur per contactum virtutis, idest operationem, ac proinde operatio est ratio formalis essendi in loco.

Not. 2. quod Vasquez vt aliquid noui adinueniret, opinatur vt refert Caspens. in tract. de Angelis; quod ratio, ob quam Agelus est in loco, est modus vnionis Angeli ad corpus, ratione cuius dicatur esse distans, vel propinquus alijs corporibus. Verùm hic nouus modus non videtur habere solidum fundamentum, eo quia iste modus vnionis superfluus est ad talem effectum; nam intima præsentia, & in distantia substantiæ spiritualis cum corporali rectè intelligi potest sine tali vnione; cum Deus sit intimè præsens omnibus creaturis, estò non sit illis vnitus. Et quàmuis similis vnio reperiatur inter Animam rationalem, & corpus, ea tamen non requiritur ob intimam eius præsentiam, sed vt informet corpus. Vnde signum est quod ista vnio non sit ratio præsentiæ, sed præsentia præ-

supponitur ad vnionem; cum Anima priùs natura sit præsens corpori, cui est vnienda: ergo &c.

I. Concl. ad mentem Scoti. & Scotist. in 2 d. 2. q. 6. ratio formalis fundamentalis, quare Angelus est in loco non est eius operatio, sed eius substantia limitata. Prob. 1. ex Scot. loc. cit. vbi ait: Quòd contraria sententia sit quidam articulus damnatus ab Episcopo Parisiensi; etsi dicatur, quod excommunicatio non transeat Mare, vel Diæcesim subdit Doctor: si tamen fuit articulus condemnatus, vt articulus hæreticus, vbique est condemnatus, sicut hæreticus non autem Diœcesani tantum, sed etiam auctoritate Papæ extra de hæresi. cap. ad abolendum: Vel saltem sententia est suspecta, quando in aliqua Vniuersitate est damnata. Hæc Scotus; & deindè subdit: Alij nolentes verbo suspecto vti, Angelum videlicet esse in loco per operationem, dicunt, ipsum esse in loco per applicationem eius ad locum. Ita Gofred. quol. 8. q. 13. quem dicendi modum multi ex Thomistis sequuntur. At hic dicendi modus coincidit cum priori. Non enim videtur applicatio posse intelligi aliquid esse, nisi sit actus primus, vel actus secundus; non actus primus vt clarè patet, neque secundus immanens, qualis est intellectio, & volitio Angeli, quia sicut existentia Angeli abstrahit à loco, ita & operatio intrinseca, aut talis applicatio est actio transiens, & sic redit in idem, quod prima opinio tenet.

Prob. 2. auctoritate S. Scrip. & præsertim Luc. cap. 2. vbi dicitur *Missus est Angelus ad Mariam, & ingressus dixit*: ergo priùs ingreditur, & fit præsens, quam loquatur; & Matth. 4. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei*; ergo prius fuerunt Christo præsentes, quàm ei ministrarent.

Nec valet. Respondere cum Caiet. Angelos esse quidem priùs præsentes, quàm operentur, sed præsentia inadæquata, & inchoata, quam Thomistæ præsentiam ordinis appellant; non valet inquam, quia ad veram, & adæquatam rationem præsentiæ, solum requiritur, quod reuerà Angelus totus sit hic, quod non alibi, hoc enim præstat præsentia, ergo &c. Prob. 3. à Scot. priùs est esse, quàm operari; ergo prius est esse in loco, quàm operari in loco: sed posterius non potest esse causa prioris, ergo operari in loco non est causa cur Angelus sit in loco.

Con-

Confirmatur hæc ratio. Nam, si Deus cum sit infinitus, & infinitæ virtutis, non agit circa aliquod passum, nisi sit illi præsens, à fortiori Angelus agere nequit in aliquod, nisi sit ei præsens per suam essentiam, & hæc ratio videtur esse ad hominem contra D. Thomam, qui tenet, Deum esse præsentem, vbi operatur. Prob. vltimò. Admissa hac opinione, sequerentur multa inconuenientia. Primum quidem, quia Angelus transiens de Cœlo in Terram, nullam operationem habendo in medium, transiret per medium, & non esset in medio. Secundum Angelus aliquando immò frequenter nullibi esset, quia posset non operari. Tertium Angeli Beati non essent in Cœlo Empyreo, & Angeli mali non essent in Inferno, quia non potest assignari, quid operentur boni in Cœlo, & mali in Inferno, quod pugnat contra fidem, ergo non est admittenda Thomistarum opinio. Resp. cum D. Thoma, Thomistæ, quod nullum est inconueniens, Angelos aliquando nullibi esse, eò quia sunt in loco per operationem, & metaforicè; vnde D. Thomas quol. 6. art. 3. ait. Nihil prohibet, Angelos non esse in loco, si voluerint. Ad vltimum resp. Caiet. quòd Angeli in Cœlo, & in Inferno habent aliquam operationem nobis occultam.

Verùm hæc responsio non est argumenti solutio, sed mera euasio, vt patet. Neque cæteræ responsiones quadrant, nam cum Angelus sit pars aliqua vniuersi, debet esse intra vniuersum, ac proinde alicubi; non quidem ad modum corporis, sed spiritus: ergo nequit Angelus non operans nullibi esse. Tum quia entitatiua præsentia vnius rei ad aliam connotans negationem distantiæ vnius ab alio in creatis admitti debet, cum Deus per suam immensitatem sit intimè præsens omnibus rebus, & Anima rationalis corpori, quod informat, ergo Angelus pariter per suam substantiam immediatè fundare potest entitatiuam præsentiam ad aliquod corpus, quod respectu illius habeat rationem loci continentis.

II. Concl. Ratio formalis proxima, per quam substantia spiritualis constituitur in loco est præsentia localis propria, & intrinseca Angelo, pertinens ad predicamentum vbi, & per motum localem productam. Hæc pariter videtur Scoti, & patet ex dictis; nam Angelus est in loco

per præsentiam sibi inhærentem, & non per solam simultatem cum loco; sed sic esse in loco est quidam modus, qui dicitur vbi, præter locum, & locatum, quo formaliter constituitur in loco iuxta suum esse, ergo ratio formalis, per quam Angelus est in loco, est præsentia, seu præsentialitatis respectus.

Prob. 2. Impossibile est, motum proprium esse non producto aliquo termino; omnis enim motus realis includit veram, & realem actionem, ac proindè productionem termini, sed quando Angelus descendit de Cœlo in Terram, velle contra verè, & intrinsicè mouetur in se ipso; ergo ille motus verè recipitur in ipso Angelo, ergo necessariò producit aliquem terminum; nullus autem alius excogitari potest præter vbi, ergo vbi producitur per motum localem.

Arg. 1. cont. 1 conc. Per quendam articulum Parisiensem substantia non est ratio essendi in loco, ergo falsa conclusio. Resp. dist. ant. Substantia vt sic præcisa à finita, & infinita, concedo: substantia finita, & limitata, nego: Articulus ergo loquitur de substantia, quatenus præscindit à finita, & infinita; hoc enim modo competeret etiam substantiæ infinitæ esse in loco, quod est manifestè falsum.

Contra. Substantia quatenus limitata, & finita, non addit nisi negationem perfectioris entitatis, seu infinitatis; sed negatio nequit esse fundamentum relationis realis, cuiusmodi est præsentia diffinitiua: ergo &c.

Resp. neg. mai. assumptum. Quàmuis enim finitas, & infinitas soleant explicari per negationes, attamen dicunt pro materiali quid positiuum. Vnde negatio infinitatis dicit entitatem finitam in creatis, negatio finitatis, & limitatis dicit in Diuinis entitatem infinitam in genere entis.

Cæterùm demus etiam quod dicat solam negationem; attamen tunc fundaretur, non super negationem formaliter, sed super negationem fundamentaliter, hoc est super fundamentum talis negationis, ac proindè, ly, quatenus limitata, sumeretur non reduplicatiuè sed specificatiuè.

Arg. 2. nequit substantia spiritualis fundare relationem vbificationis; ergo seclusa operatione Angelus non est in loco. Prob. ant. Si substantia Angeli fundaret relationem ad locum determinatum, vel illam fundaret, vt substan-

tia, vel vt talis ſubſtantia; non primo modo quia ſic omnis ſubſtantia, etiam infinita eſſet in loco; neque ſecundo, quia ratio formalis ſubſtantiæ Angelicæ, nil aliud formaliter denotat, niſi ſubſtantiam ſpiritualem totalem, & adæquatam, nullum ordinem dicentem ad corpus: ergo ſubſtantia Angeli per ſe præcisè nequit fundare relationem ad locum.

Reſp. nego ant. ad probationem dicitur, quod ſubſtantia Angelica fundat relationem, non quidem, vt ſubſtantia, nec quatenus ſubſtantia Angelica, ſed quatenus ſubſtantia eſt hic, & non alibi, & hoc modo dicit ordinem ad tale ſpatium, ſeu locum.

Arg. 3. Res, quæ vere dicitur vbicari, & locati, debet tangere locum ſecundum Ariſt. 4. phyſ ſed Angelus ſecluſa operatione, non poteſt tangere locum; ergo Angelus eſt in loco per operationem. Prob. min. Ex Ariſt. non datur niſi duplex contactus, nempe mathematicus, & virtualis: ſed Angelus contactu mathematico nequit tangere locum, cum ſit expers quantitatis; ergo tangit illum contactu virtutis, qui fit mediante operatione.

Reſp. conc. mai. & neg. min. Ad probationem dicitur, quod præter contactum mathematicum, & virtutis, datur tertius, qui dicitur entitatiuus conſiſtens in immediata vnione vnius ad aliud, ita vt inter vtrunque nullum intercedat ſpatium, & talis contactus eſt inter Angelum, & locum, & ſe ſe realiter vbicantem in vero loco, & hic contactus reduci poteſt ad contactum quantitatis per eſſentiam, quæ dicitur quantitas perfectionis.

Arg. 4. Si Angelus eſſet in loco per ſuam ſubſtantiam, ſequeretur, Angelum ſemper debere eſſe in loco æquali; quia eſt in loco ratione ſubſtantiæ, quæ ſemper eſt eadem, & inuariabilis; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. ſeq. mai. Ideò corpus ſemper occupat ſpatium æquale, quia ratio occupandi eſt quantitas; quæ niſi varietur, vel per rarefactionem, vel per condenſationem, ſemper eſt in æquali loco: ergo &c. Reſp. neg. ſeq. mai. ad probationem dicitur non eſſe eandem rationem de ſubſtantia Angeli, & de corporis quantitate, cum inter ea ſit euidens diſcrimen; licet enim in vtraque ſit determinata capacitas tanti ſpatij, vel loci, attamen capacitas ſubſtantiæ Angelicæ, ſtat

im-

immediatè sub imperio ipsius Angeli quoad occupationem tanti, vel tanti spatij intra propriam spheram; non sic vero se habet quantitas respectu loci, & hoc ratione suæ extensionis, quæ necessariò occupat locum, secundum quod est extenta.

Dices. Anima rationalis est tota in toto, & tota in qualibet parte, & tamen non potest ad libitum modo informare corpus totum, modo solam partem; ergo nec Angelus habet in sua potestate esse in loco, modo maiori, modo minori. Resp. neg. paritatem, & ratio disparitatis est, quia vt aduertit, Rada; quantitas perfectionis in Angelo respectu illius vnionis cum loco, habet duo; Primum est, quod ex propria entitate, & modo quo vnitur non repugnat ipsi indifferenter vniri toti loco, & parti eius. Secunda est, quod illa vnio est terminus operationis liberæ ipsius Angeli, idest motus localis. Vnde ratione suæ quantitatis, & suæ operationis liberè potest Angelus esse in æquali, & in minori loco: Defectu primi, quantitas non potest esse nisi semper in loco æquali; & defectu secundi Anima rationalis non habet in sua potestate informare nunc totum corpus, nunc ipsius partem; est enim determinata ab agente extrinseco ad corpus informandũ, ac proindè non cadit sub imperio voluntatis eius. Contra si illa vnio est terminus operationis liberæ ipsius Angeli, ergo Angelus est in loco per operationem; quia motio localis eiusdem Angeli ad locum est operatio extrinseca, nec sine ea potest esse in loco. Resp. dist. conf. est in loco per operationem, hoc est effectiuè se mouet ad locum conc. formaliter, neg. conf. Aliud enim est adducere se in locum per motionem localem, aliud est esse formaliter in loco; hoc pertinet ad rationem formalem essendi in loco, illud ad causam effectiuam, de qua hic non loquimur.

Arg. cont. 2. Concl. Ille relationes propinquitatis, & indistantiæ, non sunt relationes reales intrinsecè, sed solum denominationes extrinsecè nihil ponentes in Angeli substantia; sicut columnam esse dexteram, nihil ponit in ipsa; ergo substantia Angeli non fundat relationem præsentiæ, adeo vt dici possit vbificata.

Resp. neg. esse solum denominationes extrinsecas; eo quia nulla denominatio extrinseca potest de nouo aduenire

nire vni extremo, nisi fiat mutatio intrinseca in alio per formam intrinsecam in ipso receptam, à qua extrinsecè denominatur aliud; sit idem exemplum de columna, quæ dicitur dextera à parte dextera animalis, si antea carebat tali denominatione, & postea eam aquirat, necesse est, vt animal mutetur saltem localiter, vt talem denominationem tribuat; & absque illa mutatione implicat dari talem mutationem.

QVÆSTIO III.

Vtrum Angelus sua naturali, virtute possit esse in loco quantumcunque minimo.

NOt. 1. Quod extra controuersiam videtur esse, Angelos non posse semper maiorem locum occupare, sed habere vbi determinatum quoad magnitudinem, quod ex communi sententia docuit Scotus in 2. d. 2. q. 6. Natura enim Angelica sicut est limitata quoad esse, ità coarctatur quoad operationes; ac proinde etiam quoad extensionem suæ substantiæ in ordine ad locum, ita vt non possit se ad maiorem reducere, quia tandem se reducere posset, quantum esset ex sui natura, ad locum infinitum, si esset possibilis talis locus.

Not. 2. Quod pro intelligentia præsentis quæstionis faciunt, quæ docentur in physica agendo de continuò, vbi agitur: An continuum componatur ex diuisibilibus, vel indiuisibilibus, & pariter. An continuum sit diuisibile in partes infinitas &c. Quare illuc vos mitto, impræsentiarum solum aduerto, quod per diuisibilia intelliguntur partes proportionales, seu non determinatæ, & non signabiles, quæ rursus in minores, & minores diuidi possunt; secùs autem de partibus eiusdem quantitatis, seu magnitudinis, quæ etiam appellantur signabiles, & determinatæ; per indiuisibilia verò intelliguntur indiuisibilia mathematica, qualia sunt puncta, lineæ, & superficies, quæ nullas partes habent ex eo capite, quo indiuisibilia sunt. Vnde excluduntur ab hac ratione indiuisibilia physica, quæ dicuntur minima naturalia, vt oculus pulicis, cuspes actus, & similia, quæ indiuisibilia sunt, non quia care-

ant partibus, in quas saltem mente distribui possent sed quia talis diuisio ab agente naturali fieri nequit; his prænotatis fit.

I. Concl. Angelus sua naturali virtute potest semper ad minorem, & minorem locum se reducere, immò & ad punctum. Est Scot. in 2. d. 3. q. 9. quamuis inclinet fortasse magis ad oppositum, vt infra patebit; & hanc partem amplectuntur quam plures Scotistæ recentiores, vt Gauellus, Mastrius, Fras. Herincx, & alij.

Prob. 1. Angelus per suam substantiam ex dictis est in loco fundamentaliter per suam substantiam liberè applicatam loco, ergo pro suo libito poterit se ad minorem, & minorem intra suam spheram comprehensum se restringere, & tandem etiam ad punctum. Conf. patet, quia Angelus est entitatiuè spiritualis. Tum quia Angelus dum est in loco, est totus in toto, & totus in qualibet parte loci, etiam proportionali, sed non dependet ita ab vna parte loci adæquati, quin possit se restringere ad aliam, ac proindè ad minorem, & minorem in illo loco adæquato comprehensam, & etiam ad punctum; ergo hoc potest. Quod autem possit esse in puncto, supponto, quod punctum sit quid reale à parte rei probatur speciali quoque ratione. Angelus existens in loco sibi adæquato, est totus in toto, & totus in qualibet parte quantumcunque minima; & indiuisibili; non enim videtur aliqua repugnantia, quod indiuisibile spirituale sit in indiuisibili materiali, ergo Angelus existens in loco, existere potest, immò de facto existit in puncto. Verùm Scotus in hoc est problematicus, vt infra &c.

Arg. cont. conclusionem auctoritate Scoti, quæ suadet probabilitatem, oppositæ sententiæ sic. Quidquid potest esse in vno æqualium, potest esse, & in alio, si ibi figuratio non repugnet, vt tradit Euclides propositione 35. sed Angelo nulla figuratio loci, in quo est, repugnat, ergo si potest esse in vno æquali, poterit etiam esse in alio; & consequenter si potest esse in quadrato quantumcunque paruo, & stricto, poterit etiam esse in quadrangulo quantumcunque longo, isti quadrato æquali, quod est absurdum; eo quia tunc vnus Angelus posset esse simul in Cœlo, & in Terra cum tantum valeat quadratum in quadrangulum extendi.

Resp.

Resp. Mastrius, & alij quod si Angelus potest se actiuè locare in quadrato v. g, palmari, poterit etiam se locare in quadrangulo, quia est idem prorsus spatium, quod erat conclusum in quadrato; cum vnum ab alio non differat in quantitate, sed sola figuratione; & licet verum sit, non posse quadratum per compressionem laterum protendi in longitudinem maiorem, & maiorem in infinitum, nisi respectu partium illius quadranguli, procedendo per partes indeterminatas, sed per partes determinatas; nam ex Aristotile motus localis 6. phy. fit per acquisitionem partium determinatarum non proportionalium; hæc Mast. disp. 2. de Ang. q. 3. n. 93. §. Denique argumentum &c. Resp. Frassen cum Poncio, negando; Angelum posse esse in quadrangulo &c. quia ex quadrato quatuor pedum, non potest naturaliter fieri vllus quadrangulus, qui possit protendi à terra ad cœlum; hæc enim protensio fieret per partes determinatas, quæ sunt finitæ. Itaque ratio adducta de quadtato &c. non est necessaria, sed solùm probabilis, alioquin Scotus non esset in hac quæst. problematicus.

Arg. 2. alia ratione Scoti. Si Angelus posset esse in loco semper minori, & minori, sequeretur, Angelum esse infinitæ virtutis, sed sequela est falsa, ergo, & oppositum.

Resp. dist. mai. seu seq. mai. Sequeretur Angelum habere virtutem infinitam synchategorematicè, conc. mai. cathegorematicè, nego mai. Itaque nullum apparet inconueniens admittere infinitatem synchategorematicam in potentia loco motiua Angeli, cum similis potentia in eo admittatur ex parte intellectus; potest enim per omnem æternitatem elicere, seu producere intellectiones nouas, & nouas, ac proindè in infinitum synchategorematicè.

Verùm, quia Scotus, vt supra innuimus, in hac quæstione est problematicus, idcirco placet mihi ad ingenij exercitationem ponere opinionem oppositam conclusioni, quam tenet Io. Bassolius Scoti Discipulus fidelissimus, & sequuntur Vulpes, Faber, Herman, & alij, & nouissimè propugnat doctissimus Macedo tom. 2. de loco Angelorum collat. 1. diff. 4. sect. 6. Quarè conclusio opposita superiori conclusioni est ista. Angelus non potest se locare in loco paruo, idest minori, & minori in infinitum: hæc conclusio euidenter probatur duabus rationibus Scoti adductis

ctis in parte argumentatiua pro altera opinione. Prima quidem est mathematica de quadrato, & quadrangulo. 2. est Philosophica de virtute infinita Angeli, vt supra &c. Vnde contendit Macedo contra Mastrium supradictas rationes Scoti esse necessarias, & non probabiles, vt putat Mastrius; immò Macedo arbitratur Scotum in hac quæstione, non esse problematicum, sed quidquid sit de hoc, veniamus ad rationes. Siquidem prima ratio existimatur à Macedo necessaria, appellando illam necessariam, & demonstratiuam mathematicè, & subdit consuluisse Doctores Mathematicos in Accademia Patauina doctissimos, videat ergo Mastrius, quo iure dicat, Scotum non necessarias, sed tantum probabiles rationes afferre. Ita Macedo, qui pergens ad secundam rationem, ostendit, eam esse idoneam, & efficacem tali ratiocinatione.

Si Angelus posset esse in loco semper minori, potest etiam noscere omnes partes continui proportionales, & virtuales, easque habere in numerato, & velle in illis esse, & poni in illis actualiter, non dico simul, sed successiuè, & in infinitum; sed hæc arguunt in Angelo virtutem infinitam, ergo &c. Mai. est certissima; nam vt Angelus constituatur liberè in certo loco, necesse est illud distinctè nosse, ac velle. Prob. min. Nosse partes infinitas, easque cogitatione explicare est infinitas species intellectuales exprimere rerum distinctarum, ac infinitè tendere explicando, ac exprimendo, Quod ex duplici capite arguit infinitam virtutem, tum cognoscendo, tum explicando, quæ sunt implicitè, ac virtualiter tantum in continuo, quod non potest creatura; cum illæ sint occultæ, sed solus Deus, ergo non est in potestate naturali Angeli illas partes per cognitionem suam naturaliter secernere, ac determinare, procedendo in infinitum &c.

Nec opponat Mastrius, illud continuum esse rem simpliciter finitam quia facilè reijcitur respondendo. Verum est actu esse finitum, & quoad partes actuales; non esse tamen finitum potentialiter, seu quoad partes proportioles. Vnde oritur impossibilitas in Angelo, qui, vt in illis se locet, debet easdem distinctè cognoscere, & in actu ponere, tum cogitando, tum exequendo; quæ quidem partes hoc modo sumptæ fiunt in re, & actu progrediendo in infini-

finitum plures, ac plures, atque adeo Infinitæ, transeundo de statu potentiali, & synchategorematico in statum actualem, & cathegorematicum. Immò sequitur ex hac suppositione, Angelum, cognitis illis partibus, & vbicatis, posse sustinere illas omnes, vbicando omnes, & ita habere infinita vbi correspondentia illis partibus,& vlterius eas iam explicatas, conseruare.

Quod si respondeat Mastrius, omnes istas efficere vnam præsentiam totalem, & adæquatam, finitam. Refuto dicendo, iam tunc esse illam præsentiam totalem, & adæquatam continui, mutatam in actuales præsentias infinitas; quemadmodum, & partes potentiales continui certi, & adæquati transierant in partes actuales re, & numero distinctas. Iam vero illa alia responsio, quod omnes hi effectus sint in se finiti, quamuis sit falsa, non aufert difficultatem argumenti, quia sepè ad effectus finitos requiritur virtus infinita, vt patet de vacuo, cuius inductio cum sit, quid finitum, arguit tamen virtutem infinitam.

Vnde oritur, & altera probatio, quam innuit Scotus. Si Angelus potest se facere præsentem locis in infinitum minoribus,posset esse in loco quantumcunque magno,nam qui potest facere vnum infinitum, potest etiam, & aliud, sed virtus Angeli potest facere vnum infinitum ponendo se in locis in infinitum minoribus: ergo poterit etiam facere alterum infinitum, collocando se se in loco maiori in infinitum; hæc Macedo.

Cæterùm si loquamur de potentia Dei, videlicet,an per potentiam Dei Angelus possit esse in loco minori, & minori, ne dum Macedo, sed etiam Doctores communiter id concendunt. An verò Angelus possit esse in puncto,vel non. Resp. Scot. non videtur ratio necessaria, nec ad vnam partem, nec ad aliam, quia licet Angelus sit indiuisibilis; non habet tamen indiuisibilitatem limitatam,sicut punctus. Nec fortè repugnat sibi esse in puncto, quia nullum inconueniens videtur ex hoc inferri; nam si dicatur, quod Angelus non posset moueri localiter, nisi spatium esset ex punctis; resp. quod potest immediatè ex loco punctuali ferre se in continuum, cuius continui punctus est terminus; hæc ad mentem Scoti.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angelus sua naturali virtute possit esse simul in pluribus locis.

NOt. Quod locus Angeli alius est adæquatus, alius inadæquatus, vt supra explicatum fuit; inadæquatus autem, alius est continuus, & alius discontinuus, seu dissitus e. g. supposito quod hæc schola sit locus adæquatus Angeli, quæritur. An sua naturali virtute esse possit in illo angulo, & in illo alio dissito, & distanti, sed intra spheram loci adæquati absque eo quod sit in medio.

I. Concl. Angelus sua naturali virtute non potest esse in pluribus locis adæquatis, benè tamen supernaturaliter: hæc est communis. Prob. quoad 1. part. auctoritate D. Damasc. docentis cap. 33. quod Angeli, dum sunt in Cœlo, non sunt in Terra; & è conuerso, ergo &c.

Prob. ratione oppositum videtur includere repugnantiam, ergo &c. Prob. ant. Ille locus dicitur adæquatus alicuius locati, qui neque excedit locatum, neque exceditur à locato, sed si Angelus posset esse in duobus locis adæquatis, essent illa loca adæquata, & inadæquata; adæquata, vt supponitur; inadæquata, quia locatio vnius non impediret locationem alterius, quæ omnia repugnant; ergo Angelus sua naturali virtute nequit esse in pluribus locis, vt opinantur Thomistæ, & quidam alij.

Prob. 2. Nam sicut Angelus habet limitatam essentiam simpliciter, ita & in ordine ad locum, quem occupare potest proportionatè ad spheram suæ actiuitatis, est limitatus; sed vnus solus locus adæquatus est proportionatus Spheræ actiuitatis Angeli, ergo non plura loca adæquata, sed vnum tantum potest Angelus sua virtute occupare.

Prob. 2. pars. De facto per diuinam potentiam Corpus Christi est simul in pluribus locis adæquatis, quia plures fiunt consecrationes in diuersis altaribus: immò tunc est in Cœlo, & in Sacramento; ergo Angelus pariter per diuinam potentiam potest esse in pluribus locis adæquatis.

II. Concl. Angelus sua naturali virtute nequit esse in pluribus locis inadæquatis discontinuis, & dissitis. Ita plures Scotistæ; quàmuis Scotus hoc reliquerit indecisum

ſum in 2. d. 2. q. 7. vbi inquit. Sed an in duobus locis diſcontinuis poſſet eſſe, quorum nec vnus, nec alter eſſet ſibi adæquatus, dubium eſt, nec videtur ratio neceſſaria pro, nec contra, eſt tamen contra Thomiſtas.

Prob. 1. SS. Patres communiter negant, Angelos naturaliter poſſe hic, & ibi eſſe, atque operari, quod tamen præſtare poſſent, ſi poſſent eſſe in pluribus locis inadæquatis diſcontinuis intra tamen ſpheram ſuæ actiuitatis contentis; & ſignanter hoc tradit D. Damaſc. lib. 2. de fide cap. 3. ergo &c. Prob. 2. Natura Angeli etiam quo ad loca inadæquata diſcontinua videtur eſſe limitata, ſicut aliæ creaturæ, vt patet de Anima rationali, quæ partes diſcontinuas corporis non poteſt informare, niſi etiam informet intermedias; ergo nec Angelus poteſt &c.

Præterea. Fundamentum Thomiſtarum, aſſerentium oppoſitum, deſumptum ex operatione Angeli ſimul in pluribus locis inadæquatis non ſubſiſtit, vt oſtenſum eſt ſuperiùs; nam operatio non eſt ratio Angelo eſſendi in loco, ſed eius ſubſtantia, ergo &c.

Addo aliam rationem. Ideo Angelus non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis adæquatis ſua naturali virtute, quia non habet in ſua poteſtate replicationem, & multiplicationem ſuæ preſentiæ in pluribus locis, ſed ſi poſſet naturaliter Angelus eſſe in pluribus locis inadæquatis, haberet in ſua poteſtate replicationem ſuæ præſentiæ, ergo ſicut non poteſt eam replicare in pluribus locis adæquatis, ita nec in locis inadæquatis.

Arg. cont. 2. conc. Tota ratio, ob quam nullum corpus poteſt eſſe in duobus locis, etiam partialibus diſcontinuis, eſt, quia corpus eſt quid continuum, & dependens à loco, at non ſic ſe habet Angelus in ordine ad locum, ergo &c. Reſp. in mai. vnam ſolam rationem aſſignari, quare corpus non poteſt eſſe in pluribus locis inadæquatis; eſt etiam alia ratio, quia corpus ob ſuam limitationem ita determinatur ad vnum locum, vt eſſe nequeat in alio naturaliter, & hæc habet locum, etiam in Angelis, eſtò non militet alia de quantitate continua.

Contra. Angelus eſt in loco per liberam applicationem ſuæ ſubſtantiæ ad locum, ergo nihil impedit, quin poſſit illam applicare duobus locis inadæquatis diſſitis, & diſtan-

stantibus. Resp. neg. conf. eo quia Angelum totum locum sibi adæquatum occupare, vel solum vnam partem, nulla apparet repugnantia, cum inde non sequatur esse in pluribus locis, sicut sequeretur, si Angelus posset se ponere in duabus extremitatibus loci, non verò in medio, vt in probatione conclusionis satis ostensum est.

Quæres. Vtrum plures Angeli possint esse in eodem loco simul tempore.

Resp. ex Scoto, quod cum pars negatiua, quam tenent D. Bonauentura, Ricard. D. Thom. & alij, non sit ita clara, & certa; immò affirmatiua videatur verior, & probabilior, potius dicendum est, Angelos plures simul tempore posse in eodem loco esse. Prob. Scot. 1. quia Angeli non habent quantitatem, ergo non apparet, vnde possint impediri &c.

Confirmatur quia Lucæ cap. 8. habetur in eodem homine fuisse vnam integram legionem Dęmonum, quæ quidem legio apud Romanos includebat sex millia, sex centos, & sex milites.

Prob. 2. ex opposito sequeretur, inquit Scotus, vnum Angelum non posse v. g. descendere de Cœlo in Terram per lineam rectam, si in eadem linea esset alius Angelus, nisi iste cederet loco. Tum quia in obsessis Angelus, & Anima sunt in eodem corpore; ita discurrit Scotus in 2. d. 2. q. 8. §. in ista quæstione; saltem problematicè vt aduertit noster Dealcadil. in tom. de Angelis, quam sententiam recipiunt etiam alij extram nostram Scholam, vt Ocham, Mollina, Vasquez, Suarez, &c.

Dices cum D. Bonau. Angelus est quædam pars vniuersi, ergo in toto debet habere aliquem ordinem, ergo vnusquisque Angelus habet suum determinatum locum.

Resp. dist. ant. Est pars vniuersi quoad determinatam entitatem, & perfectionem, conc. ant. quoad situm, & locum, nego &c.

Dices cum Ricardo. Quæ existunt in eodem loco, necessariò se penetrant, sed Angeli nequeunt se penetrare; ergo neque possunt esse in eodem loco. Min. prob, ab inconuenienti. Si enim Angelus posset se cum alio Angelo, vel cum anima penetrare, posset esse intra substanaiam illius, ac proindè esse in illo per illapsum præsens, quod

Au-

August. Beda, & alij iudicant impossibile. Resp. Vulpes, maiorem esse solum veram de his, quæ sunt in loco circumscriptiuè, nam ratione quantitatis expellunt aliud naturaliter, supernaturaliter autem se penetrant; Vnde Angelus esset in alio per illapsum eo modo, quo paulò superius dictum est.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angelus possit se mouere localiter?

NOt. 1. Quod motus localis est relatio ipsius mobilis, quatenùs tendit ad præsentiam loci, seu quatenus ad talem, & talem superficiem mouetur; hæc autem relatio, vt aduertit Faber, in motu locali est extrinsecùs adueniens, & reducitur ad passionem, licet alij motus sint relationes intrinsecùs aduenientes, & ratio est, quia illa relatio vbi, siuè præsentialitatis in passo ad mouens non est necessario in illo, etiam positis extremis in esse. Vel dici potest, & fortasse melius, quod motus localis est relatio intrinsecus adueniens, sicut alij motus, si consideretur quatenus est habitudo mouentis, non ad mobile, sed ad formam inductam in mobili, quæ est vbi; illud enim vbi non potest esse sine illo mouente, licet possit esse sine illo mobili; & hæc doctrina videtur conformis Scoto in 4. d. 13. q. 1. §. ad huius autem difficultatem.

Not. 2. Quod duplex est motus localis, nempe successiuus, & instantaneus. Primus est ille, in quo acquiritur pars post partem. 2. verò est ille, in quo acquiritur terminus ad quem in instanti, & absque successione. Successio autem in motu ex duplici causa prouenire potest; vel ex diuisibilitate motus; vel ex diuisibilitate spatij; & vna causa se sola est sufficiens ad successionem motus; quarè dato, quod mobile sit successiuum, etsi spatium sit indiuisibile, vt punctus, adhuc poterit moueri successiuè; quia vna pars mobilis priùs pertransibit illud spatium, deindè alia pars; quod si spatium solùm sit successiuum, & mobile indiuisibile priùs pertransibit vnam partem spatij, deindè aliam, & sic erit continuatio motus.

Concl. Angelus per principium sibi inexistens, & indistin-

ſtinctum ab Eſſentia poteſt ſe mouere de loco ad locum motu continuo. Eſt Scoti in 2. diſt. 2. q. 9. cont. Durandum, negantem omnem verum motum in Angelis, & contra Thomiſtas aſſerentes motum Angelorum eſſe ſolum motum æquiuocè, & abuſiuè. Prob. quoad primam partem 1. ex S. Scrip. quæ pluribi apertè tradit, Angelos ſe mouere, & ſignanter Matth. cap. 4. vbi ſic habetur: Et ecce acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei; cap. 28. *Angelus enim Domini deſcendit de Cœlo, & reuoluit lapidem*; Et Luc. cap. 1. *Et ingreſſus Angelus ad eam dixit &c* & infra; *diſceſſit ab ea Angelus*. Prob. etiam auctoritate SS. PP. præſertim Ambroſij dicentis lib. de Spiritu Sancto cap. 10. *Angelus verò cum loco diffiniatur; poteſt locum acquirere, & deſerere*. Et S. Hieron. Epiſt. 55. docentis; quod *Dæmones toto vagantur Orbe & ex celeritate nimia vbique præſentes ſunt*; & ita tradunt communiter SS. PP. Prob. ratione. Animæ ſeparatæ poſſunt exercere veros motus locales, vt patet de anima Chriſti, quæ deſcendit ad inferos; ergo etiam Angeli eoſdem exercere poſſunt; ſunt enim perfectioris entitatis, ac proindè perfectioris actiuitatis.

Prob. quoad ſecundam partem. Inter duo vbi ſunt plura vbi intermedia: ſed Angelus poteſt mouere ſe per omnia illa vbi, non quidem motu inſtantaneo, ſed continuo, & ſucceſſiuo; ergo motu continuo ſucceſſiuo poteſt mouere ſe de vno loco ad alium. Min. patet, quia Angelus poteſt eſſe per ſuam ſubſtantiam virtualiter quanta in vno vbi quantitatiuo, & de illo ad aliud pergere ergo &c.

Arg. 1. cont. 2. part. conc. Motus eſt actus entis in potentia ex Ariſt. 3. phy. ſubiectum enim recipiens eſt potentiale, & vbi eſt actus, ſeu perfectio eius; ſed vbi nequit eſſe perfectio Angeli; quia omnis perfectio alicuius debet eſſe nobilior eo, cuius eſt perfectio: ergo Angelus nequit ſe mouere motu proprio, & continuo ſucceſſiuo.

Reſp. conc. mai. & diſt. min. Non eſt perfectio eſſentialis, conc. min. non eſt perfectio accidentalis, nego: licet enim Angelus ſit nobilior, tamen, vt docet Scot. non eſt inconueniens, quodcumque cauſatum, quantumcumque perfectum, cum ſit finitum, & aliqua careat perfectione, eſſe capax alicuius perfectionis accidentalis, vt etiam dicebamus paulò ante de intellectione.

Arg.

Arg. 2 Nullum indiuisibile moueri potest; sed Angelus est indiuisibilis: ergo &c. min. patet, mai. prob. ex Arist. 6. phy. vbi sic docet. Quod mouetur partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem; sed indiuisibile, cum non habeat partes, non potest ita se habere: ergo &c.

Prob. mai. Quando aliquod est totaliter in termino ad quem, iam est mutatum, ergo indiuisibile moueri nequit.

Resp. neg. mai. & min. primæ probationis, & dist min. secundæ probationis indiuisibile non habet partes virtualiter, nego: non habet partes extensiuas quantitatiuè, concedo: Estò enim Angelus sit indiuisibilis; tamen vt docet Scot. loc. cit. occupat locum diuisibile, cum non sit in loco punctuali; vnde sicut est in loco diuisibili, ita potest diuisibiliter se mouere. Immo dato etiam, quod Angelus esset semper in puncto, non tamen sequitur quod non posset se mouere continuè, eo quia posset moueri per puncta sibi succedentia continuè, adeout, in nullo illorum esset nisi indiuisibiliter; ac proindè mouebitur continuè quàmuis sit indiuisibilis; & hoc patet de sphera, quæ super planum mota describit lineam; licet non tangat planum, nisi in puncto; Itaque indiuisibile moueri potest successiue, quia ad hoc sufficit, vel diuisibilitas mobilis, vel spatij diuisibilitas.

Arg. 3. Successio in motu prouenit ex resistentia, vel mobilis ad motorem, vel medij ad mobile, vel medij ad motorem; sed nulla istarum repiritur in Angelo: ergo &c. min. patet, nam medium non resistit Angelo, neque vt motori, neque vt mobili, cum medium sit corporeum, Angelus verò spiritualis; neque mobile resistit sibimet maiori; ergo nulla adest resistentia, ac proinde nulla est ponenda in eo successio.

Resp. quod in maiori non assignantur omnes rationes, ob quas potest esse successio in motu, quare præter assignatas, ponenda est etiam limitatio virtutis agentis; nam cum termino à quo ad terminum ad quem sint plura intermedia vbi, neque possit virtus Angeli facere, & per transire illa simul, nec peruenire ad terminum, nisi transeundo per medium, ideoque Angelus nequit statim peruenire ad locum distantem, nisi per motum continuum successiuum.

Vtrum Angelus transire possit de extremo ad extremum, non transeundo per medium.

NOt. 1. ex Scot. in 2. d. 2. q. 11. quod motus instantaneus est duplex, alius includens totam realitatem motus, & est, quando per illum motum instantaneum acquiritur totum id, quod per successionem, seu successiuum haberetur: alius includens realitatem termini motus, & est quando per motum instantaneum solum habetur id, quod terminasset, & absoluisset motus successiuus; vt in motu locali terminus est vltimum vbi acquisitum. Exemplum de primo moueatur subitò ab A. ad B. & simul habeat omnia vbi intermedia, & sic Angelus nequit transire de extremo ad extremum motu instantaneo; potest tamen Angelus motu instantaneo includens realitatem termini ad quem &c.

Not. ex Scot. in 2. d. 2. q. 12. quod duplex est medium intercedens inter duo extrema, de quorum vno Angelus potest recedere ad alterum; aliud participans, seu communicans cum extremis, & aliud non communicans cum extremis: primum est illud, quod est compactum ex parte vnius, & alterius extremi, v. g. si medium sit spatium bipalmare, tunc inter vtrumque palmum designari potest palmus medius, non quidem ab vtrisque distinctus, & cum eis non communicans, sed ex semipalmo vtriusque compactus, & cum vtrisque communicans. Aliud quod est compactum ex extremis v. g. si spatium medium sit tripalmare, primus, & tertius palmus dicuntur extrema, medius verò dicitur non communicans; inter quæ media, nempè communicans, & non communicans reperitur hæc differentia; quod primum cum fiat per diuisionem secundum partes proportionales non mediat actu, sed potentia; secundùm verò cum fiat per diuisionem secundùm partes æquales non communicantes, actu mediat, & facit actu distare latera; ac proinde ordo inter loca extrema per media ista, non est eiusdem rationis; nam inter illa est ordo potentialis, inter ista actualis.

I. Concl. Angelus si moueatur ad locum distantem per me-

medium non participans habet, naturaliter loquendo; transire per medium, non in instanti, sed in tempore; secùs autem supernaturaliter. Est Scoti in 2. d. 2. q. 9. quem sequuntur præter Scotistas, Ocham, Gabriel, Suarez, Vasquez, & alij contra Thomistas asserentes, Angelum posse in instanti se transferre de vno loco ad alium distantem; quia est in loco per operationem.

Prob. Concl. ex Scoto. Ordo præfixus ab Auctore naturæ seruari debet à quocumque agente inferiori, sed à Deo, qui est auctor naturæ præfixus est talis ordo, videlicet, vt non fiat transitus ab extremo ad extremum, nisi transeundo per medium ergo &c.

Confirmatur quia si Angelus naturaliter posset transire de extremo ad extremum quantumcunque distans non transeundo per medium, ergo transire posset ad extremum quantumcunque distans, quod non videtur competere eius finitæ virtuti; ergo &c.

Tum quia tenetur Angelus seruare ordinem præfixum ab Auctore naturæ etiam in alijs; non enim potest Angelus ex quolibet facere quodlibet; ergo teneatur seruare pariter talem ordinem in ordine ad locum.

Prob. Concl. quoad secundam partem nempè Angelum per potentiam Diuinam posse motu instantaneo, seu discreto transire de extramo ad extremum distans; quia nulla apparet impossibilitas, nam si quotidie transit in instanti Corpus Christi de Cœlo in Terram sub speciebus panis, dum Sacerdos terminat prolationem verborum consecrationis, vt fides docet, à fortiori dicendum est de Angelo.

II. Concl. Angelus potest in instanti motu indiuisibili pertransire ab extremo ad extremum immediatum, non transeundo succeßiuè per medium participans, seu quod est aliquid vtriusque extremi. Prob. potest Angelus existens in media parte sui vbi adæquati, illa non relicta, collocare se in instanti in altera parte loci sibi adæquati, ergo pari ratione existens in loco v. g. bipalmari sibi adæquato poterit relinquere in instanti illum, & statim se collocare in alio loco bipalmari immediato; & ratio euidens est, quia Angelus non habet partes, secundum quas sit commensuratiuè in loco, sicut corpus, sed cum sit totus in toto, & totus in qualibet parte loci, non est neces-

se,

se, quod successiuè deserat priorem locum adæquatum, & successiue alium locum acquirat. Itaque Angelus transire valet de vno extremo ad alterum, transeundo media participantia, seu communicantia, quæ non sunt actu, sed potentia ordine naturæ, & non durationis, hoc est prioritate naturæ, & non temporis.

Arg. cont. 1. part. conc. primæ. Datur aliquod corpus, puta, sol, qui in instanti agit illuminando totum aerem, nec prius tempore producit lumen in parte viciniori, quam in remotiori, ergo à fortiori potest Angelus in instanti transire de vno extremo ad aliud; maior enim ratio apparet de Angelo, quam de sole.

Resp. ex Scot. neg. paritatem; & ratio est quia, quando agens habet totum passum pro subiecto sibi adæquato, potest, si sit talis virtutis, immediatè, & in instanti agere in totum passum, quemadmodum euenit in sole, qui respicit totum aerem ab ipso illuminatum, vt passum sibi adęquatum; hoc tamen non reperitur in Angelo respectu loci distantis.

Arg. 2. Transire per medium est proprium rerum corporearum, ergo Angeli cum sint absoluti à legibus loci possunt non transire per medium, ac proinde in instanti se transferre ad locum distans. Resp. neg. assumptum antecedentis; nam transire per medium, non solum est corporum, sed etiam Angelorum, qui estò sint absoluti à legibus loci circumscriptiui, non tamen à legibus loci diffinitiui.

Contra. Si Angelus esset alligatus talibus legibus, hoc non esset, nisi quia Deus talem ordinem præfixit: sed hic ordo non apparet, habere locum in Angelis; vnde enim hoc constat? ergo solum gratis dicitur, eò vel maximè, quia cum Angeli sint longè perfectiores creaturis corporeis, petunt sic haberi respectu loci, vt non dependeant à medio, ergo &c. Accedit etiam, quod si esset talis ordo à diuina voluntate, non repugnaret Angelo, immò connaturale esset eius perfectioni transire de loco ad locum, non transeundo per medium; etenim, ablato ordine diuinæ voluntatis, posset iuxta suam vim naturaliter transire: ergo, & modo, cum de tali lege nullibi constet.

Resp. conc. mai. & neg. min. ratio namque finitatis, & limitationis in Angelo operatur, vt ipse nequeat transire de

de vno loco ad alium, & apertè oſtendit, talem ordinem eis in eſse. Cæterùm, quando dicit Scotus eſse otdinem præfixum à diuina voluntate, non eſt intelligendus in hoc ſenſu, quaſi talis ordo ſit veluti lex poſitiua, pendens ſolummodo à libera diuina voluntate, adeout ablata tali lege, connaturale eſset Angelo tranſire de vno ad alium locum abſque tranſitu per medium; ſed in hoc ſenſu Scotus eſt locutus, ideſt huiuſmodi ordinem eſse à Deo præfixum, attentis rerum naturis, vt patet legenti textum ipſius: itaque iſte ordo eſt ab auctote naturæ, iuxta exigentiam ipſius naturæ, & non eſt à Deo tanquam à legislatore.

Arg. 3. Angelus poteſt ſe mutare ad libitum, & in inſtanti, vt dicitur in 2. conc. ergo & ad locum diſtantem.

Prob. conſeq. Angelus per Scotum poteſt ordine naturæ pertranſire media participantia; ergo pari ratione ordine naturæ pertranſire poterit media non participantia.

Confirmatur quia, vel Angelus, dum ab vno loco extremo ſibi adæquato tranſit ad alium locum, vtrunque ſimul attingit, vel prius vnum attingit, & poſteriùs alterum; non primum, vt probat Scotus; ergo æquè poterit Angelus tranſire per loca media participantia, & non participantia. Reſp. neg. conſ. ad probationem dicitut quod non eodem modo ſe habent media participantia, & non participantia; iſta enim ſunt actualiter, illa verò potentialiter, ac proindè ordine naturæ pertranſire poteſt Angelus participantia ordine naturæ, & ſic patet quid ſit dicendum ad confirmationem.

Dices. Poteſt Angelus tranſire à primo puncto prioris extremi ad vltimum punctum poſterioris non tranſeundo media ſpatia ordine durationis, ſed naturæ: ergo &c.

Reſp. neg. Angelum poſse ab vno puncto prioris ad alium poſterioris pertranſire, quia ſpatium medium non eſt quid compoſitum ex vtroque puncto, cum illa ſint indiuiſibilia.



QVÆSTIO VII.

Vtrum Mensura Angelorum sit Æuum.

NOt. 1. Quòd mensura sic ex Scot. 2. d.2. q. 3. describitur: Est certificatio quædam quantitatis ignotæ per quantitatem magis notam; quæ quidem descriptio intelligitur tam de quantitate molis, quam virtutis. Quare mensura, alia est perfectionis, alia causationis, alia cognitionis, alia denique durationis. Mensura perfectionis est illa, qua res vna perfectior cœteris notificat perfectionem aliorum in eodem genere iuxta illud Phy. 1. meta. cap. 3. In vnoquoque genere est vnum, quod est mensura cœterorum in eodem genere. Mensura causationis dicitur id, quod aliud causat, sic 9. meta. scibile dicitur mensura scientiæ quam causat. Mensura cognitionis est certificatio illa, qua per quantitatem accidentalem alicuius entis magis notam innotescit quantitas alterius entis minus nota; talis mensura est quantitas nota e. g. vlna, qua ignota quantitas panni innotescit. Denique mensura durationis est certificatio, qua alterius entis existentia, & duratio innotescit.

Not. 2. quod durationis mensuræ tres solent communiter assignari, tum à Theologis, tum à Phylos. nimirum, æternitas, æuum, & tempus. Siquidem duratio se habet ad ista tria, vt genus ad suas species. Duratio autem pro formali sic describi potest. Est negatio desitionis rei, cuius est duratio; & pro materiali, est ipsa res durans, seu existens. Æternitas ex Boetio est interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio; ly interminabilis denotat carentiam principij, & finis, ly tota simul, non habere partes; perfecta, idest necessaria, & simpliciter indeficiens. Æuum est mensura rei non deficientis, potentis tamen deficere; quia Angelus e. g. posset à Deo non conseruari. Tempus est mensura rei formaliter successiuæ continuæ deficientis.

Not. 3. Quòd tam tempus, quàm æuum possunt considerari dupliciter vno modo pro duratione intrinseca rei, & sic in quolibet motu est suum tempus, & in quolibet Angelo est suum æuum, idest propria existentia durans;

alio

alio modo pro mensura extrinseca; & sic motus primi mobilis mensurat omnes motus inferiores, & vnus motus particularis, puta horologij, potest mensurare motum alterius; & ita pariter Angelus supremus dicitur mensura æuiternorum, seu Angelorum inferiorum, immò quilibet Angelus alio superior dicitur mensura sui inferioris. Quare ista tria inter se differunt, nempe, æuum, æuiternitas, & æuiternum; nam æuum dicit tantum durationem illam, quæ mediat inter æternitatem, & tempus absolutè; æuiternitas importat durationem, quatenus refertur ad æternitatem; æuiternum denique dicitur res, quæ tali æuuo mensuratur, vt Angelus, sicut dicitur temporale, quod tempore mensuratur. Itaquæ æternitate mensuratur Deus, æuiternitate Angelus, & tempore motus, seu res successiua.

I. Concl. Euum sumptum pro mensura intrinseca est mensura Angeli, sed impropriè, Prob. 1. pars. Mensura debet proportionari naturæ; vnde ait Arist. 10. meta. mensuram debere esse vnigeneam; sed natura Angelica est media inter Deum, & cæteras creaturas inferiores ipsa: ergo nequit ei competere mensura, neque Dei, nec creaturæ temporalis; ergo media: sed hæc est euiternitas, seu æuum, ergo Angeli mensura est æuiternitas, seu æuum.

Prob. 2. pars. Æuum intrinsicè nil aliud est, quam existentia Angeli, formaliter modaliter ab eius essentia distincta; sed mensura propriè dicta debet esse aliud à mensurato, & notius eo; nec non alias mensuræ conditiones habere, puta quod sit, vel excedens, vel excessa, vel æqualis, vel inæqualis, quas non habet æuum, ergo æuum non dicitur proprie mensura, si intrincè sumatur.

Ex qua conclusione infertur, quod si duratio Angeli sumatur pro mensura intrinseca, tot sunt æuua, quot æuiterna; eo quia quilibet Angelus sua propria existentia durat, & tam diù durat, quam diù existit.

II. Concl. Æuiternitas est mensura extrinseca, & propria Anpelorum. Prob. Nam aliud genus mensuræ nequit existentiam Angelorum mensurare, ergo æuiternitas est mensura. Prob. ant. discurrendo per reliquas mensuras; nôn enim Angelo competere potest æternitas, cum soli Deo competat, neque tempus; ergo remanet, quod sit æuiternitas, quæ est media.

III. Concl. Mensura Angelorum idest æuiternitas non importat durationem successiuam. Est Scoti in 2. d. 2. q. 3. cont D. Bonau. cuius opinionem, etsi Scotus adducat, & proprijs rationibus muniat præter rationes D. Bonau. tamen eam non tenet. Prob. concl. 1. auct. D. Dion. de diuinis nominibus cap. 10. dicentis: *proprietatem æuui esse totum simul, secundum totum metiri*; & D. August. lib. 83. q.q. ponentis discrimen inter æuum, & tempus per hoc, quod æuum est stabile, tempus autem mutabile.

Prob. ratione. In ente successiuo est aliud, & aliud nunc, seu instans; & vnum post aliud: at in æuiternitate non est aliud, & aliud nunc cum fluxu; ergo in æuiternite non est duratio successiua. Patet conf. quia essentia, & existentia Angeli est ens verè permanens, spirituale, indiuisibile, & actu simul totum consistens; ergo &c.

Arg. 1. cont. 1. conc. probando, quod æuum non sit mensura Angeli auctoritate D. Aug. dicentis super gen. ad litteram. *Deum mouere creaturam spiritualem per tempus*; ergo æuum non est mensura Angeli, sed tempus.

Resp. D. Aug. se ipsum explicare dicendo, Deum mouere creaturas spirituales per tempus, esse per affectiones mouere, quo ad naturam verò mensurari æuuo. Vel resp. D. Aug. loqui de tempore latè sumpto, quatenus se extendit etiam ad æuum.

Arg. Mensura realiter distinguitur à mensurato; sed duratio est mensura rei, quæ durare dicitur, ergo distinguitur realiter à re, ergo Angeli mensura distinguitur realiter ab eius essentia, & existentia. Prob. mai. nam tempus differt à motu, quia mensurat ipsum; tum quia quantitas permanens est realiter distincta à substantia, quam mensurat; ergo & æuum distinguitur ab Angelo realiter.

Resp. dist. mai. mensura extrinseca, concedo: mensura, quæ intrinsecè est duratio ipsius rei, neg. mai. duratio namque latè dicitur mensura, cum sit ipsa permanentia rei, & sic patet quid dicendum sit ad probationem geminatam; tempus enim est mensura extrinseca motus, quod si sumatur motus pro ipso tempore, tunc est duratio intrinseca ipsius temporis. Vnde in plus se habet motus, quam tempus, vt docet Scot. in 4. d. 48. q. 2. §. ad quæstionem; motus enim se habet ad tempus, quatenus genus

ad

ad species; valet enim dicere, est tempus, ergo est motus; sed non è contra.

Arg. contra 3. c ic. probando quod æuiternitas importet successionem 'bi est prius, & posterius, ibi est successio; sed in æuiternitate est prius, & posterius; ergo in æuuo est successio, ac proindè mensura Angeli importat successionem. Prob. min. Deus à principio Mundi potuisset creare vnum Angelum post alium, sicut modo potest creare alios Angelos, & sicut successiuè creat Animas rationales; sed hoc arguit successionem in mensura Angeli; ergo &c. Resp. neg. mai. ad probationem conc. mai. & dist. [illegible] min. arguit successionem in existentia Angeli, neg. [illegible] arguit successionem inter vnum, & alium Angelum, conc. min. Nam existentia vnius fuisset priùs, & existentia alterius posteriùs; exinde tamen non sequitur esse successionem in existentia Angeli.

Contra. Si responsio esset vera, ergo prius esset posterius, & è contra quod est impossibile. Præterea Angeli vt docet Scot. in prima morula fuerunt creati, in secunda fuit illis infusa gratia, in tertia alij meruerunt benè operando, alij demeruerunt peccando; sed hæc omnia fuerunt in æuiternitate; ergo in ipsa datur successio.

Resp. neg. quòd ex nostra allata responsione sequatur; prius esse posterius; solum enim sequitur esse prius, & posterius in ordine ad diuersas productiones Angelorum; non verò quod in ipsa eorum existentia sit successio. Ad illud autem de morulis videtur dicendum, vel numerari illas secundum tempus imaginarium, vel per respectum priorem, & posteriorem ad æternitatem, vel esse diuersa nunc æuui. Nihilominus quomodocumque ponatur nunquàm infertur, esse successionem in Angeli existentia.

Arg. 2. Angelus est in æternum duraturus; ergo habebit durationem in infinitum, ergo si ipsius duratio non sit successiua, sed tota simul, erit duratio ipsius actu infinita; sed hoc est manifestum absurdum, ergo &c.

Resp. conc. ant. cum 1. seq. & neg. vltima sequela; Etenim vt docet Scot. ad hoc vt esset aliquid infinitum propter coexistentiam, quam posset habere cum infinito tempore, deberet coexistere omnibus partibus infiniti temporis. Quare sicut illud tempus non esset infinitum,

nisi quatenus includeret infinitas partes; ita id, quod ipsi coexisteret, non foret infinitum, nisi pariter coexisteret omnibus eius partibus; hinc patet nullum sequi absurdum.

Arg. 3. Angelus potest à Deo annihilari circumscripto tempore. Quæro igitur, in quo nunc annihilaretur? Non in nunc temporis, quia illud non esset; neque in nunc æternitatis formaliter, vt patet; neque in nunc æui, quia illud nunc æui manet vnum, & idem per Scotum, ergo in eodem nunc æui erit, & non erit, quæ sunt contradictoria. Adde, quod Deus, anihilato Angelo, postea posset alium Angelum producere, sed tunc prius, & posterius non mensurarentur per comparationem ad tempus nostrum, ergo per æuum, ergo in æuuo datur prius, & posterius, ac proindè successio.

Resp. Scot. quod Angelus posset annihilari in eodem nunc æui negatiuè, si habeat nunc, idest indiuisibile, & differens ab eius existentia; suum enim nunc deficeret secum, absque eo quod Angelus deficiat in alio nunc æui: si autem suum nunc non differat ab existentia Angeli, sed sit ipsa eius existentia, tunc intelligitur annihilari cum æternitate, non tamen cum tota ratione præsentialitatis æternitatis, quia sic æuum adæquaret æternitatem, quod est impossibile, vt in quæstione de æternitate dicitur.

Vel resp. in tali casu annihilari Angelum per comparationem ad tempus immaginarium; sicut enim si Deus modo crearet Angelum, diceremus hunc Angelum non tantum temporis durasse, quantum Angelum creatū in principio Mundi, & hoc in ordine ad tempus nostrum; ita sublato tempore reali, remaneret comparatio ipsius Angeli ad tempus immaginarium; & sic resp. etiam ad id, quod additur de annihilatione, & creatione noui Angeli, cum hoc tamen, quod nunquam inferri possit, successionem locum habere in existentia Angeli, seu in æuiternitate.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Vtrum operationes Angelorum mensurentur æuo, vel tempore discreto.

NOt. 1. Quòd operationes Angelorum sunt in triplici differentia; nam quædam sunt immanentes, sed generabiles, & corruptibiles, non solum potentia, sed actu, vt intellectiones, & volitiones omnes liberæ; quædam sunt immanentes sed incorruptibiles, vt visio, & fruitio beatifica, & dilectio, & amor supernaturalis. Quędã sunt operationes transeuntes, vt sunt motus localis, operationes, quas habere posset incorporibus assumptis, & similia; de quibus omnibus est contentio inter Doctores, & præsertim inter Thomistas, & Henricum ex vna parte, & inter Scotum, & Scotistas ex altera.

Not. 2. Quòd Henricus quol. 18. q. 8. D. Thomas p. 1. q. 10. art. 5. in responsione ad primum, & Thomistæ communiter, quibus consentit Suarez in meta. disp. 50. sect. 7. ponunt quoddam tempus discretum compactum, ex pluribus instantibus correspondentibus singulis actionibus primi Angeli; vnde illud spatium, in quo durat cognitio Angeli, dicitur instans huius temporis discreti; & sicut illa cognitio est indiuisibilis, ac permanens, ita pariter illud istans temporis discreti, quod sibi correspondet, est indiuisibile, & permanens. Insuper dicunt Thomistæ instantia huius temporis discreti differre ab instantibus temporis nostri, quod est mensura primi mobilis, quia illa possunt coexistere tempori nostro diuisibili; cum possit vna intellectio Angelica durare per vnum diem; ac proindè instans mensurans eam coexistit tempori vnius diei; instantia vero nostri temporis, cum sint indiuisibilia non permanentia, nequeunt coexistere alicui parti temporis. Quare, cum in Angelis sint diuersæ cogitationes naturales sibi inuicem succedentes, opinantur Thomistæ cum Henrico, tempus discretum componi ex spatijs correspondentibus Angelorum cogitationibus.

Ratio autem ponendi tale tempus est, quia sicut aliquod est in se, ita habet mensuram sibi correspondentem; cum igitur cogitationes Angelorum non mensurentur æter-

æternitate, neque æuo; quod est mensura rei indefectibilis; neque tempore nostro; assignanda videtur alia mensura illis proportionata, quæ est tempus discretum; quod sic describi potest ad mentem Henrici: Tempus discretum est quantitas discreta constans ex pluribus nunc indiuisibilibus, ordinatim sibi succedentibus absque vlla continuatione; & idem docent Thomistæ, atque solum addit Caiet. Tempus discretum non esse quantitatem prędicamentalem, sed transcendentalem, ac proindè multum diuersum ab oratione, & numero; vt aduertunt communiter cum Scoto eius interpretes.

Not. 3. Quod Thomistæ assignant aliam mensuram actibus beatificis Angelorum, opinantes, mensurari æternitate participata; quid autem sit huiusmodi æternitas, non satis conueniunt Thomistæ, & alij Doctores. Quidam aiunt, vt Caiet. quem sequuntur multi ex Recentioribus, quod æternitas participata non est distincta ab æternitate, quæ mensurat esse Dei, sed eandem esse; solumque differre in hoc, quod æternitas, quatenus primò mensurat Deum, ac eius operationes, dicitur æternitas absolutè; quatenus verò secundariò mensurat ea, quæ participant diuinum esse, dicitur æternitas participata.

Alij volunt esse distinctam ab æternitate Dei, ac proindè esse æternitatem inferiorem, & differre inter se tanquam perfectius, & imperfectius.

I. Concl. Non est admittendum tempus discretum mensurans operationes immanentes, generabiles, & corruptibiles Angelorum. Est Scoti 2. d. 2. q. 4. vbi inquit: nullum apparere fundamentum ponendi tale tempus, & probat sic. Quæ habent vniformem modum manendi, dum manent, habent mensuram eiusdem rationis, licet vna diutiùs maneat, quam altera, sed cognitio Angeli, dum manet, habet eundem modum manendi cum existentia Angeli: ergo habet mensuram eiusdem rationis, ergo cognitio Angeli mensuratur non tempore discreto, sed æuuo. Resp. Caiet. hanc maximam esse veram solum cum hac additione, idest, quæ habent eundem modum manendi intrinsecum, & respicientem naturalem durationem rei. Verum hæc responsio nullius est momenti. Nam mensura vt habet Arst. 10. metaph. debet esse vnigenea

men-

mensurato, quæ vnigeneitas, & vniformitas mensuræ ad mensuratum non recipit modum essendi mensurati aptitudinalem, vel naturalem, sed modum manendi actualiter; quod autem res, quæ manet sit supernaturalis ordinis, vel naturalis impertinens est ad rationem mensuræ rei durantis.

Præterea arg. Scotus improbando positionem temporis discreti. Concedunt sic philosophantes magnam multitudinem temporum; sequeretur enim, quod quilibet Angelus haberet suum tempus discretum, quia vnus potest continuare cognitionem suam cum die nostro, & Angelus alius potest suam continuare cum dimidio diei; Angelus tertius cum hora &c. & ita vnus Angelus habebit quatuor instantia sui temporis discreti, dum alius habet vnum instans. Imò sequitur, quod in quolibet Angelo erunt duo tempora discreta, quia quilibet poterit continuare intellectionem suam, non continuando volitionem, & ita habebit duo instantia volitionis, & vnum tantum intellectionis.

II. Concl. Omnes operationes Angelorum immanentes, siuè beatificæ, siuè non mensurantur æuo. est Scoti in 2. d. 2. q. 3. contra Thomistas. Prob. concl. hac Scoti maxima. Quæcunque existentia actualis, inuariabilis, hoc est, cui repugnat, vt secundùm ipsam sit variatio, seu fluxus, vel acquisitio partis post partem, mensuratur æuo; sed talis est existentia operationum immanentium, siuè beatificarum, siuè generabilium, & corruptibilium; ergo &c. Neque æternitas participata, qua volunt Thomistæ mensurari actus beatificos, quales sunt visio, & fruitio Dei, est ponenda, quia nulla apparet necessitas: imò nec probabilis ratio, cum non benè explicetur quid sit, & coincidat cum æuo, secundum explicationem, quam passim faciunt Thomistæ. Quarè potiùs erit quæstio de nomine, vt rectè notat Dealgadil. in tract. de Angelis.

III. Concl [illegible] transeuntes Angeli, vt mouere Cœlum, a[illegible]lare in corpore assumpto, & similia, mensurantur tempore nostro. Conclusio da se est clara; quia huiusmodi actiones sunt successiuæ, sicut nostræ; ergo si nostræ mensurantur tempore, etiam illæ Angeli; non enim apparet maior ratio de illis, quàm de istis.

Arg. cont. 1. concl. Naturales Angeli operationes sunt instantaneæ, hoc est quælibet fit in instanti nostro, & aliæ sibi inuicem succedunt sine aliqua continuatione, & maximè, quando tales operationes sunt disparatæ; ergo spatia, quæ correspondent operationibus naturalibus Angeli, mensurantur tempore discreto.

Resp. conc. ant. quoad hanc partem, nempè, quod operationes naturales Angeli fiant in instanti, negamus tamen mensurari tempore discreto; benè tamen mensurantur æuo, vt probatum est supra &c.

Arg. cont. 2. concl. Omnis forma mensuratur tempore, quæ continuè, & successiuè acquiritur; sed intellectio Angeli successiuè acquiritur, & continuè; ergo &c. mai. patet, minor. videtur esse Scoti in 1. d. 3. q. 7. & in 2. d. 42. docentis Angeli intellectionem posse intendi, & remitti.

Resp. conc. mai. & dist. min. Intellectio Angeli acquiritur successiuè, ita vt acquiratur vnus gradus post alium absque vllo termino, quo continuentur illi gradus, conc. min. successiuè, ità vt non solum vnus gradus acquiratur post alium, sed etiam continuè, hoc est continuentur illi gradus aliquo termino communi, vt motus, neg. min. Quare ad hoc, vt aliquod mensuretur tempore non sufficit, quòd acquiratur successiuè, sed requiritur continuatio, quæ non habet locum inter gradus cognitionis, cum ipsi sint indiuisibiles. Itaque erit acquisitio vnius gradus in vno nunc æui, alterius in alio nunc æui &c.

Dices. Ergo etiam qualitates corporeæ, & materiales, puta, albedo, caliditas, & huiusmodi mensurabuntur æuo in ipsa intensione, & alteratione, quod est falsum: ergò nec intellectio mensuratur æuo, quia non apparet maior ratio de ista, quam de illis.

Resp. neg. conf. illatam ex nostra responsione: dispar namque est ratio de qualitate materiali, & de spirituali operatione Angeli; siquidem caliditas est in subiecto extenso, ideoque acquiritur partibiliter, & diuisibiliter continuè; nam motus propriè causatur ex Arist. & Scoto in 2. d. 2. q. 9. & quol. 11. ex diuisibilitate, vel subiecti mobilis, vel spatij; adeò vt partes talis diuisibilis verè continuentur alio, & alio indiuisibili; intellectio verò est indiuisibilis, & in se, & in subiecto.

Arg.

Arg. ptobando actus beatificos mensurari æternitate participata, Visio beatifica est immutabilior, & altioris ordinis, quam substantia ipsius Angeli; ergo mensuratur perfectiori mensura, ergo æternitate participata. Ant. patet; quia visio beatifica procedit ab intellectu informato Diuina Essentia, tamquam specie intelligibili. Tum quia Angelus, estò non varietur secundum substantiam, variatur tamen secundum accidentia; at visio beata nullo modo variatur: ergo &c. Resp. neg. conf. Est enim quid accidentale ad diuersificandam mensuram, quod res mensurata creata sit magis, aut minus perfecta in entitate, in mutabilitate, aut in alio; sed sufficit, quod eius existentia sit permanens. Nec refert, quod sit altioris ordinis; dummodo eodem modo se habeat, ac res inferioris ordinis in existentia, & modo existendi.

Dices. Visio beatifica est à lumine gloriæ, & terminat ad obiectum Diuinum; ac proindè est participatio quædam Diuinæ essentiæ; ergo mensuranda est æternitate participata. Resp. conc. ant. negamus tamen obid esse variandam mensuram; æternitas enim participata coincidit cum æuo. Itaque ex dictis infertur, ne dum operationes immanentes naturales, & beatificas mensurari æuo, sed etiam omnes substantias materiales, & corruptibiles quoad primum esse, quod per generationem accipiunt, mensurentur instanti temporis, & pariter quoad vltimum esse, quod admittunt per corruptionem, mensurantur instanti temporis; & ratio est, quia illæ mutationes substantiales fiunt in instanti temporis; post illud autem instans, quia sunt in facto esse, mensurantur æuo; eò quia sunt reuerà permanentes, & habent eundem modum manendi: sed hæc ad Philosophos spectant, apud quos obseruanda est præsertim illa doctrina, quam tradit Scotus in 2. d. 2. q. 3. §. ad primum dico; vbi agit de fluxu formæ generabilis, & corruptibilis, & in reportatis repetit breuiter eamdem doctrinam sic. Existentia actualis rei creatæ potest intelligi quinque modis. Primò alia est existentia actualis, quę est ipsius fluxus, vel formę, in quantum actu est in fluxu. Secundò est existentia alicuius quæ nec est fluxus, nec forma actu sub fluxu, sed tamen illa natura nata est esse sub fluxu, sicut calor in esse quieto.

Tertiò est existentia rei, quæ nec est actu sub fluxu, nec nata est esse sub fluxu, habet tamen aliquid annexum ratione cuius potest esse sub fluxu, quia secundùm illud annexum potest esse per se fluxus, vt forma substantialis ignis, si est in indiuibibili, ipsa neque actu, neque potentia est fluxus, tamen ratione qualitatum annexarum potest acquiri per fluxum, & deperdi. Similiter exemplum de substantia Cœli, & motu annexo. Quartò est existentia rei, quæ nec actu est sub fluxu, neque potentia secundùm se, nec ratione annexi; tamen illa existentia non est sempiterna: sicut intellectio Angeli. Quintò est existentia rei, quæ nullo istorum modorum est sub fluxu, & est sempiterna, vt existentia Angeli, qui tantùm mensuratur æuo; sicut fluxus, & forma vt actu sub fluxu tantùm mensuratur tempore. De tribus igitur existentijs intermedijs videndum, qua mensura mensurantur, & postquàm Doctor examinauit opiniones de tribus existentijs intermedijs, ita in fine quæst. 1. dist. 2. lib. 2. Rep. concludit. • Dico igitur, quod nulla existentia rei permanentis inuariabilis mensuratur nisi æuo; & de forma, quæ nata est variari potest sustineri primus modus dicendi, vel secundus; quos vide loc. cit. Et cum dicitur, quod eadem existentia mensurabitur nunc æuo, nunc tempore. Dico quod non: quia non est eadem existentia in fluxu, in actu, & existentia vniformis, cum actu non est sub fluxu. Et paulò superius instans sibi ipsi tali pacto. Cuius primum esse mensuratur instanti temporis, & esse habitum mensuratur tempore; respondet, verum esse; cuius primum esse per se mensuratur instanti temporis, non autem cuius primum esse per accidens mensuratur instanti temporis. Non enim est eadem ratio, si sit immediatè à Deo, quia sicut conseruat creaturam sine mutatione, vel motu præcedente, sic producit: & sicut conseruatio non mensuratur instanti temporis, sic nec primum esse sic produci. Nota, quod Doctor loquitur hic de forma ignis, de qua vide &c.



DIS-

DISPVTATIO V.

De gratia, merito, & demerito, nec non de peccatis, & pœnis Angelorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Angeli in primo instanti suæ creationis gratiam sanctificantem receperint.

NOt. 1. Quòd quàmuis Deus potuerit creare Angelos in beatitudine supernaturali, quæ consistit in visione, & fruitione Diuinæ essentiæ; nihilominus eos de facto non creauit: licet aliqui, sine tamen fundamento existiment, Angelos à suæ creationis exordio perfecta Diuinæ essentiæ visione, non quidem permanente, sed transeunte fuisse donatos; ita vt saltem per non nulla temporis instantia omnes Angeli, tam boni, quam reprobi habuerint beatitudinem supernaturalem. Vera tamen sententia Theologorum est, Angelos fuisse creatos in beatitudine naturali tantùm, quæ consistit in vltima perfectione, quam Angelus solis naturæ viribus sibi comparare potest per excellentissimas operationes intellectus, & voluntatis, hoc est per cognitionem Dei, vt summi boni, & per amorem Dei super omnia; quod deducunt Scholastici ex S. Scrip. & præsertim ex sententia Ezech. c. 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delitijs Paradisi Dei fuisti*: & paulò infra: *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ*; nec non ex SS. Patribus interpretantibus, ly in delitijs Paradisi, pro beatitudine naturali.

Not. 2. Quòd gratia est donum supernaturale, quod à Deo gratuitò datur Angelis, & hominibus, & omissis alijs gratiæ diuisionibus, de quibus latè agetur (Deo dante) in tractatu de gratia; pro nunc gratia diuiditur in gratiam gratis datam, & in gratiam gratum facientem. Prima est quoddam donum, quod datur hominibus potiùs ad salutem aliorum, quàm eorundem hominum, & sunt illa, quæ numerantur ab Apost. in Epist. ad Corint. cap. 12. *Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij operatio virtutum &c.* quæ dona cum non iustificent habentem, stare pos-

possunt cum peccato mortali. Secunda est, quæ datur vnicuique ad propriam salutem; & partitur in gratiam gratum facientem per modum auxilij actualis, quo e. g. quis excitatur à peccato, & ad bene operandum; & in gratiam permanentem, & per modum habitus, quæ iustificat habentem illam, & reddit eum Deo gratum, atque regni cœlestis hæredem; in præsenti quæstione non loquimur de gratia gratis data, neque de gratia actuali, sed de gratia sanctificante.

Not. 3. Quòd circa quæstionem sic explicatam sunt duæ sententiæ. Quidam censent, Angelos in primo instanti, quo fuerunt creati, non recepisse à Deo gratiam santificantem. Alij ex opposito existimant, Angelos in primo instanti gratiam recepisse. Vtraque opinio est probabilis; adeo vt D. Bonau. Scotus, & quam plures Scotistæ sint in hac re problematici; non enim ratio conuincens apparet, quæ cogat magis ad vnam, quàm ad aliam partem; nihilominus affirmatiua videtur probabilior, in quam etiam magis inclinat Scotus; ideò sit.

Concl. Angeli omnes fuerunt creati cum gratia habituali santificante. Ita Scot. in 2. d. 5. q. 1. D. Thomas, & Thomistæ, & Recentiores ferè omnes. Prob. 1. auctoritate S. Scrip. Iudas Apost. in sua canonica Epist. sic tradit. *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum &c.* vbi nomen græcum, pro quo vulgata transtulit (principatum) significat etiam originem, & ideò Iansenius, & alij interpretantur iustitiæ statum, in quo conditi sunt: & in Ezech. cap. 28. *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.*

Prob. 2. ratione. Deus rebus omnibus in prima productione dedit seminales quasdam rationes in ordine ad proprios effectus naturales, & proprios fines, vt experientia demonstrat in animalibus, & plantis: sed gratia habitualis comparatur ad gloriam, sicut seminalis ratio in natura ad effectum naturalem; ergo consonum est rationi, vt Deus creaturis intellectualibus ad gloriam ordinatis dederit in primo instanti suæ creationis gratiam habitualem sanctificantem. Prob. 3 Adamus conditus est in gratia ex cap. 7. Ecclesiast. *Deus fecit hominem rectum*, idest iustum, & Sanctum, quod videtur definitum à Trident. sess. 6. in decre-

to de peccato originali, vbi dicitur *Adamus per peccatum sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse*, ergo idem potiori iure dicendum est de Angelis.

Arg. 1. auctoritate S. Scrip. legimus in Iob. cap. 4. *Deus in Angelis prauitatem reperit*; in hebræo habetur, in Angelis suis non posuit laudem, vel lucem; sed gratia, & iustitia in Sacris litteris appellatur lumen, & lux, iuxta illud primæ Epist. Petri cap. 2. *Vocauit eos in admirabile lumen eius*. & S. Paulus plerumque iustos appellat filios lucis, dicens. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: ergo Angelus ab initio non habuit gratiam sanctificantem.

Confirmatur per D. August. lib. 1 de Gen. ad litteram cap. 9. dicentem; *Angelicam creaturam primò factam fuisse informem*, & Cœlum dictam, deinde formatam fuisse, & lucem appellatam. Resp. quod licet præfatus texus Iob interpretetur de laude, vel luce, tamen nō obest nostræ conclusioni. Siquidem significauit Angelos non habuisse laudem, vel lucem consumatam, & perfectam, quam habent Angeli beati, qui ob id ab eodem Iob. cap. 3. dicuntur *Astra matutina Deum laudantia*. Ad D. Aug. dicitur circa hanc rem fuisse dubium, ac proindè vtramque opinionem aliquando sequtus est. Vel dicimus D. Aug. affirmare Angelos fuisse prius informes, quam formatos prioritate naturæ, non temporis.

Arg. 2. Gratia est medium inter naturam, & gloriam: ergo debuerunt Angeli priùs creari in statu naturæ puræ, & deindè gratia ornari, qua beatitudinem benè operando, promererent. Resp. conc. ant. & neg. cons. quia sicut priùs homo fuit creatus non in statu naturæ puræ, sed in gratia; ita potiori iure decuit creare Angelos in statu non puræ naturæ, sed gratiæ.

Arg. 3. Deus nihil frustra operatur, sed gratia Angelis in primo instanti frustra collata fuisset; tunc enim non potuissent cum ipsa deliberare; nec consequenter mediante gratia operari. Resp. neg. assumptum. Nam gratia in primo instanti collata sanctificabat naturam Angelicam, & constituebat ipsam in actu primo ad merendum; sicut de facto plures Theologi tenent eos meruisse in primo instanti.

Quæres. An sicut Deus potuisset Angelos creare in

bea-

beatitudine supernaturali; sic pariter potuisset, illos creare in miseria pœnæ, quæ non supponit culpam.

Resp. Scotus. Non videtur contradictio, quod in primo instanti pœna aliqua Angelicæ naturæ infuisset; ac proindè potuit etiam immediatè à Deo dari pro primo illo instanti, sicut & beatitudo. Nulla, inquam, quantum ad hoc assignari potest repugnantia; non quidem physica, quia omnis oppositio physica, quæ in primo instanti esset inter Angelum, & pœnam, esset pariter in sequentibus instantibus, quæ nulla fuit. Non etiam moralis repugnantia; nam si aliqua, maximè quia dedeceret Deum punire absque culpa, tam grauiter, puta pœna, quam de facto patiuntur Damnati; sed ex hoc capite non repugnaret; quia cum Deus sit Dominus vitæ, & mortis creaturæ, potest pro libito ipsius statum immutare. Quod Scotus confirmat auctoritate D. Aug. lib. 3. de libero arbitrio dicentis. *Si Deus ab initio fecisset hominem in pœna, non esset propter hoc vituperandus Deus, nec iniustus*; ergo &c.

Quæres 2. An Angelis sit infusa gratia in primo instanti dependenter à propria dispositione.

Resp. Rem esse planè incertam. Quare variant circa hoc Doctores: Quidam putant gratiam Angelis infusam fuisse dependenter à propria dispositione, quorum fundamentum est, quia sic videntur tradere nonnulli SS. Patres; tum etiam quia in illo instanti habebant liberum arbitrium, potuitque Deus in eodem instanti conferre illis auxilium actuale, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis ad actus fidei, spei, & charitatis; quæ quidem virtutes supponuntur infusæ pariter in primo instanti; ergo elicere potuerant Angeli in primo instanti actum amoris erga Deum: & sic per ipsum tanquam per propriam dispositionem recipere gratiam santificantem. Quod si dicatur in primo instanti defuisse sufficientem libertatem, quia ad hanc requiritur indifferentia voluntatis ad operandum, & non operandum, quam non potest intelligi habuisse Angelos in illo primo instanti.

Resp. ad libertatem sufficientem, non esse necessarium, vt voluntas prius duratione reali sit indifferens ad operandum, sed sufficit, quod prius natura præcedat cum tali indifferentia.

Ve-

Verùm Alij existimant impossibile, quod Angeli in primo instanti receperint gratiam per præuiam dispositionem, & probant primò auctoritate D. Basilij super illa verba psal. *Verbo Domini Cæli firmati sunt*, scribentis sic. *In prima constitutione, & quasi quadam conspersione sua substantiæ insitam habuerunt sanctitatem*: & D. Aug. aientis in lib. 12. de Ciuitate Dei. *Simul in eis, & condens naturam, & largens gratiam*: ergo &c. non ex propria dispositione præuia &c. Tum quia Angeli in primo instanti acceperunt sine præuia dispositione alia dona spiritualia, ergo etiam donum gratiæ sanctificantis. Tum quia non est possibile, Angelum habuisse in eodem instanti omnia, quæ ad merendum requiruntur. Etenim requiritur in primis ex parte intellectus concursus speciei infusæ repræsentantis Deum, deinde formatio cognitionis de Deo; postea ex parte voluntatis concursus auxilij supernaturalis excitantis, & adiuuantis, vt pio affectu voluntas Angeli in Deum moueretur, & denique productio ipsius affectus dilectionis supernaturalis, quæ omnia postulant saltem instans reale; ergo debuissent non in primo, sed in secundo instanti recipere per propriam dispositionem gratiam iustificantem.

Neque fingenda sunt hic varia instantia naturæ contenta in vno instanti reali, eo quia ad positionem actus non sufficit instans naturæ, vt docet Scotus, sed exigitur instans reale; non enim causa operatur in instanti naturæ, sed vel in instanti æui, vel temporis; ergo in vnico instanti est impossibile intelligere naturam secundùm se conditam, deindè voluntatis libertate se disposuisse ad gratiam, & denique eam recepisse: actiones enim mensurantur, vt supra ex Scoto statuimus, vel instanti æui reali, vel temporis: instans autem naturæ, seu naturæ prioritas, nil aliud importat in proposito nisi præsuppositionem potentiæ causalis ad actum eliciendum, cuius elicito nequit fieri in instanti naturæ, sed reali, vel æui, vel temporis. Neque obstat, nobilius esse, gratiam habere cum propria dispositione, quàm per Dei liberalitatem. Vel quia Angeli instar adultorum sanctificati sunt. Non obstat, inquam, nam Angelus in illo primo instanti nequit habere huiusmodi dispositionem, benè tamen si diceremus, vt quidam probabiliter censent, Angelos recepisse gratiam

post

post primum instans creationis. Cæterùm Angeli non instar adultorum, sed paruulorum à Diuina liberalitate sunt iustificati; sistendo in hac sententia.

Instabis consentaneum est naturæ rationali, quæ amicitiam inire prætendit cum aliquo, vt præuio, & mutuo consensu eam ineat, sed Angeli per gratiam santificantem ineunt cum Deo amicitiam; ergo præuio mutuo consensu, qui rationem dispositionis habeat, Angeli ineunt amicitiam cum Deo. Resp. Si Angelus in primo Instanti elicere posset huiusmodi præuium consensum, conc. mai. si nequeat in primo instanti, neg. Alioquin dicendum est, non in primo, sed in secundo instanti eos recepisse gratiam, quod mihi magis probatur, supposito, quod receperint gratiam dependenter à propria dispositione. Quæ autem sit mens Scoti, non satìs deprehendi potest, hinc diuersæ opiniones inter Scotistas; nam aliqui amplectuntur affirmatiuam; alij oppositam; & hæc mihi magis placet ob rationes supra allatas, estò sit contra D. Bonau. D. Thomam, Frassen, & alios Scotistas, Henricx autem videtur dubius. Itaque probabile est, asserere, Angelos conditos esse in primo instanti cum gratia sanctificante, atque ad illam se minimè disposuisse, non ob voluntatis defectum, sed ob impossibilitatem instantis, in quo nequeunt elici plures actus à potentia libera, quæ postulat aliquod durationis tempus in suis actibus ponendis.

Neque auct. Conc. Trid. paulò superiùs adducta de homine in statu innocentiæ, & in gratia constituto, cogit à fortiori asserere, Angelum in primo instanti gratiam recepisse; eò quia, vt obseruat Doctiss. Macedo cum Vasquez. Aliud importat conditum, & aliud, constitutum; nam conditum importat creationem; constitutum autem esse, non significat conditum esse, sed ordinatum esse. Quare in Concilio solùm vt certum definitur, Adamum antequàm peccaret, iustitiam, & Sanctitatem habuisse.

Quæres 3. Quo sensu Patres, & Theologi asserant, Angelis esse infusa dona gratiæ proportionatè ad naturalia.

Resp. Non esse intelligendos SS. PP. & Theologos in hoc sensu, nempè, quod in natura fuerit aliqua dispositio præuia ad ipsam gratiam, & eiusdem meritoria, vel de condigno, seu de congruo; quia hoc sapit Pelagianismum,

mum, sed ita intelligendi sunt, videlicet, quod Deus ex mera voluntate sua, & liberalitate, voluerit Angelis perfectioribus conferre maiorem gratiam habitualem, & ob id illis etiam gratis dederit maiora auxilia præuenientia, & adiuuantia, quibus perfectiùs se disponere possent ad gratiam. Quæ tamen doctrina, vt notat Herincx cum Maldero, non est ita certa, quin dici possit Deum donasse omnibus Angelis æqualem gratiam, æqualia auxilia; nam hoc etiam affirmare est probabile, & dictis Sanctorum conforme.

QVÆSTIO II.

Vtrum Angeli meruerint beatitudinem supernaturalem priusquam eam recepissent.

NOt. 1. Quòd meritum generaliter acceptum sic describi potest. Est opus bonum præmio aliquo dignum; siuè illud præmium à Deo, siuè ab homine conferendum. Vnde meritum sic generaliter sumptum est quid commune ad meritum politicum, & Theologicum. Politicum est opus, cui de iustitia distributiua debetur præmium, adeòut sic merenti fiat iniuria, si tale præmium non redderetur: Theologicum autem est opus moraliter bonum exigens aliquo modo compensationem præmij alicuius à Deo conferendi, & hæc est conformis doctrinæ Scoti in 1. d. 17. q. 2. & in 3. d. 18. Diuiditur communiter hoc meritum in meritum de condigno, & in meritum de congruo, quam etiam diuisionem docet Scotus in 4. d. 14. q. 2. Meritum de condigno est illud, quod ex iustitia inducit obligationem ad reddendum præmium, supposito tamen pacto diuino, & ob condignitatem, quæ in tali opere bono, & meritorio reperitur. Quid autem sit meritum de congruo, non satis clarè describitur, nec satis conueniunt Doctores inter se; communiter dicunt; esse opus moraliter bonum exigens solum ex quadam congruitate compensationem aliquam, à Diuina liberalitate præstandam; At huiusmodi explicatio numquam mihi placuit; quia sic dum homo peccator à gratia actuali excitatus, elicit actum attritionis, sequeretur quod Deus non teneretur, nisi titulo con-

gruen-

gruentiæ acceptare talem actum, & ei conferre gratiam mediante Sacramento, si non sit actus perfectæ contritionis. Verùm, quia hæc materia tractatur in p. 3. tract. de gratia; idcircò dabo hic descriptionem tantùm, quæ est talis. Meritum de congruo prout condistinguitur à merito de condigno, non enim hic loquimur de merito de congruo latè sumpto, est illud, quod, &si supponat pactum diuinum, non tamen inducit obligationem ad reddendum præmium ex iustitia, sed solum ex debito liberalis promissionis diuinæ, seu fidelitatis.

Not. 2. Quòd alius est status viæ, alius status in termino viæ; primus competit omnibus hominibus, & Angelis, dum sunt viatores, idest in statu merendi, & demerendi. Secundus competit etiam comprehensoribus, quales sunt Beati, & Animæ Purgatorij, quoad meritum, ac demeritum, & damnatis, qui pariter nec possunt mereri, nec demereri amplius. Quare ad merendum, & demerendum, requiritur status viæ tam in Angelis, quàm in hominibus; eadem namque ratio militat de illis, ac de istis.

Not. 3. Quòd duratio viæ Angelorum explicatur à Theologis per quasdam determinatas morulas; est autem morula quoddam nunc æui, correspondens alicui parti temporis nostri. Variant tamen Doctores circa numerum morularum. D. Thomas, & Varro Scoti Magister ponunt duas, in quarum prima putant omnes Angelos fuisse creatos in gratia, & meruisse; in altera verò bonos recepisse præmium beatitudinis, & malos ad pœnas æternas fuisse damnatos. Magister sentent. tres morulas ponit, hac tamen explicatione, quod in prima omnes Angeli sint creati in puris naturalibus; in 2. bonos meruisse, & malos peccasse; in 3. omnes fuisse in termino, boni in beatitudine, & mali in tormentis. Alij ponunt quatuor; sed communis, & magis recepta sententia ponit tres tantùm, hoc pacto. In prima omnes fuerunt creati in gratia actuali, & habituali, in 2. aliqui Angeli meruerunt, alij demeruerunt; in 3. boni fuerunt beatificati, & mali in æternum damnati; Ita Scotus in 2. d. 5. q. 2. Scotistæ, & Recentiores.

Not. 4. Quòd circa hanc quæstionem fuit sententia Magistri sent. dicentis, Angelos non meruisse beatitudinem, ante-

antequàm accepiſſent, ſed poſtquàm illam acceperunt; ſicut Miles dicitur mereri equum per opera non facta, ſed fienda. Quæ ſententia ait Scotus abſurda eſt; ſi enim propter opera præuiſa quis diceretur mereri, ſequeretur, gratiam non eſſe gratiam; ex eo namque inquit Scot. 2. d.5.q. 1. quòd aliquis præuideatur benè vſurus accepto, non meretur accipere illud. Tunc enim poſſet homo mereri primam gratiam, quia præuidetur à Deo dante, benè vſurus ea, & tunc gratia non eſset gratia, quia eſſet ex meritis, licet non poſitis in effectu, tamen præuiſis, ergo Angelus non meruit beatitudinem, ſi tantum habuit eam propter bonum vſum præuiſum ipſius in obſequendo circa electos. Cæterùm D. Thomas docet Angelos in primo inſtanti recepiſſe beatitudinem, quam doctrinam ſic explicat Caſpenſ. in tract. de Ang. diſp.6. ſect. 6. Nam licet tunc facta fuerit aliqua mutatio in Angelis bonis, non ideo multiplicanda ſunt inſtantia, quia iuxta communem modum loquendi Theologicum, ſolum habetur ratio vnius actus principalis perſeuerãtis per totam illam durationem, qualis fuit dilectio Dei. Quare iſte Doctor cenſet, poſitionem plurium inſtantium, ſeu morularum ſpectare ad modum loquendi.

Concl. Angeli de facto meruerunt beatitudinem priùs temporè, quam eam fuerint adepti. Eſt Scot. 2. d. 5. q. 1.

Prob. ſic à Scoto. Omnis natura conſequitur ſuam perfectionem per operationem propriam; ſed perfectio, & finis cuiuslibet creaturæ rationalis eſt beatitudo, quæ ſoli Deo eſt naturalis, ergo Angelum debet eam conſequi per propriam operationem. Finis autem conſequendus per operationem, vel eſt per cauſam faciendus, vel per cauſam promerendus; ſeu vt loquitur Scotus: Omnis operatio ducens in finem, vel eſt factiua finis, quando ſcilicet finis non excedit virtutem operantis, vt medicatio reſpectu ſanitatis; vel eſt meritoria finis; quando ſcilicet finis excedit virtutem operantis, ſed beatitudo, quæ eſt finis excedit omnem virtutem effectiuam Angeli, ergo eam non poteſt adipiſci, niſi per operationem meritoriam. Tum quia natura Angelica eſt capax merendi beatitudinem, ſicut homo, & etiam magis, ergo qua ratione homo conſequitur beatitudinem, eadem ratione poteſt Angelus.

Prob. 2. Principium meriti non cadit ſub merito, cuius eſt principium, ideo non meremur primam gratiam per opera præcedentia ipſam; ſed omnia opera ſubſequentia beatitudinem, oriuntur aliquo pacto ex beatitudine, tanquàm ex principio, vel illam ſaltem vt priorem ſupponunt: ergo Angeli per huiuſmodi opera non meruerunt beatitudinem.

Prob. 2. pars nempè, quod Angeli priùs tempore &c. Non poteſt voluntas ſimul, & ſemel eſſe in eo ſtatu, in quo velit obiectum mutabiliter, & contingenter, & etiam immutabiliter, & neceſſariò, ſed ſi Angeli eodem tempore, quo beatitudinem merentur, eam acciperent, ſequeretur eos velle idem obiectum mutabiliter, & immutabiliter, contingenter, & neceſſariò; ergo &c. mai. patet, quia duo actus omninò oppoſiti non poſſunt ſimul ab eadem facultate procedere; min. pariter eſt clara; nam vt quis mereatur, debet eſſe in ſtatu, vt non ſit ita determinatus ad actum, quin habeat libertatem, non ſolum eſſentialem, ſed etiam contradictionis, quod in caſu noſtro non haberetur; ergo &c.

Arg. 1. cont. concl. quoad primam partem. Angeli propter beneficia, quæ impendunt hominibus, & mundo, aliquid merentur, ſed non merentur nouum præmium, ergo merentur illud, quod à principio receperunt, ideſt beatitudinem; mai. patet, quia Chriſtus in hac vita mortali meruit, quàmuis eſſet comprehenſor; ergo ſimiliter Angeli. Reſp. Angelos mereri, non quidem beatitudinem eſſentialem, vel aliquem eius gradum, ſed accidētalem tantùm, vt Theologi docent non ſolum de Angelis, ſed etiam de Animabus. Ad id, quod adducitur de Chriſto; dicimus non eſſe parem rationem; fuit enim Chriſtus vt Redemptor aliqualiter diſpenſatus, & licet eſſet beatus ab inſtanti ſuæ conceptionis, ac proindè perfectè vnitus cum Deo ſecundùm affectionem iuſtitiæ, vt cum Scoto loquar, non tamen ſecundùm affectionem commodi, cum eſſet corpore paſſibilis; ideoque non currit eadem ratio.

Arg. 2. Rex poteſt dare militi arma propter bonum vſum, quem ſperat ab eo; ergo, & Angeli potuerunt promereri ſibi gloriam per opera ſubſequentia. Reſp. neg. paritatem; nam latum eſt diſcrimen inter arma, quæ ſolent

in præmium dari ſpe futuri meriti, & inter gratiam; bonus enim vſus armorum tribuitur dexteritati, & induſtriæ militis, non verò armis; & talis dexteritas ſupponitur in milite, etiam ſecluſo dono, eſtque digna ex ſe illis armis, quibus vtatur in ſeruitium regis; non ſic autem ſe habet gratia militi Chriſti donata, vt ex dictis liquidò patet.

Queres 1. Per quid Angeli meruerunt ſuã beatitudinem.

Reſp. meruiſſe per actus virtutum Theologicarum fidei, ſpei, & charitatis. De actibus fidei patet per illud Abachuc cap. 2. *Iuſtus ex fide viuit*; & addit Apoſt. ad Hebræos cap. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placare Deo*, ergo cum Angeli eſſent iuſti, & Deo placuerint, actus fidei elicuerunt. Quemadmodum etiam homines per actus fidei formatæ Deo placent. Et quod dicitur de fide, à fortiori dicendum eſt de ſpe, & de charitate; conſtat enim Angelos bonos tempore, quo præliabantur cum dracone, & cum Angelis eius, Deum amaſſe, & in eo ſpem ſuam repoſuiſſe.

Quæres 2. Quamdiù durauerit Angelorum via.


Reſp. Doctores circa hoc multum variare. Quidam enim putant duraſse tota prima die creationis Mundi, quando Deus diuiſit lucem à tenebris, in qua diuiſione recognoſcunt fuiſse ſeparatos Angelos bonos à malis. Alij volunt duraſse vſque ad ſecundum diem, quando Deus creauit firmamentum, & diuiſit aquas, quæ ſunt ſupra firmamentum ab ijs, quæ ſunt infra. Alij cenſent perduraſse vſque ad diem ſextum, quo adhuc Deus dixit Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Alij aliter diſcurrunt; vnde res eſt planè incerta. In hoc tamen conueniunt doctores, viam Angelorum fuiſse valde breuem, & rationem aſſignat Scotus in 2. d. 5. q. 1. tum ob perfectionem potentiarum Angelicarum, & auxilij ſupernaturalis, tum ob abſentiam impedimentorum in ſpiritibus ad operandum de ſe expeditiſſimis. Ad magnitudinem namque præmij non requiritur diuturnitas temporis, vel multitudo meritorum, ſed potius requiritur vnum meritum intenſnm, quàm centum millia remiſsa; & in eis, inquit Scotus, fuit motus meriti valde intenſus.

Quæres 3. An in mora illa, quæ interceſſit inter peccatum Diaboli, eiuſque damnationem, potuerit ipſum pænitere, & per pænitentiam reſurgere.

Reſp.

Resp. Duas esse opiniones; & ambas probabiles. Prima est negatiua, quæ videtur communis apud Doctores, cui plurimum fauet S. Damasc. lib. 2. de fide cap. 4. dicens: *Quod hominibus mors, hoc Angelis lapsum extitisse*. Post lapsum enim preclusa iam est illis omnis resipiscendi facultas, quemadmodum, & hominibus postquam ex hac vita migrarunt; & D. Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 3. dicit, *Quod bonam voluntatem sic amiserunt Angeli, cum haberent, vt amissam, deinceps habere non possint*; & idem tradunt D. Aug. Greg. & alij. Quarè iuxta hanc opinionem potuisset malus Angelus demereri durante adhuc statu viæ post primum lapsum, committendo noua peccata, à quibus liberum ei erat abstinere, estò à commissis non posset per pœnitentiam resurgere.

II. Opinio est affirmatiua, cui fauet apertè D. Basil. & Rubertus lib. 1. de victoria Verbi dicit. *Illud datur intelligi, quod non statim in initio peccati de Cœlo proiectus fuerit, sed ipsum quoque expectauerit patientia Dei*; ipse autem secundùm duritiam suam. & cor impænitens iram sibi thesaurzauit: & hanc defendit Scotus, Gabriel, & alij, & inter Recentiores extra nostram Scholam Malderus, Et quidem hæc opinio est magis consona rationi; cum hoc exigat status viæ, & sit meriti capax, qui demeriti; ideoque sicut peccantes Angeli poterant demerita augere, sic etiam tollere, & bene augendo mereri. Quoad Patres in contrarium allegatos, non solum possunt adduci alij Patres in re non reuelata, sed etiam explicari possunt de lapsu Dæmonum consumato, seu in termino. Cæterum constat satis ex consensu Patrum, & Ecclesiæ, neminem ex Angelis peccantibus de facto per pœnitentiam resurexisse ad statum gratiæ, & habetur in Epist. 2. Petri cap. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit*; quæ assertio, velut indefinita æquiualet vniuersali, vt tradunt Doctores.



QVÆ-

Vtrum de potentia Dei possit creari aliqua creatura intellectualis ex sui natura impeccabilis.

NOt. ex Scot. secundùm mentem SS. PP. quod creaturæ intellectuali nequit conuenire impeccabilitas per naturam, sed solum per gratiam. Gratia autem non potest esse naturalis, aut connaturalis, seu coessentialis creaturæ intellectuali, licet enim sibi concrearetur gratia, tamen gratia semper esset gratia, & nunquam ei naturalis, idest de natura sua, vel necessariò consequens naturam, quod sic probat Scotus in 2. d. 23. q. 1. vbi hanc quæstionem ex professo agit. Quandocumque aliqua duo sic se habent, quod vnum eorum de ratione sua est perfectiuum, & alterum est perfectibile, nunquam potest alterum eorum sic crescere in sua entitate essentiali, quod sit alterum essentiale, vel ipsum vnitiuè includat, vt patet de materia, & forma, de subiecto, & accidente; nam ob limitationem perfectibilis, impossibile est ipsum essentialiter, & per identitatem includere suam perfectionem. Quæ Doctrina est valde notanda, quia pluribus difficultatibus inseruit.

Concl. Nequit Deus de sui potentia facere voluntatem creatam impeccabilem per naturam, benè tamen per gratiam. Hanc Conclusionem fatetur Scot. in 2. d.23.q.1. §. ad quæstionem tenere magis ob expressas auctoritates SS. PP. quàm propter rationes; inter quos est D. Anselmus, qui in lib. cur Deus homo Discipulo quærenti, quarè non potuit Deus facere creaturam rationalem impeccabilem, ait: *Quia non potest ipsam facere Deum*. D. Aug. in lib. cont. Maximum dicens; *cuicunque præstatur vt peccare non possit non est hoc propria natura, sed gratia*; & D. Hieron. in tract. de filio prodigo dicens: *Solus est Deus, in quem peccatum cadere non potest*: ergo &c.

Prob. Scot. ratione. Omnis voluntas, in qua non necessariò coniunguntur appetere commodum, & rectè appetere, potest appetere rectè, & non rectè: sed in nulla voluntate creata potest coniûgi illa necessariò; ergo nulla voluntas creata per naturam potest esse impeccabilis. Min. patet, quia nulla voluntas potest appetere rectè ex hoc so-

lo, quod appetit, nisi voluntas primi entis; mai. est similiter plana; quia ex quo necessariò illa duo non coniunguntur, vnum potest ab alio separari.

Dices. Voluntas potest creari talis, quæ ex hoc, quod appetit, rectè appetat, & potest creari in tali natura, quod non possit appetere, nisi conformiter regulæ suæ, & per consequens in appetendo, siuè ex hoc, quod appetit, non poterit non rectè appetere, sicut nec Regula eius.

Contra. Omnis Voluntas, sicut potest sibi velle commodum, sic videtur quod potest velle eo modo, quo esset sibi maius commodum, si sic inesset sibi, qui quidem modus non est ordinatus à Deo, vt suppono, & per consequens voluntas appetens commodum sub tali modo, quo esset sibi maius, vel summum commodum, non conformabitur regulæ suæ. Tum quia omnis voluntas, quæ non est sua regula, nec necessariò est conformis regulæ suæ, potest deficere in rectitudine; sed omnis voluntas creata derelicta naturæ suæ, est talis, vt patet; ergo omnis voluntas creata potest deficere. Quod autem à Deo possit fieri voluntas creata impeccabilis per gratiam, patet de immaculata Deipara, nedum præseruata ab originali culpa, vt piè creditur, & tenet Ecclesia; pro cuius articulo propugnarunt Scotistæ, nec decertare desistit nostra Serafica Religio, vt veluti fidei articulus definiatur; nedum, inquam, à peccato originali, sed etiam ab omni culpa actuali, tam veniali, quam mortali, vt definitum fuit à S. Conc. Trid. sess. 6. can 23. Itaque de fide tenendum est, Deum posse per gratiam creare naturam impeccabilem.

Arg. 1. cont. conc. Deus potest facere aliquod corpus, quod non potest deordinari à motu suo; ergo similiter potest facere aliquem spiritum, qui non poterit deordinari à motu suo, sed hic erit impeccabilis, ergo &c.

Resp. ex Scot. neg. paritatem: non enim est simile de corpore, & spiritu intellectuali, quia cum corpus non habeat libertatem, non potest deordinare deordinatione culpabili, sicut spiritus. Neque potest esse corpus, cui repugnet ex aliquo intrinseco difformiter moueri; licet hoc non sit in sua potestate naturali, & sic nulla potest esse voluntas libera, cui repugnet inordinatè se ipsam mouere.

Arg.

Arg. 2. Deus potest facere voluntatem aliquam, quæ necessariò tendat in aliquod bonum, puta finem; ergo facere poterit, quod necessariò ista voluntas tendat in finem, & in omne ordinatum ad illum finem; ergo Deus facere posset voluntatem creatam impeccabilem. Ant. patet per Aug. lib. 3. de Trinitate, dicentem: *Omnes velle necessariò beatitudinem*; conſ. prob. eadem enim necessitate qua aliquid tendit in finem, tendit & in ea, quæ sunt ad finem.

Resp. neg. assumptum in ant. eò quia nulla voluntas vult necessariò summum bonum, siue in vniuersali, siue in particulari apprehensum. Ad illud D. Aug. dicitur, quod omnes naturali inclinatione, non verò actu elicito velint omnes, beatitudinem, saltem secundùm rationem vniuersalem. Quare dato etiam, quod voluntas necessariò vellet finem, non tamen sequitur, quod necessariò vellet ea, quæ sunt ad finem, cum in eis non sit tanta ratio bonitatis, vt in fine.

Arg. 3. auctoritate D. Ansel. dicentis: *Quod posse peccare non est pars libertatis, neque libertas*: sed quod non est de essentia alicuius, potest à Deo, saltem si est absolutum, fieri sine illo; ergo liberum arbitrium esse sine potentia peccandi non includit contradictionem: ergo &c.

Resp. dist. mai. & simul auctoritatem D. Ansel. posse peccare non est pars libertatis, vt sic, idest quatenùs est communis voluntati creatæ, & increatæ, conc. voluntati creatæ neg. mai. Vnde posse peccare in ordine ad voluntatem creatam, stat dupliciter; vel quod possit præcisè in peccatum, quod est carentia rectæ circumstantiæ debitæ, & sic non est libertas, nec pars libertatis; vel quod possit in actum, cui annexa est deformitas, ex sic est benè pars libertatis creatæ:

Arg. 4. Deus potest facere naturam impeccabilem per gratiam; ergo per naturam quoque: ant. patet, conſ. prob. Deus potest facere in creatura quid quid non repugnat limitationi creaturæ: sed non repugnat creaturæ limitatæ, quod Deus creet aliquam creaturam, in qua vnitiuè contineatur perfectio charitatis, vel gratiæ: ergo si Deus potest facere voluntatem creatam impeccabilem per gratiam, potest etiam eam facere impeccabilem per naturam.

Resp. conc. ant. & neg. conſ. ad probat conced. mai. & neg.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angeli potuerint peccare in primo instanti suæ creationis.

NOt. Quòd in hac quæstione versantur duæ opiniones, vna Thomistarum, altera Scoti, & Scotistarum. Prima negat, Angelos potuisse peccare in primo instanti creationis, & probat 1. sic ex D. Thom. p. 1. q. 63. art. 5, operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est ei ab agente, à quo habet esse, sicut moueri sursum inest igni à generante. Vnde si aliqua res habet esse ab agente deficiente, quod possit esse causa defectiua actiua actionis, poterit in 1. instanti, in quo incipit esse, habere defectiuam operationem; sicut si tibia, quæ nascitur clauda ex debilitate seminis, statim incipiat claudicare. Agens autem, quod Angelos in esse produxit, scilicet Deus, non potest esse causa peccati; Vnde non potest dici, quod Diabolus in primo instanti suæ creationis fuerit malus. Hæc D. Thomas.

Prob. 2. Prima cognitio Angeli fit per species congenitas à Deo, repræsentantes quidditates rerum, quarum cognitio est speculatiua; sed ad peccatum requiritur cognitio, seu iudicium practicum dictans: hoc est faciendum, vel non; & tale iudicium non potest haberi nisi à Deo, vt motore speciali applicante intellectum ad illud, & efficiendo respectu illius, quod facit respectu aliorum subsequentium; ergo in primo instanti, non potuit Angelus peccare; redundasset enim in Auctorem ipsum, nempè Deum. Aliæ rationes Thomistarum adducentur in parte argumentatiua, ideoque sit ad mentem Scoti.

Conclusio. Angeli absolutè, & secundum se peccare potuerunt in primo instanti. Est Scot. in d. 5. q. 2. & Scotistarum, quem sequuntur quam plures Recentiores. Prob. 1. Voluntas Angeli in primo instanti creata est in suo esse perfecta, idest in perfecta libertate arbitrij, & vsu rationis, non minùs, quàm in secundo instanti; ergo sicut potuit peccare in secundo instanti, ita in primo.

Prob. 2. Angelus in sui prima creatione accepit omnes species impressas, & instrumenta intelligendi, vt nihil expectandum esset ad intelligendum; ergo potuit etiam in

actum

reduceretur in Deum, specialiter applicantem ad primum dictamen regulatiuum illius, talis actus non esset liber; quia non regularetur per dictamen, seu iudicium practicum, quod esset in potestate voluntatis Angelicæ, sed quod à Deo solo applicante produceretur: ergo &c.

Resp. Gonet. in tract. de Angelis, quod talis actus non esset liber omninò idest quoad specificationem simul, & exercitium, esset tamen liber quoad exercitium, & hoc putat sufficere. Insuper addit, quod licet primum dictamen regulatiuum voluntatis Angelicæ non sit in eius potestate simpliciter, & quoad eius incæptionem, est tamen in eius potestate secundùm quid, & ex parte obiecti, etiam quoad continuationem, quod sufficit ad libertatem exercitij. Verùm quanti valoris sit ista responsio, nemo non videt: in primis fatetur non esse omninò liberum, & deindè addit esse completè liberum ob continuationem, ac proindè fatetur non subsistere propriam opinionem, dum putat, operationem meritoriam esse verè meritoriam, sed non esse verè liberam à principio, sed per continuationem actus.

Præterea omnes fatentur plus requiri ad benè operandum, quàm ad male operandum; *Bonum enim*, vt inquit D. Dion. *ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu*, ergo si potuit bene operari in primò instanti, à fortiori peccare potuit, & maximè peccato omissionis, quod committitur absque actu positiuo voluntatis. Quare supposito, quod in primo instanti habuerit præceptum de diligendo Deo super omnia, potuisset omittere actum dilectionis Dei, ergo &c.

Arg. 1. à Thomistis cont. nostram concl. Angelus non habet primum velle à se, sed ab alio: at Angelus non potest peccare per velle habitum ab alio, & non à se: ergo prima volitio ipsius, cum sit ab alio, nequit esse peccaminosa. Prob. mai. ex S. Ansel. de casu Diaboli cap. 13. vbi ait. *Si primum velle à se habet, aut hoc est volens, aut nolens; si volens, igitur illud non est primum velle, si nolens idem sequitur, quia antè illud velle, noluit illud* igitur voluit illud non esse, igitur aliquid voluit, ergo peccatum, quod esset in primo instanti, non posset esse à voluntate; ac proinde deberet esse à Deo, hoc autem repugnat, ergo. Respond. negando mai.

mai. nam, vt docet Scotus, voluntas, posito obiecto, & alijs requisitis potest velle quando, & quoties occurrat occasio, siuè primò, siuè deinceps, alioquin esset processus in infinitum, nisi haberet à se primum velle, & maximè quia velle est actio immanens, & vitalis, quæ non potest esse ab alio, nisi ab ipsa voluntate, concurrente causa prima in suo ordine. Ad illud D. Anselmi. Resp. Scotus eum explicando, vt aduertit Macedo, eò quòd supposuit Angelum, tamquam nudam substantiam carentem potentia volitiua, quod vocat instrumentum, & idcircò accepta à Deo voluntate, primum velle etiam accepisse censet.

Arg. 2. Si Angelus peccaret in primo instanti, necessario peccaret, sicquè peccaret, & non peccaret; sed hoc est absurdum; ergo &c. patet seq. mai. quia si in primo instanti peccauit, non potuit non peccare; ergo necessariò peccauit; Prob. hæc conf. Etenim si potuit non peccare, aut potentia, aut actu, aut potentia cum actu; non primum, quia Angelus non fuit ante illud instans, quod supponitur primum suæ formationis; neque secundum, quia in ipso instanti primo, quo peccauit, non potuit non peccare, & ideo per illam potentiam non potuit non peccare; ergo necessariò peccauit.

Resp. Scotus neg. 1. seq. ad cuius prob. dicit, quòd voluntas Angeli peccans in primo instanti, potuit reuerà non peccare potentia ante actum, non quidem prioritate temporis, sed naturæ; nam ipsamet voluntas ex se, vt concipitur prior actu, quem producit, est indifferens, & potens ad illum producendum, vel non producendum.

Arg. 3. Ad peccandum requiritur libertas, sed libertas est solummodo respectu futuri, & non præsentis instantis; ergo in primo instanti Angelus peccare non potuit. Prob. min. Ad libertatem, quam postulat peccatum, requiritur plena deliberatio cum discursu, & cognitione perfecta obiecti, præcepti, & aliarum circumstantiarum, sed hæc omnia non possunt haberi vnico instanti; ergo in primo instanti Angelus non potuit peccare.

Resp. conc. mai. & nego min. ad cuius prob negatur min. eo quia omnia adducta in vnico instanti possunt in Angelo reperiri; quarè sufficit sola prioritas naturæ; sicut enim sol in primo instanti sui esse illuminat aerem, ita, &

An-

Angelus poteſt in primo inſtanti ſuæ creationis agere per operationem inſtantaneam, & maximè, quia Angelus, cum ſit perſpicaciſſimus in ſuo diſcurſu, non indiget tempore. Itaque Angelus in primo inſtanti potuit habere diſcurſum, non quidem formalem, qui ſit per plures actus diſtinctos procedendo à principijs ad concluſionem, ſed per diſcurſum virtualem; quatenus vnus actus æquiualet iudicio, & diſcurſui formali; vt etiam alibi dictum eſt.

Arg. 4. Prima cognitio intellectus Angelici fit per ſpecies congenitas repræſentantes quidditates rerum, quarum cognitio eſt ſpeculatiua non practica: ſed ad peccandum non ſufficit cognitio ſpeculatiua, quæ ſiſtit in ſola intuitione rerum, ſed exigitur cognitio practica, quæ dicitur iudicium practicum: ergo Angelus in primo inſtanti non potuit peccare.

Reſp. neg. mai. cognitio namque prima poteſt eſſe ſpeculatiua, & practica; vnde docet Scotus, quod ad peccandum non requiritur alia cognitio, quam illa, qua cognoſcitur obiectum eſſe bonum bonitate vtili, vel delectabili, aut illud eſſe prohibitum; certum eſt autem, quod huiuſmodi cognitionem habere potuit Angelus pro primo inſtanti, tam facilè, quàm pro quocumque alio ſequenti. Cæterum omnia argumenta adducta contra noſtram ſententiam retorqueri poſſunt contra Thomiſtas, aſſerentes, Angelum in primo inſtanti mereri potuiſſe.

Arg. vlt. Actio creaturæ non poteſt eſſe in inſtanti; ergo Angelus non potuit peccare in primo inſtanti. Ant. prob. ex Ariſt. 6. Phyſ. vbi ſic habet; Si qua virtus moueret in inſtanti, maior moueret in minori, quod tamen eſt impoſſibile, ex quo ſic formatur argumentum. Omni virtute creata poteſt eſſe alia maior, ergo ſi virtus creata Angelorum poteſt peccare in inſtanti, aliqua maior poterit peccare in minori menſura.

Reſp. quod Ariſt. intendit probare, motum non poſſe fieri in inſtanti, quia ſi fieret in inſtanti per maiorem velocitatem mobilis poſſet fieri in minori menſura, quam ſit inſtans; Ita exponit Auerroes, cui conſonant Lichetus, & Macedo. Itaque argumentum nil ad propoſitum probat.

QVÆ-

Vtrum primum peccatum Angeli fuerit Superbia?

NOt. 1. Quòd Angeli plura peccata commiſerunt, puta amoris inordinati ſui ipſius, præſumptionis de donis naturalibus ſibi conceſſis, concupiſcentiæ, vnionis hypoſtaticæ, inuidiæ erga homines, iræ, & blaſphemiæ erga Deum, nec non peccatum ſcandali in ſeductione aliorum Angelorum; etenim non ſolum Lucifer, qui inter Angelos rebelles fuit primus in ſeducendo alios Angelos, ſed etiam alij Angeli cæteros ad peccandum ſuadebant. Quod nam autem horum omnium fuerit primum, non ſatis conueniunt Doctores. Aliqui tenent cum noſtro Alenſi 2. part. q. 95. S. Bonau. in 2. d. 5. art. 1. q. 1. Primum Angelorum peccatum fuiſse ſuperbiam propriè dictam. Alij cum Scoto in 2. d. 6. q. 2. aſserunt primum peccatum Angeli fuiſse amorem ordinatum ſui ipſius, qui dicitur luxuria ſpiritualis, vt inferius magis patebit.

Not. 2. quod duplex eſt actus voluntatis, ſcilicet velle, quo acceptat obiectum conueniens, & nolle, quò refugit diſconueniens: & inſuper duplex eſt velle; nempè velle amicitiæ, quod eſt reſpectu obiecti, cui volumus bonum; & velle concupiſcentiæ, quod eſt reſpectu obiecti, quod volumus alicui amato. Vnde docet Scot. quod omne nolle præſupponit aliquod velle; à nullo enim refugit voluntas, niſi quia illud non poteſt ſtare cum aliquo, quod acceptatur à voluntate, quod etiam docuit D. Anſel. in lib. de Caſu Diab. quarè omne velle concupiſcentiæ præſupponit aliquod velle amicitiæ; id enim, quod eſt volitum, ſiuè amatum per amicitiam, cui videlicet volumus bonum, eſt quaſi finis reſpectu concupiti. Hinc ſequitur, quod actus inordinatus voluntatis ſimpliciter primus eſt velle amicitiæ, & non concupiſcentiæ.

Not. 3. Quòd prima concupiſcentia inordinata in Angelo fuit reſpectu beatitudinis, quia concupiſcentia inordinata non proceſſit primò ex affectione iuſtitiæ; ex ea enim nullum procedit peccatum, ſed proceſſit ex affectione commodi, quia ſecundum Anſel. **Omnis actus voluntatis elicitus, aut elicitur ſecundum affectionem iuſtitia, aut ſecundum affe-**

affectionem commodi: maximum autem commodum, quod est beatitudo, maximè appetitur à voluntate non sequente regulam iustitiæ.

Not. 4. Quòd superbia potest sumi dupliciter, scilicet propriè, & impropriè. Superbia propriè dicta est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ. Superbia impropriè dicta, seu radicalis est amor inordinatus sui ipsius, qui rectè à Scoto nominatur luxuria spiritualis, quo vocabulo Scotus expressit vim delectationis perceptæ ex fruitione pulchritudinis cum maxima voluptate, quæ cum sit venerea, teste Cicerone, eam per translationem ad Angelorum sua pulchritudine fruentium voluptatem accommodauit. Nec impropriè locutus est Scotus, vt putant nimis inconsiderate quidam ex Thomistis, inter quos numerandus est Gonet. in tract. de Angel. cum à latinis Auctoribus latinè sapientibus ad voluptates animi luxuria transferatur, vt apud Tibullum Romanum, apud Liuium, & apud Catholicon est videre.

Concl. Primum Angeli peccatum fuit amor inordinatus amicitiæ sui ipsius; radicaliter verò, seu concomitanter dici potest superbia. Est Scot. in 2. d. 6. q. 2. vbi sic discurrit. Actus primus inordinatus voluntatis Angeli fuit simpliciter primum velle amicitię voluntatis eius, qui voluit bonum; hoc autem obiectum non fuit Deus, quia non potuit Deum inordinatè ex intentione amare amore amicitiæ: Nam Deus est tale amabile, quod ex sola ratione sui, vt obiectum est, dat completam rationem bonitatis actui perfectè intenso, nec est verisimile, quod aliquod aliud à se nimis intensè dilexerit actu amicitiæ. Tum quia inclinatio naturalis magis inclinat ad se, quàm ad aliquid aliud creatum sic amandum; Tum quia non videtur, quod aliquid aliud creatum à se sic intellexerit, sicut se; ergo primus actus inordinatus fuit actus amicitiæ respectu sui ipsius. Ita Doctor &c. Prob. 1. Concl. auct. D. Aug. docentis lib. 14. Ciuit. Dei cap. vlt. ***Duos amores ædificasse duas ciuitates, Ciuitatem Dei, ædificauit amor Dei vsque ad contemptum sui, Ciuitatem Diaboli amor sui vsque ad contemptum Dei***; vbi ly ædificare accipitur pro initiali, seu prima operatione; ergo primum peccatum Luciferi fuit amor inordinatus sui ipsius, à quo cæpit primum edificium Ciuitatis Diaboli,

Prob.

Prob. 2. ex Scot. loc. cit. Primus actus peccaminosus Luciferi non fuit aliqua nolitio, vt omnes fatentur, dum asserunt primum peccatum Angeli fuisse peccatum commissionis, & non ommissionis; & est ratio, quia omnis nolitio præsupponit volitionem, vt tactum fuit supra, ergo primus actus peccaminosus fuit aliqua volitio; sed hæc volitio non fuit amor concupiscentiæ, nam hic præsupponit aliquem amorem amicitiæ; ergo hæc volitio fuit aliquis amor amicitiæ; subsumo alteram min. sed hic amor amicitiæ non tendebat in Deum, vt obiectum, alioquin non fuisset peccaminosus, neque tendebat in proximum, quia inclinatio naturalis primò est ad se; ergo fuit amor amicitiæ sui ipsius inordinatus, seù Philautia, seù quædam luxuria spiritualis reducibilis ad peccatum luxuriæ, & nou superbiæ.

Prob. 3. quo ad eamdem primam partem. Illud est primum peccatum, quod est propiùs naturæ, & quod in ea, quasi radicem habet, sed nihil est propiùs naturæ, quàm se amare. sibi complacere, se fouere, in se delectari: Vnde Apost. vitia hominum enumerans primum posuit. *Erunt homines amantes semetipsos*, ergo primum peccatum in Angelis fuit amor sui.

Prob. 4. Quæ sunt absoluta præcedunt ea, quæ referuntur ad alios; sed amor sui est quid absolutum, superbia est quid relatiuum ad alios, ergo posterior est superbia, quàm amor sui. Patet quia prius est se nosse, ac magni æstimare, quàm referre hanc æstimationem sui ad alios, ac ijs velle præferri.

Prob. conc. quoad 2. part. Etenim, etsi istum amorem inordinatum, quo Lucifer primo peccauit, habuerit primò in ordine ad sè ipsum, ac proindè vt talis dici nequeat superbia, quæ est appetentia excellentiæ super alios, tamen Lucifer habendo talem amorem inordinatum erga se ipsum; statim se se extulit super alias creaturas intellectuales ambiendo earum supremum dominium, ac æqualitatem Dei, vt dicemus in sequenti quæstione, ergo radicaliter, & concomitanter tantum, talis amor inordinatus nuncupari potest superbia.

Arg. 1. contra 1. part. conc. Sic S. Scrip. & SS. Patres apertè docent primum Luciferi peccatum fuisse superbiam;

biam; ergo non fuit amor inordinatus, seu luxuria spiritualis. Prob. ant. In Eccl. cap. 10. dicitur; *Initium omnis peccati est superbia*: & in Tobia cap. *In superbia sumpsit initium omnis perditio*; & ex Patribus signanter D. Athan. in tract. de Virg. ait: *Superbia ipsum in inferiores abissi partes præcipitauit*, ergo &c.

Resp. neg. ant. Ad prob. explicatur ant. S. Scrip. & SS. Patres solum volunt, quod superbia, propriè dicta sit peccatum principale, propter quod Lucifer fuit damnatus, estò ordine perpetrationis non sit primum; non tamen excludunt amorem inordinatum. Vel dicitur, quod loquuntur de superbia radicali, ex qua ortum duxit etiam superbia propriè dicta.

Arg. 2. Ille amor inordinatus Angeli non fuit sine aliqua relatione præcellentiæ ad alios, nam vel eo amauit se, æqualem se faciendo ipsi Deo; vel amauit se ambiendo prælationem super omnes creaturas rationales: sed quocumque modo explicetur ille amor inordinatus, semper est formaliter superbia, quia est cum relatione ad alium; ergo primum peccatum Angeli fuit superbia.

Resp. neg. mai. nam ille amor inordinatus Luciferi in hoc consistebat, quod seipsum amauerit plus æquo contra regulam Diuinæ legis, & charitatis, æstimando suam perfectionem, tanquàm sublimem, & sibi sufficientem, adeò vt in ea constitueret suum vltimum finem, absque vlla relatione expresa ad Deum, aut ad alias creaturas, quibus præferri vellet.

Arg. 3. Potest quis complacere de intrinsecis suis perfectionibus absque peccato, quia peccatum habet pro obiecto malum; sed istæ perfectiones non sunt malæ, ergo in Lucifero complacentia, seu amor sui non fuit peccatum, ac proindè non peccauit primo amando se inordinato amore. Resp. dist. mai. Potest quis complacere moderatè, & ordinatè sine peccato de perfectionibus intrinsecis, conc. mai. inordinatè, & immoderatè contra legem Diuinam, sine peccato, neg. mai. Nam vt dicit D. Aug. lib. 83. q. 30. *Maxima peruersitas est frui vtendis, & vti fruendis*. Itaque Lucifer complacuit sibi in suis naturalibus dotibus inordinatè, & cum excessu, ponendo in suo decore vltimum finem, quod est frui vtendis.

Arg. 4. Auctorit. D. Ioannis in sua epist. *Omne, quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*; sed Angeli non peccauerunt concupiscentia oculorum, nec concupiscentia carnis; ergo peccauerunt superbia vitæ, ac proindè primum peccatum fuit superbia. Resp. D. Ioannem loqui de hominibus mundi, & ideo dicit in mundo, quarè sub isto ternario non comprehenduntur Angeli. Ni velimus dicere cum aliquibus, Angelos peccare potuisse etiam concupiscentia carnis, & oculorum, non quidem in se ipsis, sed optando homines sensualiter peccare. Vel dicimus, peccatnm Angeli, nempè amorem inordinatum sui ipsius reduci posse ad concupiscentiam oculorum; Oculo namquè sui intellectus perspicacissimo inspiciendo suam nobilitatem, & pulchritudinem sibi nimis inordinatè complacuit oculo altero, nempè voluntatis, quæ saltem impropriè dici potest oculus, quatenùs suo amore propendit in obiectum, sicut oculus sua visiua tendit in obiectum.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Angelus reuerà peccauerit appetendo æqualitatem Dei.

NOt. 1. ex Scot. in d. 9. q. 1. Quòd duplex est volitio. Simplex scilicet, & sub conditione, vel sub alijs terminis; alia efficax, alia inefficax. Prima est illa, quæ eligit media conducentia ad finem volitum, & hoc modo infirmus sumit medicinam ad sanitatem recuperandam. Secunda est volitio complacentiæ tantùm, & hæc potest esse etiam rei impossibilis, vt tradit Arist. in 3. ethi. quæ quidem complacentia sufficit ad meritum, aut demeritum; quia licèt volitum sit impossibile, attamen potest voluntas ei consentire pleno consensu.

Not. 2. quod in hac quæstione sunt duæ opiniones. Prima Thomistarum, & aliorum dicentium, Angelum non potuisse appetere æqualitatem Dei per æquiparantiam, hoc est, esse similem Deo in natura; quia naturali cognitione nouit hoc fuisse impossibile, sed per similitudinem tantùm, quæ in hoc consistit, vt docet S. Thomas,

prima parte q. 63. art. 3. quod Angelus appetijt esse similis Deo, quia appetijt vt finem vltimum beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat peruenire, auertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei, & deindè subdit ipse D. Thomas hanc aliam explicationem: Vel si appetijt, vt vltimum finem illam Dei similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex Diuino auxilio secundùm Dei dispositionem. Secunda opinio est Scoti in 2. d. 6. q. 1. loc. cit. & Scotistarum, nec non aliorum extra nostram Scholam, asserentium, Angelum potuisse appetere æqualitatem Dei per æquiparantiam in natura Diuina; immò doctissimus Macedo ostendit de mente Scoti, Angelum de facto appetijsse esse Deum de quo infra redibit sermo.

Conclusio. Angelus potuit appetere æqualitatem Dei per æquiparantiam, voluntate inefficaci, seu conditionata; immò probabile est de facto peccasse appetendo esse æqualem Deo. Est Scoti loc. cit. Prob. primò nostra concl. quoad primam partem auct. Sac. Scrip. & præsertim Isaiæ cap. 14. *In Cœlum conscendam* (loquitur in Persona Luciferi) *Super astra cœli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo &c.* & Ezech. cap. 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi.* Quæ quidem verba absquè dubio spirant arrogantiam Luciferi anhelantis æqualitatem Dei; ideoque Michael Angelus contra Draconem præliando exprobauit tantam eius temeritatem, dicens: *Quis vt Deus*, At ly, quis, substantiam sonat, & non similitudinem in beatitudine, vt Thomistæ opinantur; & deducitur ex ijs, quæ scripsit D. Paul. ad Philip. de Christo æquali Patri æterno secundùm Diuinitatem. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.*

Quarè meritò in hoc sensu præfatæ scripturæ intelliguntur à S. Greg. Nazian. dicente in quodam carmine de Lucifero. *Dùm Deus esse cupit, tota caligine totus obrutus est*; à S. Greg. Mag. à D. Ioan. Chrysost. & à Magistro sent. qui in 2. d. cit. sic habet. *Lucifer postquàm creatus est eminentiam naturæ & profunditatem scientiæ suæ perpendens in suum Creatorem superbiuit in tantùm, quod etiam Deo se æquare voluit, vt in Isaia: In cœlum conscendam &c. Similis quidem esse voluit, non per imitationem, sed per æqualitatem potentiæ*; ergo &c.

Prob. 3. Poteſt dari in homine odium Dei, vel in Angelo malo; vt in pſal. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*: ſed in odio Dei includitur quod eſt prorſus impoſſibile, hoc eſt non eſſe Dei; nam qui Deum odit, Dei deſtructionem intendit, ac proindè Deum non eſſe; ergo qui poteſt appetere Deum non eſſe, poteſt etiam appetere loco illius Deum eſſe. Bonum enim apprehenſum mouet quocumquè modo ſumatur, ſiuè vt poſſibile, ſiuè vt impoſſibile, quia ſemper repræſentat vt bonum, & conſiderantem delectat. Prob. 4. Ex deſiderio obiecti impoſſibilis poteſt oriri, imò & ſæpè oritur delectatio culpabilis: ſed in hac eſt peccatum independenter à poſſibilitate, vel impoſſibilitate illius; ergo licet illa æqualitas ſit impoſſibilis, non eſt impoſſibilis complacentia, & delectatio de illa, ac ſi eſſet poſſibilis: Sit exemplum de muliere deſiderante eſſe Papam. Quis enim prohibet infimæ mulierculæ deſiderare talem dignitatem, & de ipſa ſibi complacere, ac ſi eſſet poſſibilis? & vlterius progrediendo contra Deum obmurmurare, quod ob legem à Deo conditam non ſit ei poſſibile ad tantam dignitatem aſcendere.

Prob. tandem ad hominem. Non erat ſatis ad cupiditatem luciferi ſatiandam ſimilitudo illa à Thomiſtis aſſignata beatitudinis ex principijs naturæ viribus obtinendæ; ergo appetiuit aliquid maius, ideſt diuinitatem. Ant. prob. Quia lucifer deſiderauit aliquid ſibi proprium, & non commune cum alijs, ſed illa beatitudo erat alijs communis, ergo optauit aliquid proprium, hoc eſt, dominari, & præeſſe more diuino, quod ſuadetur ex principatu, quod gerit apud inferos. Vndè in Euangelio dicitur: *Princeps huius Mundi*. &c. ergo &c. Cæterùm quod de facto Angelus peccauerit appetendo Diuinam naturam patet ex S. Scrip. & SS. Patribus allatis ſupra, nam aperte indicant, luciferum voluiſſe eſſe Deum. Ego ſum vt Deus. Quarè Scotus ſic concludit. Incæpit malitia Dæmonis ab immoderato amore ſui, quatenùs non erat maximum peccatum, & conſumabatur in odio Dei, nolendo eſſe Deum, quod eſt maximum peccatum &c.

Arg. 1. contra conc. Angelum eſſe æqualem Deo dicit contradictionem, ergo non habet rationem entis, & per conſequens nec rationem bonitatis, ac proinde appetibilis.

lis. Resp. disting. conf. Quoad complexionem extremorum conc. conf. quoad extrema complexionis, neg. conf. licet enim complexio sit quid chimericum, non tamen est quid chimericum æqualitas ipsa Dei, sed reuerà est summum, & infinitum bonum, & per consequens appetibile, saltem voluntate conditionata, & complacentiæ.

Contra. Talis æqualitas Diuina in Angelo est prorsus impossibilis; ergo non est obiectum appetibile. Resp. disting. ant. est prorsus impossibilis, quoad assecutionem, conc. quoad appetibilitatem, & complacentiam, nego: potest namquè quis amare, & delectari etiam de eo, quod est impossibile, & maximè sub conditione, si esset possibile.

Contra. Ista conditio non efficit, quod impossibile transeat ad statum possibilitatis, quia nihil talis conditio ponit in esse, ergo &c. Resp disting. ant. In re, conc. ant. In esse obiectiuo, seù apprehensiuo, neg. ant. Nam hoc modo apprehenditur impossibile, tanquàm possibile.

Arg. 2. nemo potest appetere suum non esse, sed ex appetitione æqualitatis naturæ cum Deo sequitur appetitio proprij non esse, quia si creatura esset Deus, non posset esse creatura; ergo non potuit appetere Angelus æqualitatem Dei. Resp. disting. mai. Directè conc. Indirectè, neg. mai. Tunc enim Angelus appetendo æqualitatem Dei præscindebat à suo non esse, & amabat in se habere Diuinam naturam. Resp. 2. disting. mai. Nemo potest appetere suum non esse, simpliciter transeat mai. suum non esse quod quodamodo transit in esse perfectius, & nobilius, nego. Itaque Lucifer appetendo æqualitatem Dei, non sui destructionem appetebat, sed excellentiam sui esse, si possibile foret, non volitione efficaci, sed simplici affectu.

Contra. Voluntas, vt possit etiam simplici affectu appetere rem, velut sibi conuenientem, non sufficit absoluta comprehensio bonitatis rei in se, sed requiritur comparatiua notitia de bonitate, & conuenientia eiusdem in ordine ad se appetentem: at implicat, Angelum comparatiua notitia apprehendere Dei æqualitatem, vt sibi bonam, & conuenientem, quia sic appeteret directè suum non esse; ergo &c. Resp. neg. mai. Quia per conditionem appositam (si foret possibile) suspenditur impossibilitas, vel in-

incompossibilitas, quæ est inter esse Dei,' & Angeli, & fit sub tali hypothesi vtrumque possibile; ac proinde aptum ad terminandum simplicem voluntatis affectum. Quarè Angelus appetendo se esse Deum, apprehendebat etiam se permanere, quia ex vi conditionis appositæ obiectum sic apprehensum non est sui destructiuum, sed perfectiuum, & licet conditio non tollat à parte rei, tollit tamen impossibilitatem in intentione, & obiectiuè. Nam conditio apposita, vt tradunt Logici, suspendit impossibilitatem terminorum, & facit illos sub tali hypothesi subsistere, vt si peccator diceret. Vellem non offendisse Deum, si esset possibile, quod sufficit etiam ad meritum. Vnde D. Aug. amore æstuans in Deum in hæc verba prorumpebat, vt refert noster Macedo tom. 2. Coll. in hac quæst. *Si ego Deus essem, ac tu non esses, mallem te Deum esse, quam me, translata mea in te Diuinitate.*

Arg. vltimo. Si Angelus huiusmodi peccatum commisit, vel hoc fecit ex ignorantia, vel ex passione; vel ex electione: sed nullo ex his modis, ergo &c. Assumptum prob. per partes. Non ex ignorantia, cum enim ista sit pœna, Angelus ante culpam eam habere non poterat. Non ex passione; quia in ea integritate nulla erat causa illius; neque ex electione, quia non datur electio respectu impossibilium ergo &c. Resp. Angelum peccasse ex ignorantia negatiua, ex passione, sumpta passione pro amore inordinato, & ex electione pro volitione deliberata, & plena consequente plenam apprehensionem intellectus; non verò pro electione, quæ dicitur volitio mediorum ad finem assequendum, quæ quidem electio sequitur conclusionem syllogismi practici, & in hoc sensu sumitur ab Arist. in 3. Eth.

Dices. Impossibile nequit amari, ergo &c. Resp. disting. ant. In ordine ad assecutionem conc. ant. in ordine ad amorem, & simplicem complacentiam, neg. ant.



QVÆ-

QVÆSTIO VII.

Vtrum Angeli mali ſint in malo obſtinati, & vnde prouenıat talis obſtinatio.

NOt. 1. Quòd variæ ſunt opiniones Doctorum circa præſentem quæſtionem. Prima fuit Origenis, quam refert D. Thom. 1 part. q. 64. art. 2. aſſerentis omnem voluntatem creatam tam Beatorum, quam damnatorum eſſe flexibilem in bonum, ſiue malum, excepta tamen voluntate Chriſti; quæ quidem opinio eſt hæretica. Secunda eſt D. Thom. loc. cit. qui, aſſignata obſtinatione Angelorum malorum, docet cauſam talis obſtinationis eſſe immobilitatem, & inflexibilitatem voluntatis eorum circa actum, quem voluntariè, & determinatè ſemel elicuerunt. Hæc enim, inquit D. Thomas, eſt natura Angelorum, vt vbi ſemel vni parti determinatè adhæſerunt, non poſſunt in alteram flecti; à qua ſententia non longe abeſt Henric. Gand. quol. 8. q. 11. affirmans, ideò Angelum eſſe immutabilem ab actu, quem ſemel elicuit, quia voluntas ſeparata ita profundè immergit ſe obiecto, vt ab eo remoueri nequeat. Tertia eſt Aureoli aſſerentis, hanc obſtinationem prouenire ab habitu quodam vitioſo, quem Deus producit in voluntate damnatorum in pænam ſuorum delictorum, ratione cuius nullum bonum opus facere valent. Quarta eſt Ocham in 2. d. 9. contendentis obſtinationem illam oriri ex eo, quod aliquis actus in Angelo damnato admittatur, qui non eſt in eius poteſtate. Vnde infert, quod Deus totaliter, & immediatè cauſet aliquem actum in voluntate Angeli mali. Vltima deniquè eſt Doct. Subtilis in 2. diſt. 7. q. 1. docentis obſtinationem Dæmonum, & aliorum damnatorum prouenire ex denegatione diuini auxilij ad reſipiſcendum, & ex peruerſa damnatorum voluntate, ex qua ſequitur quædam praua affectio, & conſequenter quædam immobilitas in malo.

Not. 11. pro maiori intelligentia noſtræ ſententiæ, quòd vltra bonitatem naturalem volitionis, quæ ſibi competit ratione ſuæ entitatis, datur triplex bonitas moralis: Prima eſt bonitas ex genere, quæ competit volitioni ex eo, quod tranſit ſuper obiectum ſibi conueniens ſecundùm dicta-

ctamen rectæ rationis, & dicitur bonitas ex genere; quia habet aliquid de genere moris, & est potentialis, ac contrahibilis per quamcumquè aliam circumstantiam moralem. Secunda est bonitas virtuosa, seu ex circumstantia, & competit volitioni, quæ elicitur cum omnibus circumstantijs debitis secundum rectam rationem. Tertia est bonitas meritoria, siuè gratuita, quæ conuenit actui, ex eo quod præsupposita duplici bonitate iam dicta, elicitur secundum inclinationem charitatis, vel gratiæ.

Not. 3. Quòd huic triplici bonitati opponitur triplex malitia. Prima est malitia ex genere, quando scilicet actus transit super obiectum disconueniens, vt odire Deum. Secunda est malitia, quæ prouenit ex aliqua circumstantia deturpante, & deordinante actum, licet transeat super obiectum conueniens, vt amare Deum ob malum finem. Tertia est malitia demeritoria, & est quando actus est contra legem Diuinam. Quælibet istarum autem malitiarum potest accipi contrariè, & priuatiuè respectu suæ bonitatis. Tunc verò priuatiuè accipitur, quando priuat tantùm ipsam bonitatem, & tunc accipitur contrariè, quando ponit vltra carentiam bonitatis aliquid positiuum repugnans tali bonitati. Quarè malitia ex genere contrariè accepta, & priuatiuè in primo membro diuisionis conuertuntur; vnde sicut inter priuationem, & habitum non est medium respectu subiecti susceptibilis, ita bonum ex genere, & malum ex genere sunt contraria immediata, eò quia actus necessariò debet transire super obiectum, quod necessariò est, vel conueniens, vel disconueniens. In secundo verò membro malitia priuatiuè accepta, & contrariè non conuertuntur; potest enim aliquis actus carere aliqua circumstantia debita; & tamen non elicitus circumstantia repugnanti, quæ redderet actum vitiosum, puta. si quis det elemosinam non propter Deum, quia non considerat, nec tamen intendit aliquem finem indebitum. In tertio etiam membro potest esse actus malus priuatiuè, ita quod non eliciatur ex gratia, & tamen non erit demeritorius, sed erit bonus in genere moris; & sic in 2. & 3. membro potest esse actus indifferens, qui estò sit malus priuatiuè; non tamen est malus contrariè.

I. Concl. Voluntas Dæmonum, & aliorum damnatorum

rum ita est in malo obstinata, vt nunquam ad statum iustitiæ, & gratiæ redire valeant. Hæc est de fide definita in quinta Synodo, & in 6. actione; & in Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. firmiter; vbi decernitur de reprobis, quod cum Diabolo pœnam æternam recipiant. Eamdem veritatem tradunt Sancti Patres, nec non Theologi, & signanter D. Bonau. in 2. d. 7. art. 1. q. 1. ex S. Damasc. lib. 2. de fide cap. 4. vbi ait. *Quod est Angelis casus, hoc est hominibus mors*: sed homo post mortem nequit recuperare bonam voluntatem, & rectam, quam amisit in vita, ergo neque Angelus malus.

II. Concl. Ratio formalis, ob quam Dæmones, & damnati non possunt resipiscere non est inflexibilitas, vel immobilitas voluntatis eorum, nec vllus habitus vitiosus causatus à Deo in voluntate necessitans ad malum; nequè actus à Deo immediatè productus in voluntate damnatorum. Hæc est contra opiniones superius recensitas. Prob. quoad primam partem auct. D. Damasceni lib. 2. de fide cap. 3. docentis, *Angelum esse sententia ratione mutabilem, & secundum propositum vertibilem*; ergo &c.

Prob. ratione voluntas Angelorum post factam semel electionem mali non redditur naturaliter inflexibilis ad bonum; ergo ex hac ratione in Angelis non est admittenda obstinatio; Prob. ant. Voluntas ex sui natura libera non amittit, sed semper retinet suam naturalem libertatem respectu sui actu eliciti, quantum est ex vi potentiæ, & actus; neque per illius positionem amittit potestatem circa illum; cum semper sit prior natura illo, & causa illius in conseruando, ergo per actum, quem liberè elicuit, nō redditur inflexibilis, nec impotens ad cessandum ab eo.

Prob. 2. specialiter contra opinionem Thomistarum refutando eorum fundamenta sic ex Scoto. Ideò voluntas Angelica foret immobilis in actu, quem semel elicuit quia nimirùm appetitus eius proportionari debet potentiæ cognitiuæ, sed potentia intellectiua Angeli apprehendit immobiliter, & sine discursu omne obiectum, at hoc fundamentum est falsum, ergo & id, quod infertur ex ipso. Mai. est Thomistarum. Prob. min. à Scoto sic. Primò quidem, quia falsum supponunt, quod intellectus sit sufficiens motor voluntatis; non enim potest aliter intelle-

ctus mouere voluntatem ad actum, nisi quatenùs proponit ei obiectum sub ratione boni, & mali, aut quatenùs ad illam propensionem sequitur imperium aliquod practicum determinans voluntatem ad prosecutionem boni, vel ad fugam mali, sed antè primum peccatum proponebat voluntati obiecta illa, circa quæ operabatur sub ratione boni delectabilis, & mali inhonesti; nec sequebatur aliquod imperium potius in ordine ad prosecutionem boni delectabilis, quam ad fugam mali inhonesti; alioquin omnes Angeli determinarentur ad malè agendum, quia æqualiter omnibus proponebat intellectus huiusmodi obiecta sub talibus rationibus, & similia iudicia practica in omnibus sequebantur, ergo intellectus non est sufficiens motor voluntatis, adeò vt eam determinet necessariò ad bonum, vel ad malum.

Conf. Angelus malus in primo instanti habuit gratiam, ergo in illo instanti benè operatus est; ergo si sit immobilis, vt volunt Thomistæ, debuit semper perseuerare in operatione bona. Prob. prima conf. quia si in primo instanti non haberet operationem bonam, idest amorem Dei super omnia, peccaret mortaliter, maximè in sententia Thomistarum asserentium, Creaturam rationalem teneri ad amandum Deum super omnia in primo instanti vsus rationis, sed in illo primo instanti non habuit Angelus malus peccatum mortale, quia tunc erat ornatus gratia santificante, ergo habuit amorem Dei, ac proindè si voluntas Angeli in prima electione est immobilis, necessariò semper benè debuit operari, hoc autem consequens est falsum, ergo & ant: idest voluntatem ex sui natura non esse vertibilem. Nec valet responsio Thomist. & signanter Gonet. dicentis, rationes superiùs allatas militare contra electionem ab Angelo factam, & regulatam per iudicium incompletum, & imperfectum, non autem de electione præsupponente iudicium perfectum, & completum, quam distinctionem putat esse sufficientem, vt ipse testatur in suo Compendio Theologico tract. 7. de Angelis ad soluenda omnia, quæ possunt obijci contra suam sententiam. Et sic soluit illam de Dæmone non certò cognoscente Christum, & subdit, Angelos quoquè, qui peccauerunt, mutasse priorem voluntatem, in qua creati

sunt,

ſunt, quia ille primus actus fuit à ſpeciali Dei motione, & applicatione; ac proindè iudicium illud, & electio ipſum conſequens non fuerunt plenè libera, ſed libera ſolum quoad exercitium, & neceſsaria quoad ſpecificationem.

Non valet inquam hæc reſponſio. Etenim electio, ſiue præſupponat iudicium perfectum, & completum, ſiue imperfectum, ſemper eſt in perfecta libertate quoad potentiam, adeò vt voluntas quæcumquè creata poſſit elicere volitionem, vel nolitionem, vel vtriuſque ſuſpenſionem, cum iudicium perfectum non compleat libertatem voluntatis, neque in eliciendo ſuum actum ei cooperetur. Itaque noſtræ rationes manent in ſuo robore. Cæterùm dum opinatur, primum actum habitum ab Angelo in illo primo inſtanti, non eſſe totaliter à voluntate, ſed à ſpeciali Dei motione, ac proindè non eſſe plenè liberum non rectè opinatur, vt ſupra oſtenſum fuit.

Prob. 2. pars conc. Deus nequit creaturæ infundere actum intrinſicè malum, vel habitum ad illum inclinantem, qualis eſſet ille actus, vel habitus odij Dei, alias ſequeretur, quod Deus eſſet auctor peccati, quod eſt impium dicere; ergo obſtinatio Angeli non habet radicem in aliquo actu, vel habitu vitioſo à Deo ei infuſo.

Præterea dedecet Deum infundere creaturæ ſui ipſius odium, ſicut repugnat, Deum infundere alicui actum peccaminoſum; ergo aſſignanda eſt alia cauſa obſtinationis Angeli mali in malo, quæ non faciat redundare vllum defectum in Deum.

III. Concl. Radix, & cauſa obſtinationis Angelorum damnatorum precisè, & formaliter eſt denegatio Diuini auxilij neceſſarij ad reſipiſcendum, ex qua ſequitur praua affectio voluntatis eorum; qua vnuſquiſque damnatorum immobiliter adhæret fini peruerſo, & ſic obſtinatio prouenit partim à voluntate, partim à denegata gratia, non diuiſim, ſed coniunctim. Prob. conc. ex diſcurſu, quem habet Scotus loc. cit. Si enim illa obſtinatio voluntatis malæ ſit à Deo, inquit Scotus, ergo iſta malitia erit à Deo, & ſic Deus eſt cauſa peccati; ſi autem, & à voluntate, videtur, quod ipſa poſſit ex ſe reſilire ab ea, ſicut ipſa potuit ex ſe illud male velle. Qua enim virtute mouet ſe ad aliquod,

quid, eadem quiescit in illo, & æqualiter potest se retrahere ab illo, & mouere in aliud magis inclinans, quale est oppositum illud, ergo necessum est, vt ab vtroque illa proueniat, Hæc Scotus.

Prob. 2. Nam SS. Patres assignant carentiam Diuinæ gratiæ denegatæ ratione status damnationis pro causa obstinationis Angelorum malorum, & præsertim D. Damasc. lib. 2. de fide cap. 18. dicens. *Angelos adeò esse incapaces pænitentiæ, & consequenter recessus ab obstinatione, quia carent gratia necessaria ad debitum modum pænitendi*: & D. Greg. lib. 2. moral. cap. 3. ait: *Deus apostatam Angelum nunquam ad pænitentiam vocat*: idem docet etiam D. Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 3. ergo obstinatio malorum Angelorum ortum habet tanquam à radice à carentia gratię denegatæ ratione status damnationis.

Arg. 1. contra 3. conc. auct. D. Dyonis. dicentis in lib. 4. de Diuinis nominibus, in Dæmonibus manere naturalia integra, ac proindè liberum arbitrium integrum, ergo non necessariò sunt in malo obstinati. Resp. conc. auctorit. D. Dyonis. non tamen liberum arbitrium Angeli mali sufficit ad recedendum à malo, sed requiritur gratia Dei.

Arg. 2. Intellectus Dæmonis aliquod verùm intelligere potest, ergo & voluntas eius potest aliquod bonum velle. Paritas currit, quia sicut nullus intellectus est ità auersus, quin possit intelligere aliquod verum, maxime prima principia; ità nulla voluntas est adeò auersa ab vltimo fine, quin possit illum velle: pat. cons. Quia dicit Arist. 3. Eth. Omnis malus ignorans; ergo non potest esse malitia in voluntate, nisi si error in intellectu voluntatem regulante.

Resp. neg. paritatem. Ratio est, quia intellectus cogi potest ad assentiendum propter euidentem veritatem; at voluntas cogi nequit à bonitate finis, seu obiecti. Ad illud Arist. dicimus intelligendum esse de ignorantia approbationis, quatenus non approbat bonum, dum sequitur malum, non verò de ignorantia propriè dicta.

Arg. 3. Nullum violentum est perpetuum, sed obstinatio Angeli mali in malo est quid violentum, ergo &c. Prob. min. auctoritate D. Damasc. dicentis: *malitiam esse contra naturam*, ergo non necessariò, nec perpetuò conuenit alicui naturæ intellectuali. Resp. maxima assumpta in mai.

va-

valet in naturalibus, non autem in causis partim naturalibus, partim liberis, & ratio est dicit Scotus, quia in agentibus merè naturalibus, cessantibus impedimentis, reditur ad dispositionem naturalem, non prohibente actione violenta; non sic verò se habet voluntas damnati, quæ cum sit in termino secundum legem ordinariam, nequit se sola cessare à malo. Ad prob. respondet Scotus, peccatum esse contra inclinationem naturæ idest contra illum actum, qui natus est elici conformiter inclinationi naturali, non tamen contrariatur ipsi voluntati.

Arg. 4. Si Dæmones, & damnati necessariò velint malum, sequitur, quod semper sint in actu malè volendi; sed hoc videtur absurdum, quia in infinitum augeretur malitia, & consequenter semper cresceret pœna, adeò vt sicut numquàm erunt in termino malitiæ, sic nunquàm habebunt terminum pœnæ.

Conf. Si posset augeri pœna, & malitia semper in damnatis, similiter posset augeri bonitas, & præmium in beatis: sed consequens est absurdum, sequeretur enim, quod beati nunquàm forent in termino beatitudinis; ergo &c.

Resp. Scotus §. ad aliud dico. Quod habitu existente perfecto, vel in summo, quantum potest perfici in tali subiecto, vel secundùm terminum sibi præfixum à Sapientia Diuina, omnes actus sequentes nihil augent, sed tantum procedunt ex habitu iam generato: quemadmodum actus Angeli boni non augent habitum charitatis eius, nec effectiuè, nec meritoriè, quia illa est in termino, vel secundùm naturam habitus, vel secundùm capacitatem subiecti, vel saltem secundùm terminum sibi præfixum à Deo; sed omnes illi actus procedunt ex plenitudine illius habitus sic perfecti; ità in proposito perfectio istius habitus est in termino secundùm regulam Diuinæ sapientiæ, quæ non permittit, eos crescere in malitia intensiua, & ideò actus sequentes tantum se habent, sicut effectus habitus mali, & non sicut causæ agentes.

Per idem ad illud de pœna; quia sicut præmium substantiale in primo instanti, in quo Angelus aliquis est beatus, est determinatum; neque ex tunc crescit, quia actus boni, qui sequuntur, non sunt meritorij, licet sint boni; ità etiam in Angelo damnato, in primo instanti suæ

damnationis determinatur ad certam pœnam, quæ non crescit intensiuè, nec tamen erunt mali actus eius, quos elicit, impuniti, sicut nec boni Angeli boni actus erunt irremunerati: Illi quidem boni actus includuntur in primo actu, quia procedunt ex perfectione actus beatifici, sed quantum ad accidentale præmium, quod possunt habere quilibet actus est sibi præmium; ità etiam isti actus mali, quos elicit damnatus includuntur in prima pœna sibi certitudinaliter determinata, & quilibet, sicut posset habere pœnam accidentalem, & propriam, habet seipsum pro pœna. *Iussisti Domine*, inquit D. Aug. lib. confess. *& ità est, vt sit sibi pœna omnis peccator.* Potissima enim, & maxima pęna est priuatio maximi boni, qualis est formaliter in actu malo malitia culpæ peccatorem auertens à Deo: Crescit ergò pęna eorum in infinitum extensiuè, sicut & malitia, & neutrum intensiuè.

Etsi obijcias, quia secundum malum est actus demeritorius, ergo correspondet sibi propria pęna. Resp. etsi concedi posset esse culpa, non tamen propriè demeritoria, quia non elicitur à viatore, cuius solius est mereri, & demereri; qui magis propriè potest dici esse actus damnatorius, siuè damnati; sicut ex alia parte actus Beati, licèt sit acceptabilis Deo, non tamen propriè est meritorius, sed magis actus beatificus, vel Beati, vel ex beatitudine procedens. Hæc Scotus.

Arg. vlt. Deus cum sit causa vniuersalis, & prima nequit de potentia ordinaria denegare concursum causis secundis quoad effectus naturales, & vt Auctor gratiæ causis liberis auxilia sufficientia ad benè agendum; ac proindè tenetur concurrere cum damnatis, tam quoad actus naturales, quàm quoad actus bonos; ergo voluntas damnatorum non necessariò est in malo obstinata, siuè sit Angelica, siuè humana.

Resp. conc. primam partem ant. & neg. secundam partem, nempè tenetur concurrere cum damnatis &c. de lege ordinaria; nam lex ordinaria Diuinæ Sapientiæ quantum ad creaturam rationalem beatificandam, & puniendam decernit, non dare auxilia ijs, qui sunt in termino, vt pát; ex S. Scrip. & præsertim Eccles. cap. 11. *Vbicumquè ceciderit lignum, ibi erit*, idest in quacumquè voluntate ho-

mo

mo, seu Angelus decesserit in illa permanebit, Isaiæ cap. 66. *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur*; & Matt. cap. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum iusti autem in vitam æternam*, ex quibus regulis S. Scrip. Scot. in 2. d. 7. q. 1. §. ad propositum ergo applicando, concludit cum D. Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 23. & 24. quod certum est, Deum nunquam daturum eis gratiam: secundum hoc ergo est impossibile, eos benè velle, quia impossibile est Deo de potentia ordinaria eis gratiam dare, & alia auxilia iuxta leges præfixas.

Quæres pro complemento quæstionis. An Angeli mali, & alij damnati possint velle aliquod bonum morale.


Resp. Scot. in Report. lib. 2. d. 7. q. 3. §. ad 3. quæst. vers. Vel sustinendo. Quod Angelus non potest habere actum perfectum bonum moraliter circa quodcumquè obiectum, quod, ex quo habet actum malum circa illud obiectum, respectu cuius remanet in actu deformi elicito continuè, non potest habere actum contrarium circa idem. Sequendo secundam ait. Secundò dico secundum opinionem, quæ ponit, quod Angelus non remanet continuè in peccato in actu elicito deformi, sed tantum habitualiter, & actu in reatu; dico tunc, quod Angelus malus potest habere bonum velle ex genere, vt diligere se, & vltra actum bonum completè, & formaliter secundum omnes circumstantias, quas ratio dictat. Quod probat ijsdem rationibus; quibus id probauerat in scriptis Oxionens. censet tamen Doctor primam illam viam esse probabiliorem. Verùm de facto, ait esse probabile, quod secundum hanc potentiam non exeat in actum propter vehementem malitiam. Ita perspicuè in 2. d. 2. q. vn. Scriptò Oxionensi.

Itaquè de mente Scoti breuiter responderi potest cum distinctione. Si loquamur de potestate physica, & remota morali, negari nequit in Dæmone illam reperiri, cum in ijs manserit natura, & quæ concomitantur, & sequuntur naturam. Datur ergo in Angelo intellectus, voluntas libera, quæ est radix, & principium moralitatis, ac proinde manet principium cum sua potestate radicali ad operandum bonum. Si autem loquamur de potentia proxima, & expedita, dicendum, quod Dæmones propter difficultates ortas ex statu damnationis, moraliter loquendo,

do, non videntur posse exercere actus bonos: hoc tamen non est non posse, sed difficile posse, cum qua difficultate stat simpliciter posse.

Dicerent Thomistæ oppositum tenentes, contra nostram sententiam. Si qui actus bonus posset dari in Dæmonibus esset naturalis, quo e. g. aut cognoscunt Deum, aut credunt, aut dolent de pœnis suis, aut compatiuntur alijs; sed his admissis nihil honesti, & boni agit, ergo non potest benè agere moraliter nisi in genere. Min. prob. Quia illi actus, & si natura sua non sint inordinati, imò naturales, & indifferentes ex specie, tamen in indiuiduo in genere moris nequeunt esse boni, imò mali esse debent, quia carent recto fine, etiam virtuali; quod patet; quia illa auersio à fine vltimo imbibitur in omnibus operationibus Dæmonis, ac proindè omnes praua intentione deturpantur.

Resp. conc. mai. & neg. min. cum sua prob. Eò quia illi actus boni, vel indifferentes ex obiecto possunt, & esse, & reddi boni per directionem mediatam ad vltimum finem per intentionem finium particularium, qui cum honesti sint, & virtuosi virtualiter tendunt ad vltimum finem, ad quem spectat, & à quo emanat omnis bonitas, & honestas. Quarè rectè infertur, quod ad hoc vt actus moralis sit bonus non requiritur intentio bona positiua formalis, nec intentio vltimi finis, nec relatio ad ipsum, sed satis est ad finem honestum proximum, qui reducatur ad finem vltimum virtualiter, talis est compassio quædam, & commiseratio naturalis &c. naturaliter orta ex tormento. Quod posset comprobari parabula Epulonis commiserantis suos fratres, ne in illum locum tormentorum irent: qua vtuntur Scotus, & Scotistæ; vndè sic ad P. Abraham exclamabat. *Rogo ergo te Pater, vt mittas Lazarum in domum Patris mei; habeo enim quinque fratres vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*; Luc. cap. 16. & pro hac responsione faciunt ea, quæ habentur in disp. 4. q. 9. de actibus humanis.



QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Quomodo Angeli mali ab igne infernali crucientur?

NOt. 1. Quòd duplex est damnatorum pæna; nempè pæna damni, & sensus. Prima consistit in perpetua carentia visionis beatificę, & in expoliatione omnium donorum gratuitorum, idest gratiæ sanctificantis, gratiæ, quæ datur per modum auxilij, & aliorum donorum supernaturalium, & dicitur pæna damni, quia damnum irreparabile infert creaturæ damnatæ. Secunda consistit in afflictione causata ex præsentia obiecti disconuenientis, idest ignis infernalis, vel alterius cruciantis creaturam damnatam; & dicitur pęna sensus, quia obiectum crucians in se est obiectum sensibile, & corporeum; tum quia consistit in inflictione mali positiui, quæ communiter vocatur pęna sensus, quatenùs contradistinguitur à pęna damni, quæ est priuatiua. Vtraquè pœna puniuntur spiritus damnati, estò sensu careant, vt tradunt vnanimi consensu Sancti Patres, & Theologi omnes.

Verùm grauis difficultas est: quomodo ignis cum sit corporeus agat in spiritus, hinc quot capita, tot sententiæ. Quidam, vt Albert. Egidius, D. Bonau. D. Thom. & alij opinantur, Angelos cruciari per solam phantasiam, qua apprehendunt ignem, vel aliud genus tormenti, vt sibi disconueniens, & nociuum. At hæc opinio videtur difficilis captu. Etenim, vt arguit Scot. in 4. d. 44. q. 2. vbi agit de Inferno. Vel illa apprehensio Angelorum malorum de igne, vt sibi disconuenienti est vera, vel falsa; si vera; oportet assignare modum illius disconuenientiæ, qui tamen assignari nequit; cum ignis de sui natura non sit offensiuus spiritus, ac proindè nec disconueniens: neque in ratione obiectiua, quia obiectum, vt obiectum, est potius conueniens potentiæ intellectiuæ. Quod si apprehensio sit falsa, sequitur, quòd non ab igne, sed à falsa apprehensione crucientur; quod est absurdum, *Quia sicut nullus falsa opinione est beatus, ita nullus est falsa opinione miser* ex D. August. Alij cum Henrico de Gand. putant, Deum imprimere in damnatis, quemdam habitum, seù quamdam qualitatem, qua mediante reddantur capaces ignei ardoris,

ris, vel alterius qualitatis tormentatiuæ. Verùm nec ista placet Scoto; ideoque contra eam insurgit; arguendo sic. Illa qualitas impressa Angelis damnatis, vel esset qualitas corporea, vel spiritualis; sed neutra est, ergo &c. Prob. min. Non enim est corporea, quia sicut qualitas corporea cruciatiua ignis nequit recipi in substantia spirituali, ita nec illa qualitas à Deo producta. Neque spiritualis; eo quia per illam passum, nempè Angelus non redditur magis proportionatum agenti corporeo, idest igni, quàm erat prius, ergo ista qualitas à Deo in damnatis impressa non esset corporea, neque spiritualis ac proindè nihil.

Alij, vt Suarez, Malonius, Arriaga, & quamplures Recentiores volunt, ignem infernalem torquere spiritus damnatos producendo in eis quandam qualitatem spiritualem naturę eorũ repugnantem, seù fędantem eos, ex qua fędatione Angeli afficiuntur summa tristitia. At neque iste modus nouus speculandi subsistit; Tum quia ignis corporeus nequit à Deo eleuari, vt producat in Angelis huiusmodi qualitatem spiritualem; alioquin, posset etiam oculus eleuari ad videndum spiritum, ac proindè Deum, quod improbatum fuit in tract. de vis. beatifica. Tùm quia non apparet ex quo capite illa qualitas spiritualis potest esse repugnans Angelicæ substantiæ cum eam non destruat, vel corrumpat, sicut facit qualitas materialis dolorifica in sensu, & tanto minus, quomodò eam fędare possit; cum dotes naturales nequeat deturpare, neque dona vlla supernaturalia expellat; ea namquè omnia ob primum peccatum amiserunt Angeli, ergo gratis dicitur, immò configitur talis qualitas; Quarè missis, & confutatis aliorum opinionibus sit.

Conclusio ad mentem Scoti. Angeli damnati torquentur ab igne infernali per hoc, quod ad illum sint diuino decreto ita alligati, vt ab eo se se liberari nequeant, ex qua alligatione cognita, & nolita tristantur vehementer. Ita Scotus in 4. d. 44. q. 2. & est etiam D. Thomæ quoad primam partem. Verùm priusquàm ad probandam conclusionem deueniamus; Aduertendum ex Scoto loc. cit. vbi etiam agit de igne infernali, qui post diem Iudicij cruciaturus est homines malos in Anima, & in corpore; quod du-

duplex eſt immutatio corporis, vna realis, altera intentionalis. Realis immutatio dicitur quando terminatur ad formam realem, eo modo, quo forma realis diſtinguitur contra Intentionalem; ſicut albedo, vel calor dicitur forma realis; non autem ſpecies, vel intentio caloris, vel albedinis in medio, aut in organo. Intentionalis dicitur, quæ terminatur ad formam intentionalem, qualis eſt ſpecies rei ſenſibilis, vel actus ſentiendi. Vndè ignis circa corpus ſenſitiuum habet immutationem realem, cum ipſum realiter calefaciat, & immutationem intentionalem, cum immutat ſenſum, vel organum, vel totum coniunctum ex ſenſu, & organo ad ſpeciem caloris, & ad ſenſationem, ad quam ſequitur dolor. Differunt tamen iſtæ duæ immutationes, quia realis eſt ſemper vniuoca, intentionalis verò ſemper æquiuoca. Secundò quia realis nunquam cauſat dolorem ſine intentionali, vt patet in ligno calefacto, & intentionalis ſine reali, vt patet, cum aliquis frequenter dolet ſuper aliquo obiecto triſtabili, & ſibi diſconuenienti. Cæterum pro maiori claritate noſtræ ſententiæ placet afferre huc diſcurſum Scoti reſpondentis ad quæſtionem. An ſpiritus maligni crucientur ab igne infernali.

Ad quæſtionem dico, inquit Scotus, quod ſecundùm Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 14. cap. 15. dolor carnis tantummodò eſt offenſio animæ ex carne, & quædam ab eius paſſione diſſenſio; ſicut Animæ dolor, qui vocatur triſtitia, eſt ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt. Ex hoc apparet, quod dolor eſt paſſio conſequens apprehenſionem euentus alicuius obiecti noliti. Primum dolorem non oportet quærere in ſpiritibus, ſiuè in Angelis, ſiuè in Animabus ſeparatis, ſed ſecundum, qui eſt triſtitia exiſtens in voluntate ex apprehenſione exiſtentiæ obiecti diſconuenientis ſecundùm rationem; vel oportet ponere obiectum, quod ſtatim oſtendatur, vt diſconueniens per rationem, & tamen poſitum. Vel ſi non poteſt ſtatim oſtendi, vt diſconueniens, niſi à ratione errante, quia non eſſet diſconueniens Michaeli, oportet inuenire ibi obiectum diſconueniens ſecundùm rationem, & nolitum, & tamen poſitum. Dico autem quod ignis ille eſt obiectum ſic diſconueniens, & hoc dupliciter. Primò vt detinens ſpiri-

tum diffinitiuè: secundò vt immutans obiectiuè: De primo nullum corpus, vt locans est locatio disconueniens maximè spiritui. Vndè si Michael cuicumque corpori esset ex præcepto diuino coniunctus localiter diffinitiuè, etiam perpetuò, & hoc apprehenderet; nullo modo apprehenderet, vt disconueniens, nec vt materiam tristitię; ergo ad habendam tristitiam de igne detinente oportet, vt inueniatur primò ratio noliti: Sic Angelus malus habet nolle detineri perpetuò ab igne, & specialiter sub ista ratione ex sententia Diuina, vel voluntate Diuina illic effectiuè detinente, & ad istud nolle sequitur affectio commodi, secundùm quam appetit liberum vsum potentiæ, propter quam nunquàm vellet detineri. Promouet autem superbia, propter quam appetit vti propria potestate. Consumat inuidia, propter quam nunquàm vellet detineri. Istud nolle præcedit detentio, & apprehensio detentionis. Isto autem nolle, licet inordinatè posito in voluntate eius, sequitur apprehensio certa istius noliti euentus; & ex hoc tandem tristitia. Sed si quæras: an illam tristitiam effectiuè causet ignis detinens. Respondeo. Ignis non detinet spiritum effectiuè, sed solùm formaliter, quia nihil præter Deum potest Angelum contra eius voluntatem alicubi detinere effectiuè, nisi esset Angelus superior. Ignis tamen effectiuè illum contristat, eo quod ipse odit, non solum, quod detineatur à Deo in igne, sed etiam formaliter detentionem ignis. Quarè & ista ipsum contristat, & ex consequenti ipse ignis, cum sit obiectum tristabile; & sic cruciatur spiritus, quia maximè tristatur, & in hoc sensu diximus, ignem esse instrumentum Dei in cruciando, quia Dæmon principalius odit detineri in igne ex voluntate Diuina, quàm detineri formaliter ab igne.

Deindè Doctor explicat, qualiter ignis vt obiectum immutans contristat; consimiliter quoad aliquod dicendum est primò. Intellectus enim Angeli determinatur perpetuò ad intensè considerandum ignem in ratione obiecti. Secundo apprehendit istam detentionem ad talem considerationem. Tertiò odit, & sicut priùs istud odium oritur ex affectione commodi, ex quo vult quodcumquè obiectum, prout sibi delectabile fuerit considerare nunc hoc, & nunc illud, & promouetur ex superbia, qua

vult

vult vti intellectiua sua secundùm imperium voluntatis propriæ, & consumatur ex inuidia, propter quam odit determinari à Deo ad aliquam considerationem vnicam. Quartò sequitur apprehensio non considerationis nudæ, sed apprehensio certa euentus huius considerationis intensæ, & perpetuæ, & ex hoc tandem tristitia; quæ quidem detentio non est ab igne, sed à Deo. Vnde molestiùs est Angelo, ex eo quod intellectus eius sic detineatur in hac consideratione, quàm quod detineatur diffinitiuè in igne. Hæc Doctor loc. cit. paucis immutatis breuitatis gratia. Cæterum licet ex dictis satis probata remaneat nostra conclusio; nihilominus probatur amplius scholastico, sed breui discursu; & quidem primò auctoritate Sacræ Scripturæ quæ pluribi pœnam ignis infernalis torquentis Dæmones explicat per modum alligationis, & detentionis, sic Apoc. cap. 20. *Apprehendit Angelus Draconem (qui est Diabolus, & Satanas) & ligauit eum per annos mille, & misit in abyssum.* Sic in 2. Petri cap. 2. *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus* (id est vinculis, vel catenis inferni) *detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Sic pariter in Epistola canon. Iudæ, dicitur: *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum &c vinculis æternis sub caligine reseruauit*, ergo Angeli damnati torquentur ab igne vero, & reali per alligationem ad illum.

Prob. 2. auct. SS. PP. docentium, Angelos damnatos teneri penalitèr per ignem corporeum, quod idem est ac alligari, & præsertim S. Greg. lib. 4. Dialogorum cap. 28. Quomodo rem incorpoream tenere ignis corporeus possit? sic respondet. *Si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiàm corporeo igne teneatur?* Deindè subdit. *Teneri autem spiritum per ignem dicimus, vt tormento ignis videndo, atque sentiendo puniatur*, ergo ignis infernalis detinendo spiritus damnatos in sensu iam explicato intentionaliter cruciat.

Prob. 3. ratione. In nostra sententia optimè concipitur qualiter ignis infernalis verè torqueat Angelos malos per productionem vehementis tristitiæ; nam cum alligatio eorum ad ignem sit violenta quædam detentio, ideò obiectum maximæ tristitiæ, & afflictionis in illis spiritibus damnatis consurgit: similiter in nostra sententia salua-

uatur veritas locutionis SS.PP. dicentium, ignem infernalem vrere, calefacere, concremare, & deuorare Dæmones; quia, etiam si ignis in eos non agat physicè, agit tamen intentionaliter actione adeò vehementi, vt in eis producat tantam passionem tristitiæ, & doloris in Animo, seù voluntate, quantum cruciatum, & dolorem produceret in illis, si essent corporei; ergo Angeli mali torquentur ab igne infernali ab eis nolito perpetuò alligati diuino decreto, contra quod diabolica rabie irascuntur, & dolent.

Arg. 1. cont. Concl. Sententia Scoti non differt à Sententia D. Thomæ ponentis, Angelos puniri, & cruciari ab igne, ex eo quod illum apprehendunt, vt obiectum disconueniens; quarè cont. Scotum retorqueri possunt eædem rationes: ergo &c.

Resp. Scotum multum differre à D. Thoma; Siquidem Scot. impugnando opinionem eius solum desiderabat, qua ratione apprehendebat ignem vt obiectum sibi disconueniens; idcircò Scotus præter apprehensionem, addit nolitionem Angeli mali, ex qua nolitione intensa oritur afflictio vehemens; & hæc videtur vera mens Scoti.

Arg. 2. Ex hac sententia Scoti sequitur, omnes Angelos malos æqualiter cruciari, quod est falsum, cum sit cont. D. Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei. Resp. ex Scoto in 4. dist. cit. sequel. quoad detentionem in loco igneo, conc. sequel. quoad apprehensionem veri, & nolitionem obiecti, neg. nam vnus habet intensiorem apprehensionem, & nolitio alio, ac proindè tristitia maiori, vel minori.

Arg. 3. Apprehensio, seù intellectio obiecti est delectabilis, non molesta; ergo illa apprehensio ignis potiùs delectabit Angelos, quàm cruciabit. Resp. dist. ant. Apprehensio simpliciter; & absoluta, conc. apprehensio, & nolitio simul, neg. abhorret namquè Angelus ignem tanquam diuinæ Iustitiæ Instrumentum.

Arg. 4. Angelus quando cognoscit, & immutatur, & affligitur, non caret libertate; ergo potest cessare ab actu, & cruciatu, ac proindè non patietur intensè, nec perpetuò, quod est falsum. Resp. dist. ant. habet libertatem physicam remotam, conc. proximam, neg. non enim est in potestate Angeli non apprehendere, non nolle, quia præsentia obiecti cogit ad accipiendam immutationem per appre-

prehensionem, & cognitionem illius, immissa à Deo specie ignis, tum quia Deus non concurrit, vt possit Angelus damnatus se retrahere, seù cessare à tali apprehensione, & nolitione.

Arg. 5. Si tota pœna Dæmonum in detentione, & formali, & obiectiua consisteret, sequererur, quod Dæmones ab inferno exeuntes, & per aerem, vel per terram volitantes, non torquerentur, quia nec formaliter, nec obiectiuè detinerentur: sed consequens est falsum, ergo & ant.

Resp. cum Beda, qui sup. cap. 3. Epist. Iacob. sic habet: *Vbicunquè, vel in aere volitant, vel in terris vagantur, siuè detineantur, suarum semper ferunt secum tormenta flammarum instar febricitantis*. Itaque Dæmones vbicunque reperiantur, pœnas ignis infernalis patiuntur. Cæterùm, an omnes Angeli mali detrusi sint in infernum, dubium est apud SS. Patres; quorum quidam asserunt: alij negant, censentes, plures in aere, & plures in terra commorari. Hoc supposito secundum communiorem sententiam Theologorum, grauis difficultas oritur inter Doctores, an Dæmones in aere, & in terra commorantes, pœnis inferni puniantur; & quidem meritò dubitatur; cum quam plures Theologi, & Patres, vt Irenæus, Hilarius, Iustinus Martir, Aug. & Oecomenius, quibus consonant, Maldon. Suarez, Heriquez, & interpretes super illud Mathei 8. *Venisti ante tempus torquere nos*, dubitent: Immò etiam D. Thom. p. 1. q. 74. a. 4. tractat de hac re, nec damnat hanc sententiam, sed tantum ait, vt refert Macedo coll. 5. diff. 4. sect. 2. certiùs, & melius est dicere eos torqueri, Quidam alij sentiunt, eos cruciari, sed minus, quàm cruciabuntur post diem iudicij, in quà sententia est Caietanus, Maldonatus, & Layman p. 5. tract. 9. cap. 14. de exorcismis; & Bellar. ait, eos ante diem iudicij non torqueri, his præcisis verbis apud Macedo. Nulla re eos magis torqueri, quàm commemoratione futuri iudicij; & latè disputat in lib. de beatitud. cap. 6. Ratio est, quia Dæmones extra inferos vagantes multa faciunt, quæ cum illo summo supplicio stare non possunt; tentant, illudunt, fallunt, mimos agunt, iocantur, & furos, & delicias faciunt, quæ nemo in summis doloribus constitutus facere, aut ferre potest, de qua controuersia nihil hactenùs ab Ecclesia est definitum, quarè mo-

net idem Macedo, quod prudenter agit, qui ſuum iudicium ſuſpendit, & rem fatetur, ſe ignorare.

DISPVTATIO VI.

De potentia Angelorum tam bonorum, quàm reproborum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Angeli ſua naturali virtute corpus aſſumere valeant.

NOt. 1. Quòd duplex potentia poteſt eſſe in Angelis: Altera immanens actiua: & altera executiua. Prima eſt ipſa voluntas Angeli volentis. 2. eſt facultas ſaltem formaliter diſtincta à voluntate, qua mediante operatur, quod vult, ſubordinatur tamen hæc potentia ipſi voluntati: Huius duplicis potentiæ ex natura rei inter ſe diſtinctæ rationem aſſignat Baſſol.q.4. Prolog. art. 2. Quia ſi Angelus ſola voluntate aliquid mouet, non poſſet impediri, cum actus voluntatis non admittat impedimentum; ſed per agens fortius, ſeù per Angelum ſuperiorem impediri poteſt in ſuis operationibus externis;ergo potentia executiua eſt diſtincta formaliter à voluntate: Immò refert ex Baſſolio Vulpes, eſſe errorem damnatum tanquàm hereticum ab vniuerſitate Pariſienſi, aſſerere, Angelum voluntate mouere Cœlum: ſunt autem, qui oppoſitum tenent, cenſentes, Angelos ſola voluntate externè operari: Videri poteſt de hac re Vulpes tom. 1.p.2. diſp. 16. art. 1. & Nyſe 1. p. de potentia executiua Dei.

Not. 2. Quòd diuerſi generis ſunt corpora, quæ poſſunt aſſumi ab Angelis: quædam enim ſunt aerea, & formata ex aere, non quidem puro, ſed concurrente materia alicuius vaporis terrei, vel aquei; vt docet D. Bonau. in 2. art. 2. q. 2. Itaquè formant corpora ex vaporibus, exhalationibus, cæteriſque mixtis de facili reſolubilibus, & habent quandoquè figuram animalis, quandoquè hominis; ſicquè apparent oculis hominum quantitatiua, figurata, & colorata, vt reuerà ſunt, eſtò per variam poſitionem, & luminis

nis effusionem apparere possint alterius figuræ, quàm à parte rei sint, vt etiam in nubibus contingit. Quædam sunt corpora mortua, tam animalis quam hominis; vnde, permittente Deo, Angeli mali assumunt cadauera, non quidem iustorum, sed reproborum, quibus mediantibus exercent diuersas operationes, quæ videntur hominis viui esse potiùs, quàm cadaueris.

Not. 3. Quòd diuersis modis potest esse talis assumptio, vel per informationem; ità quod sicut Anima, sic Angelus informet corpus; vel per vnionem hypostaticam assumendo corpus, & terminando substantiam, seù humanæ naturæ personalitatem, vel per assistentiam, quatenus moueat Corpus; vel vt motor intrinsecus; & ad hanc assumptionem requiruntur tres conditiones. Prima vt Angelus existat in Corpore, neque extrà illud occupet spatium, vt colligitur ex Scot. 2. vt existat in Corpore assumpto tanquam motor in mobili. 3. vt Angelus vtatur tali corpore, tanquam instrumento ad se manifestandum, defectu cuius Angelus mouens Cœlum non dicitur illud assumere; nec Dæmon corpus humanum quod possidet, estò illud agitet; nec Angelus assumpsit fauces, & linguam Asinæ Baal cum illam mouit ad loquendum, eo quia in his euentibus boni, & mali Angeli non intendunt se manifestare per illa corpora, nec facere, vt appareant tanquam propria, & referant eorum personam, quod ad istam tertiam assumptionem est prorsus necessarium.

I. Concl. Angeli, siuè boni, siuè mali, nec propria virtute, nec de potentia absoluta Dei possunt assumere corpora, ea sicut Anima informando. Est Scoti, & Scotistarum quodlib. 9. vbi Doctor ex professo hanc quæstionem tractat, & sic prob. Illud, quod est per se simpliciter subsistens non potest esse forma materiæ; sed Angelus est per se simpliciter subsistens; ergo &c. mai. pat. min. prob. Angelus est perfectus in specie perfecta, immò in perfectiori, quam sit aliqua species substantiæ materialis, sed species materialis, quæ est imperfectior Angelica, est in actu vltimo, hoc est, non ordinabilis per se ad aliquem actum vlteriorem, alioquin posset esse processus in infinitum; est per se subsistens, ergò multo magis Angelus est per se subsistens. Prob. 2. quod est tota quidditas, neque naturaliter,

ter, neque de potentia Dei absoluta potest esse pars; sed Angelus est tota quidditas ex sui natura; ergo nequit esse pars, ac proindè nequit esse actus, seù forma corporis, alioquin esset pars.

Prob. 3. quidquid potest esse ratio, seù forma substantialis, hoc sibi competit immediatè per essentiam suam, & potest dare actum simpliciter ipsi materiæ; at cui repugnat esse hunc actum materiæ præcisè, repugnat sibi per rationem propriam: ergo &c. quarè omnes istæ rationes probant tam primam, quam secundam partem positæ conclusionis, ideoque non oportet alias addere.

II. Concl. Angeli, siuè boni, siuè mali nequeunt assumere corpus mediante vnione hypostatica. Est Scoti in 3. d. 1. q. vbi quærit: Vtrum persona humana possit terminare dependentiam, non solùm propriæ naturæ, sed etiam alterius naturæ non personatæ persona propria; & resoluit negatiuè loquendo de potentia naturali; Problematicè autem procedit loquendo de potentia Dei absoluta: Vndè eædem rationes, quæ adducuntur à Scoto pro illa resolutione, faciunt etiam pro probatione nostræ Conclusionis; in hoc enim eadem ratio militat de personalitate Angeli, ac hominis, itaque me remitto ad ea, quæ Scotus in 3. ne sim nimis prolixus, & ad tradita in part. 3. tract. de Incarnat.

III. Concl. Angeli, siuè boni, siuè mali sua vi naturali assumere valent corpora sublunaria, tam aerea, quam brutalia, & humana: hæc est communis sententia Theologorum, Prob. de facto ad posse tenet consequentia: sed de facto plures Angeli corpora assumpserant eo modo, quo dictum est in 3. not. ergo &c. Prob. min. ex S. Scrip. vbi referuntur variæ apparitiones Angelorum in corporibus assumptis, vt constat de Angelis, qui apparuerunt Abrahæ, & Tobiæ, Loth, B. Virgini, nec non alijs hominibus iustis, ergo &c.

IV. Concl. Angelus non potest efficere operationes vitales in corporibus assumptis: est communis apud omnes.

Prob. Operatio simpliciter, & propriè vitalis debet procedere à principio vitali intrinseco, & in supposito animato recipi; sed operationes, quæ ab Angelis fiunt, non procedunt à principio, seù à supposito vitali intrinseco; ne-

que

que in eo recipiuntur; ergo Angeli nequeunt in corporibus assumptis vitales operationes elicere.

Itaquè remanet, Angelos solùm posse exercere omnes illas operationes vitæ, quæ eliciuntur mediante motu locali corporis, quales sunt motus progressionis, spirationis, palpebrarum, & similium, quæ proueniunt à principio vitali intrinseco, sed non semper.

Arg. cont. 1. conc. quoad 2. part. Substantiæ spirituali non repugnat informare formaliter corpus, seu esse actus formalis materiæ: sed Angelus est substantia spiritualis; ergo &c. Resp. dist. mai. Substantiæ spirituali incompletæ, qualis est Anima rationalis, conc. mai. Substantiæ completæ, qualis est Angelus; neg. mai.

Arg. 2. Informare materiam est esse actus materiæ, sed Angelus est actus perfectissimus: ergo &c. min. pat. quia est forma simplex. Resp. conc. mai. & dist. min. est actus quidditatiuus, & perfectissimus, quatenus non ordinatur ad vlteriorem actum, conc. est actus ordinabilis, tanquàm pars ad materiam informandam, & ad faciendum aliquod totum, neg. min.

Arg. 3. Si Angelus non posset informare materiam, hoc esset, quia est simpliciter subsistens, sed talis subsistentia non obstat quo minùs Angelus informet corpus: ergo &c.

Confirmatur; nam subsistentia, cum sit quid realiter distinctum ab ipso Angelo, potest per Dei potentiam separari, ergo saltem de potentia Dei potest Angelus informare Corpus. Resp. ex Scoto, quod ratio potissima, quarè Angelus non potest informare Corpus est, quia est tota quidditas. & non pars quidditatis, cuiusmodi est forma; subsistentia autem est ratio à posteriori, & à medio, seù à loco extrinseco.

Quæres 1. An Angeli possint producere substantias, tam spirituales, quam materiales, etiam ex subiecta materia.

Resp. cum D. Bonau. D. Thoma, & Scoto negatiuè; non possunt producere substantiam spiritualem, quia ex nullo capite hoc potest deduci, substantia enim spiritualis producitur per creationem, quæ Angelo non competit, vt ostensum est in disp. 1. de Creatione, ergo &c. neque substantiam corpoream, quia estò Angelus sit illa perfectior, tamen non sequitur eam produci posse; non enim

om-

omne perfectius continet virtualiter imperfectius; siquidem planta est perfectior auro, homo bruto, & tamen neutrum potest producere id, quod est imperfectius: tum quia semper ad præsentiam alterius substantiæ corporeæ producitur substãtia: quarè mira, quæ ad præsentiam Angeli fiunt, non excedunt potentiam loco motiuam idest applicando actiua passiuis; & hoc modo censent Doctores, Dæmones in Ægipto adiuuasse magos producendo Serpentes, nam videmus quotidiè ex putri materia generari Serpentes, Ranas, atquè cætera alia imperfecta: quid igitur mirum, Angelum, qui est ingenij perspicacissimi, applicando actiua passiuis animalia imperfecta quandoque produxisse? nisi dicere velimus cum D. Bonau. p. 2. d. 8. art. 1. q. 3. potuisse Dæmones, quædam ex ijs signis factis in Ægipto præstigiando, seù oculis illudendo, patrasse; puta, adducendo aliundè veros Dracones, sicque loco virgæ subsistuendo Serpentes, absque eo quod quis præstigia aduerteret. Verùm prima responsio, vt rectè notat Herincx est magis consona litteræ S. Scrip. & in eo sensu intelligitur etiam à D. Aug. q. 21. in Exodum. Vide D. Bonauent. de modis ludificandi.

Quæres 2. Quænam sunt illa mirabilia, quæ Angeli efficere possunt applicando actiua passiuis.

Resp. Quòd cum Angeli optimè cognoscant virtutes, & proprietates causarum materialium, & in qua proportione, loco, & tempore debeant applicari, vt suos effectus causent, plura operari possunt; & præsertim reduci possunt ad sequentia. Primo possunt ignem citissimè è suo loco elementari portare, & applicare ad comburendum domum, agros, segetes &c. iuxtà illud Iob. cap. 1. num. 16. *Ignis Dei decidit è cœlo, & tactas oues pueros què consumpsit*. Secundo possunt immittendo vehementes ventos ædificia, plantas, & alia diruere, diuellere, vt habetur pariter in Iob eodem cap. *Repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor Angulos domus &c* Tertio possunt excitare tempestates in mari, vel commouendo aquas maris ab imo, vel magnos ventos immittendo. Quarto possunt causare magnos terremotus, agitando exhalationes in terræ visceribus inclusas. Quinto possunt in humano corpore causare morbos, conturbando humores, somnia, mouendo

do phantasmata, dolores, distrahendo compages, & connexiones membrorum. Sexto valent multos morbos sanare, applicando herbas, & medicinas, quarum virtutes optimè callent; & similiter operari quidquid vi herbarum, gemmarum, lapidum, animalium &c. fieri potest. Septimo quælibet corpora ex vno loco transferre ad alium, res præsentes subitò è conspectu nostro subtrahere, absentes citissimè facere præsentes. De quibus Scotus in 2. d. 8. q. vnica.

Quæres 3. An Angelus mouere, vel transferre possit corpus quantumcunque magnum.

Resp. ex Scoto, quod Angelus mouere potest de loco ad locum, quod non improportionabiliter excedit ipsius virtutem motiuam, ita in 2. d. 8. in fine.

Quæres 4. An Angelus possit alium Angelum localiter mouere, vel inuitum retinere.

Resp. affirmatiuè ex Scoto in 4. d 44. q 2. §. ad quæstionem; & ratio est, quia sicut in hominibus fortior detinere potest alium hominem inuitum, si sit minoris fortitudinis; sic pariter Angelus superior, cum sit naturæ nobilioris, ac proindè maioris virtutis, poterit detinere Angelum inferioris virtutis etiam contra eius voluntatem.

Quæres 5. quomodo Angelus moueat alia à se: An videlicet imprimendo in illis impulsum, vel per voluntatis imperium tantùm.

Resp. Doctores tàm nostræ Scholæ, quam extrà inter se discrepare. Pilosus, seù Vulpes putat impossibile, Angelum causare in corpus, vel in aliud, quod intendit mouere, qualitatem quandam, quæ vocatur impulsus, & addit, Angelum non posse directè, sed tantum indirectè mouere, seu causare impetum in Corpus idest applicando actiua passiuis; rationem assignat, quia ille impulsus non esset maior actiuitate potentiæ motricis ipsius Angeli, qui illum recipit; tum quia impulsus est qualitas corporalis omnino diuisibilis, ergo non est effectus Angelo proportionatus, neque recipi potest in Angelo moto; quarè concludit, Angelum mouere alia à se per imperium suæ voluntatis, sicut voluntas mouet potentiam loco motiuam, & alias sibi subditas non imprimendo aliquam qualitatem,

rem, seu impulsum. Dealcadil. sententiam oppositam defendit in tract de Angelis cap. 8. disp. 4. dub. 4. & probat à paritate. Sicut homo mouendo aliquod Corpus imprimit in eo impulsum, ita pariter suo modo imprimit Angelus impulsum mouendo Angelum, vel corpus; Et solutione rationum sententiæ negatiuæ comprobat suam responsionem. Itaque ad primam respondit, quod omnibus admissis, nullo modo probaretur impossibilitas impulsus recepti in Angelo.

Resp. 2. neg. assumpt. primæ rationis, quia Angelus directè potest impulsum imprimere in Angelo, vel in Corpore. Resp. ad 2. negantiuè quia sicut Angelus mouens superat actiuitatem Angeli moti, ita impulsus ab illo impressus superat eius actiuitatem, cum sit instrumentum illius, quod substituitur loco causæ partialis; ac proindè habet tantam virtutem, quanta est proportionata Angelo mouenti. Ad 3. resp. neg. ant. nam impulsus non est diuisibilis determinatè, nisi quatenùs recipitur in subiecto diuisibili; sicut patet de motu locali, qui de se, neque est diuisibilis, neque indiuisibilis in ordine ad id, quod mouetur.

Dices: ergo Angelns producendo qualitatem impulsus, produceret aliquod accidens, quod non videtur concedendum. Ad hanc instantiam respondeo, quod sicut homo proijciendo lapidem producit in lapide impulsum, ita Angelus se habet ad impulsum impressum in corpore moto: quarè si homo non producit vllum accidens, nec producet Angelus: si producit, tantò magis Angelus producere illud valet. Cæterùm non est concedendum, Angelum producere accidens independenter à subiecto, seù illa, quę ipsum subiectum consequntur, sed applicando actiua passiuis, vt supra dictum est.

Quæres 6. An Angeli in corporibus assumptis possint generare homines.

Resp. ex hactenùs dictis pat. responsio; quia cum Angelus nequeat in corpore assumpto exercere operationes vitales, consequens est, quod nec generare actiuè, nec passiuè valeat, cum vtraque actio sit vitalis.

Cæterùm difficultas est, an Dæmon possit generare accipiendo semen hominis, & in fęminę matricè illud immitere,

re. Ad quam difficultatem respondet D. Bonau. in 2. dist. cit. quod ex Dæmone incubo, & fœmina: potest aliquando homo nasci absque alio actu vitali generationis ex parte dæmonis; potest namque dæmon semen humanum in somnijs decisum conseruare, ac tanta celeritate asportare, vt vitales spiritus, quamuis tenuissimi, non dissipentur, & tempore conuenienti, & apto copulam habere cum fœmina apta, & disposita ad generationem; quo casu illius prolis, non dæmon, sed homo ille censendus est Pater, cuius semen erat: Verùm ex homine incubo, & dæmone sucubo formam fœminæ rappresentante, nequit proles nasci, quia in vtero materno plura requiruntur, tum ad corporis organici formationem, tum ad fætum nutriendum, quæ à Dæmone in corpore assumpto præstari non possunt; quarè cum historiæ narrant ex Dęmone sucubo filios aliquando natos, censendum est, vel veros alterius fœminæ fætus aliunde sublatos, suppositos fuisse, vel certè ab alio dęmone corpore assumpto fuisse prolem ementitam.

QVÆSTIO II.

De Custodia Angelica.

Vtrum Angeli boni à Deo mittantur, & deputentur ad Custodiam hominis, & quid operentur.

NOt. 1. Quòd Angeli à Deo mittuntur in ministerium, vt pluribi habetur ex S.Scrip. & pręsertim ad Hæb. 1. *Omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*; Et hoc pluribus de causis decet diuinam Prouidentiam. Prima est manifestatio Diuinæ potentiæ, Sapientiæ, & bonitatis. Secunda manifestatio dilectionis Angelorum erga homines. Tertia tutela Angelica super homines. Quarta Animarum nostrarum purgatio, intellectus illuminatio. Quinta inflammatio affectus per Angelos causanda. Sexta pertractatio cum homibibus de aliquo secreto diuino reuelando, vel speciali negotio peragendo.

Not. 2. quod, etsi Angeli mittantur à Deo, tamen non semper immediatè, sed ex ordinatione Dei aliquando inse-

feriores Angeli mittuntur à Superioribus, vt tradit communis opinio Theologorum: Et pat. ex S. Scrip. Zaccariæ cap. 2. vbi vnus Angelus dicit alteri, curre, & loquere ad puerum istum: & Danielis 8. *Audiuit Propheta vocem viri, seù Angeli* (quem veteres hebræi putant fuisse Michaelem teste Hieronymo) *intèr Vlai dicentis Gabriel, fac intelligere vi-sionem istam* Cæterum, An ad functiones, seù ministeria exequenda mittantur Angeli ex omnibus ordinibus, seù Hierarchijs, dubium videtur; Scoto in 2. d. 10. q. vnica, quem sequuntur plures recentiores extra nostram Scholam, & colligitur ex Patribus, nempè, ex Cirillo, & Bernardo, probabilior videtur sententia affirmatiua; licèt aliter sentiant Aless. D. Bonau. & D. Thom.

I. Concl. Per Diuinam Prouidentiam demandata est Angelis specialis cura, & custodia hominis, qui est principalis pars mundi. Hæc conclusio sic generaliter posita est de fide, vt notant, præsertim Herincx, & Caspens. & habetur expresse in S. Scrip. & præsertim in Gen. c. 19. vbi narratur, Angelos eduxisse Loth de periculis incendij Sodomæ; & Gen. c. 48. Iacob ait. *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis*; & in psal. 90. *Quoniam Angelis suis Deus mandauit de te*, &c. & in alijs S. Script. locis.

II. Concl. Omnibus hominibus mundi, & non solum prædestinatis à Deo deputati sunt Angeli Custodes. Est sententia SS. Patrum, & Theologorum. Prob. 1. Custodia Angelica continetur in latitudine auxilij sufficientis ad salutem; homo enim de se est insufficiens ad resistendum Dæmoni, sed auxilium sufficiens est commune etiam reprobis; cum enim Deus permittat eos tentari à dęmone, consequenter debet illis protectionem, & defensionem sufficientem præbere; ergo nedum hominibus prædestinatis, sed etiam reprobis deputanrur Angeli Custodes.

Confirmatur; quia licet talis custodia in reprobis non habeat effectum meriti vitæ eternæ, nisi pro aliquo tempore, attamen per illam retrahuntur à multis, vel maioribus malis; tum quia hæc custodia redundat in bonum prędestinatorum; per illam enim arcentur Dæmones instigantes reprobos, ne electis noceant, quantum eorum peruersitas cupit.

III. Concl. Probabile est, Principibus, Regibus, & omni-

nibus Prælatis à Deo deputari duos Angelos Custodes; alterum ad eorum salutem; alterum ad rectam gubernationem. Persuaderi potest; quia sicut duplici egent prudentia, & rectitudine, nempè ad propriam salutem, & ad aliorum gubernationem, ita duplici indigent gubernatore, & Angelo; cum hoc tamen discrimine, quod vnus est inferioris ordinis, alter verò qui datur ad rectè gubernandum est superioris ordinis: Immò etiam Regnis, Prouincijs, comunitatibus, & Ecclesijs dantur Angeli tutelares. De primis prob. per illud Dianelis cap. 10. *Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus; & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi Cum ego egrederer, apparuit Princeps Græcorum* &c. De reliquis patet per SS. Patres, & Theologos, quos nimis longum esset afferre.

IV. Concl. Probabile est singulis rerum speciebus singulos Angelos præesse. Prob. 1. generaliter ex D. Aug. lib. 83. qq. q. 79. indefinitè loquente. *Vnaquæque res visibilis in hoc mundo habet Angelicam potestatem sibi præpositam*. Prob. 2. de rebus in particulari, nam de Orbibus Cœlestibus, & Astris in Iob: cap. 9. habetur: *Sub quo curuantur qui portant Orbem*. De partibus Mundi in Apoc. cap. 7. sic. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor Angulos terræ tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent*: Et cap. 14. agitur de Angelo, qui habebat potestatem supra ignem: & cap. 16. fit mentio de Angelo aquarum; & idem est de alijs Elementis, & speciebus mystorum, & à fortiori de speciebus animalium, saltem perfectorum, & ita sentiunt post Originem, & alios Patres, D. Thom. Herincx Frassen: & alij.

Ex hactenus dictis colligitur 1. quod omnes Sancti, etiam in gratia confirmati, immò & Immaculata Deipara (excepto Christo) habuerunt Angelum Custodem.

Prob. 1. de Sanctis; etenim omnes ad obtinendam salutem egebant opportunis inspirationibus, & illuminationibus, ac pijs affectionibus; nec non amotione occasionum peccandi; quæ omnia Deus præstare solet per Angelos Custodes. Prob. de Dei genitrice. Ità enim sentiunt SS. PP. & præsertim D. Bernardus, & S. Ambr. qui putant, Angelum Custodem eius fuisse Gabrielem. Idem tenet Vgo Victorinus; tum quia decebat, Matrem Dei, non tantùm vno Angelo Custode, sed pluribus esse custo-

ditam, & vt ità dicam, vallatam. Prob. de Christo; nam vt docet D. Bon. & etiam Alenſ. Cuſtodia à Deo inſtituta fuit ob defectum, & indigentiam Cuſtoditi; Chriſtus autem, & ratione vnionis hypoſtaticæ, & ratione eſſentialis beatitudinis, quam à primo inſtanti ſuæ Conceptionis habuit, nullam indigentiam habebat, nullumque defectum admittere poterat. Cæterum verum eſt, habuiſſe Angelos adminiſtrantes, vnde dicitur; *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*. Colligitur 2. quod etiam noſtri Protoparentes, nempè Adam, & Eua in ſtatu innocentiæ habuerunt Angelos, qui eos cuſtodiebant; licet enim ille ſtatus eſſet fęliciſſimus, poterant tamen à iuſtitia originali noſtri Parentes cadere, vt de facto ceciderunt in peccatum comedendo pomum à Deo vetitum.

Quæres 1. Quando incipiat, & deſinat Cuſtodia Angelica.

Reſp. Quàmuis aliqui Doctores cenſeant, cuſtodiam Angelicam incipere ab inſtanti natiuitatis, vt etiam videtur ſignificare D. Hieron. qui tamen explicatur ab ortu animæ ſecundùm Herincx: Veroſimilius tamen eſt, incipere ab inſtanti animationis fætus in vtero, & durare vſque ad mortem. Ita Scotus in Report. D. Bonau. Herincx, Gabriel, Suarez contra D. Thom. Vaſquez, & alios: ratio eſt, quia huiuſmodi cuſtodiam à tempore animationis fætus poſtulat, tum dignitas Animæ; tum quia fætus ſtatim atque animatur, expoſitus eſt multis periculis; ergo probabilius eſt dicere tunc incipere cuſtodiam, quando incipit indigentia, ob quam eſt inſtituta: tum quia licet fętus animatus in vtero, non cenſeatur eſſe Perſona diuerſa à matre, nihilominus reuerà eſt alia Anima, aliud corpus, alia perſona; ac proindè exigit alium Angelum Cuſtodem à cuſtode matris eius. Quod autem perduret vſque ad mortem, eſt apud omnes compertum; & licet SS. Patres, & Scriptura aliquando indicent, Angelum deſerere peccatorem obſtinatum; nihilominùs ſolùm volunt, Angelos tutelares aliquando remittere aliqualiter de ſua cuſtodia propter prauitatem cuſtoditi; non verò ceſſare pœnitus à cuſtodia.

Quæres 2. Quæ ſunt beneficia, quæ nobis impendunt Angeli Cuſtodes.

Reſp.

Resp. Varia, & multa esse munera, & beneficia, quæ Angeli conferunt; & reduci possunt ad sex genera. Primum est auertere, seù amouere externa pericula, tam animæ, quam corporis. 2. est animum excitare, & mouere, tùm ad operandum bonum, tum ad cauendum malum. 3. coercere Dæmones, ne tam grauiter tentent; vel ne tot prauas cogitationes immittant, aut occasiones peccandi afferant. 4. offerre Deo, vel præsentare orationes illorum, quos custodiunt, & vt colligitur ex pluribus locis S. Scrip. & signanter Tobiæ 12. & Apoc. 5. pro nobis assiduè orare; licet enim omnes Angeli prò nobis assiduè orent, Angelus tamen Custos peculiari cura, & quasi ex officio hoc præstat. 6. deniquè, corrigere, & punire homines suæ curæ commissos, quando iuxtà ordinem Diuinæ prouidentiæ fuerit expediens; vt constat ex S. Scrip. & ex historijs Sanctorum, & Sanctarum.

Quæres 3. An Angeli mali à Lucifero deputentur ad homines tentandos, & perdendos.

Resp. Herincx hoc esse incertum; credibile tamen est deputari, tum quia ità sentiunt post Originem Magist. Sent. D. Thomas, & passim Scholastici; tum quia id consonat prauæ luciferi voluntati, qui nedum contra nos, sed etiam contra Deum militare nititur, emulando instar Simiæ Diuinitatem, quam impiè ambiuit.

QVÆSTIO III.

De infestatione malorum Angelorum contra homines.

NOt. 1. Quòd proporium, & quasi præcipuum ministerium Dæmonis est homines impugnare, & ad peccandum inducere, adeout velut per antonomasiam vocetur tentator; qua ratione dicitur homicida ab initio Ioannis 8. quia seducendo nostros Protoplastes, occidit Euam, & per eam Adamum cum tota posteritate. Quod quidem ministerium est ab ipso Dæmone tanquàm Auctore; a Deo autem solum tanquàm permittente, & rectè ordinante, qui nouit etiam malis optimè vti; mouentur autem Dæmones ad tentandum nos, partim ex malitia odij, vt homines ab obedientia Dei, quem odio habent, auertant;

partim ex superbia, quà diabolus nititur habere suos ministros ad impugnandum, sicut Deus habet suos ministros ad auxiliandum; partim ex inuidia erga bonum, & salutem nostram, & partim ex ipsorum hominum pigritia, & ignorantia.

Not. 2. Quòd Dæmonum alij dicuntur aerei, alj aquei, alij terrestres, alij subterranei. Aerei dicuntur, qui (teste Trithemio) Deo permittente per aerem volitantes aerea semper turbant, tonitrua, tempestates, & magnos ventus concitant, & ita pariter discurrendum est de alijs, nempè aqueis &c. De subterraneis custodientibus thesauros; de terrestribus illudentibus homines diuersis formis, & figuris spectrorum; Perspectrum enim significatur aliquis insolitus naturæ maleficiatæ effectus, qualis esset, e. g. figura deformis composita ex varijs animalium speciebus, quomodo aliquando apparebat D. Antonio, & D. Francisco.

Concl. Certissimum est, malos Angelos infestare homines varijs modis, & præcipuè tribus, nempè, vel in figura spectrorum terrendo homines, vel eos alliciendo, vel corpora obsidendo, vel varijs ludificationibus dementando, vt ipsos in peccaminosas actiones venerationis, ac Idolatriæ cultus inducant: est comunis, & signanter D. Bonau.


Prob. 1. pars. Angeli mali pollent admiranda naturali celeritate, potentia loco motiua, atque potentia operatiua, adeò vt possint se immiscere rebus sensibilibus, & hominibus, nec non Brutis; & sic varia spectra componere, vt etiam tradit D. Aug. lib. 83. q. ergo malus Angelus infestat homines in figura spectrorum eos terrendo.

Prob. 2. pars auctorit. S. Scrip. quæ huius infestationis exempla refert, vt Lucæ cap. 11. vbi narratur Christum eiecisse Dęmonem mutum obsidentem corpus eiusdem hominis, & Marci vbi habetur, Christum imperasse cuidam Dæmoni obsidenti hominem.

Prob. 3. pars de illusione. Angelus malus inuidus, & dolosus multipliciter illudere potest sensus humanos. Et quidem primò efficiendo, vt obiectum visibile aliàs absens appareat esse præsens; quod præstat, vel fortiter mouendo spiritum similitudine illius obiecti informatum in organo Imaginationis; vel similitudines visibilium, quæ sunt in organo imaginationis, faciendo illas multiplicari

me-

mediantibus subtilibus vaporibus vsque ad sensum communem, vel certè faciendo in aere talem dispositionem. Secundò efficere potest, & solet illusiones quasdam procurando, vt res præsens pœnitus lateat visum, quod præstat operando extra Corpus nostrum aliquod impedimentum in medio obstans, ne species à re præsenti possit transmitti ad visum. Tertiò assumendo varia corpora, & ex eis varias visui præstando, itaut videns putet esse verum corpus; idest vera mulier, verus homo, estò non sit &c. Quartò mutando, & mouendo species, & phantasmata, easque potentiæ cognitiuæ repræsentando; & per hoc imaginationem ad ea conuertendo, deindè verò per immissionem fumorum spiritus vitales ita variando, & perturbando, vt apparere videantur diuersæ figuræ, quæ à parte rei non extant. Quintò efficiendo, vt obiectum visibile appareat diuersi coloris, dum nimirum procurat interpositionem alicuius vaporis, vel sanguinei, vel colerici, vel malancholici in organo visus, & sic obiectum visum iudicatur esse eiusdem coloris. Sextò, figurando varia somnia de rebus futuris, aut etiam præsentibus, quæ deindè personæ simpliciores sumunt, & tenent pro quibusdam reuelationibus veris. Septimò. In varijs diuinationibus, sortibus, incantationibus, maleficijs, magijs, præstigijs, & alijs diabolicis artibus quosdam peruersos homines instruendo. Item ex Idolis, & simulacris diuinando, futura vaticinando, quibus, dum homines adhibent fidem, in grauia peccata superstitionis labuntur: Insuper cultum diuinum, adorationes, genuflexiones, Sacrificia, & alia huiusmodi ab hominibus exigendo; quæ omnia sunt grauissima peccata idolatriæ. Quapropter nobis opus est rogare assidua oratione Deum, & Angelos Custodes, vt ab omni dolo, & Dæmonum tentationibus liberare dignentur, præbendo nobis vires spirituales, vt eis resistere valeamus; & gratiam, ac lumen Spiritus Sancti, quo perlustrati benè viuendo, ad Societatem Ciuium supernorum perduci mereamur in sæcula sæculorum. Amen.



TRACTATVS SECVNDVS DE HOMINE, AC HOMINIS VARIIS STATIBVS.

HOminem Angelo paulò inferiorem esse testatur apertè S. Scrip. in Psal. 8. dicens. *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*. Hinc Nazianz. vocat hominem alterum Angelum, & Crhysost. Angelum terrestrem appellat. Quapropter, completo tractatu de Angelis, agendum est in hoc 2. tract. de homine, qui inter creaturas secundum locum obtinet. Verùm quia de partibus hominis, nempè Corpore, & Anima, ex quibus componitur, egimus in libris Physic. & in lib. de Anima, vbi etiam plura tradita fuerunt de potentijs, tum corporeis, tum spiritualibus; nec non de passionibus, & affectibus; vnum tantum videtur superesse, videlicet, vt de varijs statibus, in quibus homo est, vel fuit, vel esse potuit, breuiter disseramus; hoc est, de statu Innocentiæ, de statu naturæ lapsæ, & de statu naturæ puræ ideò sit.

DISPVTATIO I.

De statu Innocentiæ.

QVÆSTIO I.

Vtrum homo creatus fuerit à Deo extrà Paradisum terrestrem.

NOt. 1. Ex D. Aug. lib. 8. in Genesi, quod de Paradisi terrestris entitate, & veritate tres quasi generales sunt sententiæ; vna est eorum, qui tantummodò corporaliter Paradisum intelligi volunt. Alia eorum, qui spiritualiter tantum; 3. eorum, qui vtroque modo Paradi-

sum

ſum accipiunt, & corporaliter, & ſpiritualiter; Primæ ſententiæ ſunt omnes ferè Theologi ſcholaſtici. Secunda fuit Origenis lib. 4. Periarchon c. 2. vbi plura coaceruans exempla earum rerum, quarum in Scrip. S. non eſt quærenda vera, & realis hiſtorica narratio, ſed ſola myſtica, & ſpiritualis intelligentia, inter cæteras Paradiſum voluptatis collocauit; cui ſententiæ mihi videtur ſubſcribi noſter Georgius Venetus in illo inſigni libro intitulato: Armonia mundi. 3. eſt multorum SS. Patrum, qui litteralem Paradiſi hiſtoriam admittentes, eam etiam in myſticum ſenſum traducunt ad interiores, & ſublimiores intelligentias rerum ſpiritualium, & cœleſtium aſſequendas; quarè ſententia Origenis taxatur à Sanctis Patribus velut erronea: etenim nulla eſt ratio recedendi à ſenſu litterali, & hiſtorico, cum eodem modo ſit intelligenda plantatio Paradiſi terreſtris, ac commiſſio peccati Adæ, & Euæ, vt communiter tradunt Theologi.

Not. 2. Quòd nomen Paradiſi terreſtris non intelligitur totus terrarum orbis, quem incolimus, vt volunt plures Recentiores, & ſignanter noſter Pineda lib. 1. Monarch. Eccleſ. c. 6. & Abrahamus Ortelius in ſua Tabula Geographiæ, opinantes, Paradiſum voluptatis à Moyſe deſcriptum eſſe totum hunc terrarum orbem, ſuæ conditionis initio pulchritudine, fertilitate, amenitate, ac delicijs exuberantem; fontem verò, qui Paradiſum voluptatis irrigabat, eſſe Oceanum à Philoſophis appellatum fluuiorum omnium Parentem; ſed intelligitur locus aliquis particularis conſtitutus in certa quadam parte huius orbis. Quænam autem ſit iſta pars, non ſatis conueniunt Doctores; probabiliùs tamen exiſtimatur, ſitum eſſe in confinibus Miſopotamiæ, & Arabiæ orientalis; quod colligitur non obſcurè ex S. Scrip. dicente. *Plantauerat autem Deus Paradiſum voluptatis*. Hebraica legit; Plantauerat autem Deus Paradiſum in Edem, ſed Edem in Syriæ, vel Meſopotamiæ finibus fuiſſe, ex eadem S. Scrip. colligitur 4. Regum c. 19. de quo latè commentatores, ſeu interpretes S. Scrip. in Geneſi.

Concl. Probabilius eſt, Adamum extrà Paradiſum formatum fuiſſe, Euam autem in Paradiſo: 1. pars eſt omnium SS. Patrum, eamque perſpicuè indicat S. Scrip. Geneſi c. 2.

vbi de creato homine ait. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit illum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum* & cap. 3. *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est:* ergo si positus fuit in Paradiso, & expulsus de Paradiso ad terram, de qua sumptus est, extra Paradisum creatus fuerat. 2. pars controuertitur à Doctoribus, nam Ioseph lib. 1. antiquitatum censet creatam fuisse extra Paradisum. In eadem sententia est Tertullianus lib. 2. aduersus. Marcionem. Verùm prob. nostra sententia, tum ex S.Scrip. ex qua colligitur Deum creasse Euam ex costa Adami in Paradisum iam translati; tum auct. S. Ambrosij lib. de Paradiso c. 4. vbi sic ait. *Aduerte, quia extra Paradisum vir factus est, & mulier intra Paradisum.*

Quæres 1. Quid, & qualis sit Paradisi terrestris situs.

Resp. diuersas sententias esse de situ Paradisi. Etenim quidam cum D. Damasc. censent illum esse omni terra excelsiorem; immò Rupertus arbitratur esse Cœlo proximum. At D. Basil. vult in media aeris regione collocatum esse. Alij è contra cum Perer. lib. 3. in Genes. disp. de Parad. q. 2. probabilius existimát Paradisum in planitie aliqua situm esse. 3. sententia media inter sententias recensitas contendit Paradisum, neque ità esse demissum, vt in planitie aliqua iaceat, neque ita sublimatum, vt altiores montes transcendat, sed positum esse in suprema huius infimæ regionis aeris parte. Et hæc videtur communior, & probabilior, vt notant Recentiores.

Quæres 2. cuius magnitudinis, & amenitatis sit Paradisus.

Resp. 1. Auctores inter se discordare. Aliqui enim putant esse extensum per spatium ita ingens, vt videatur incomprehensibilis, ita S. Athanas. Sinaita homil. 9. in Genesi. Nonnulli affirmant, tantæ magnitudinis esse, quanta est vna ex principalioribus terræ partibus, puta Asia, Affrica, seù Europa, vel America. Verùm vtraque sententia à Recentioribus reijcitur, eò quia tanta Paradisi magnitudo, & speciositas non posset vllo pacto in terra latere, maximè, cum his nostris temporibus totus orbis circumnauigetur, nisi assentiri velimus quibusdam mathematicis asserentibus, adhuc maiorem mundi partem

non

non esse detectam. Itaque est incertum, sicut & alia, quæ de Paradiso traduntur; Cæterum rationabile videtur fuisse tantæ magnitudinis, quantum postulabat domicilium Adæ, & omnium posterorum qui, supra mille, & mille annos in statu Innocentiæ vixissent; tum ob status perfectionem, tum ob esum ligni vitæ de quo infrà redibit sermo. Resp. 2. quod Paradisus terrestris erat amenissimus, & iucundissimus, ita vnanimi consensu docent SS. PP. inter quos breuitatis causa audiatur solus Damasc. lib. 2. de fidę c. 11. vbi ita Paradisum delineat. Quia verò Deus plasmaturus erat hominem ad imaginem, & similitudinem suam, tanquam quemdam Regem, & Principem vniuersæ terræ, & eorum, quæ in ea sunt, præstruxit ei quamdam veluti regiam, in qua diuersans, beatam, & ex omni parte fœlicem deduceret vitam, & ipsa est Diuinus Paradisus Dei manibus in Edem plantatus, lætitiæ, & voluptatis omnis promptuarium; Edem enim voluptas interpretatur. In oriente verò omni terra excelsior collocatus est, optima temperie, & aere subtilissimo, atque purissimo splendidus, plantis semper virentibus insignis, odoris suauitate refertus, plenusque lumine, vniuersæ sensibilis venustatis, & pulchritudinis, superexcellens intelligentiam. Diuinus profectò locus, ac dignus eius, qui ad imaginem Dei creatus est incolatus.

Quæres 3. An Paradisus adhuc extet.

Resp. ob incertitudinem rei Doctores in duas sententias abire: Quidam enim affirmant; alij negant. Verum affirmatiua videtur probabilior, & posset sic probari. Sententia illa probabilior apparet, quæ traditur à SS. PP. sed SS. Patres docent Paradisum adhuc subsistere ergo &c.

Prob. min. ex Irenæo, quem S. Epiphan. hæresi 24. Sanctissimum, priscumque Theologum, & successorem Apostolorum appellat, affirmat Enoch, & Eliam translatos fuisse in Paradisum, & habetur expresse Eccles. 44. *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*. Tum quia Scrip. S. narrat, de Paradiso terrestri quatuor egredi flumina, nempè Phison, Geon, Tigrim, & Euphratem, de quibus post diluuium non semel fit mentio in Scripturis: ergo &c. Cæterum opposita opinio non caret sua probabilitate, ob cuius studium consulantur In-

terpretes S. Scrip. & Theologi recentiores; quæ quidem opinio negatiua intelligenda non est de Paradiso quoad locum simpliciter, constat enim, vt ex communi docet Henrincx non perijsse, sed de Paradiso quoad amenitatem, & delitiam.

QVÆSTIO II.

Vtrum Animæ sint à Deo creatæ, vel sint productæ ex traduce.

NOt. 1. Quòd titulus quæstionis sic est intelligendus, videlicet; An, sicut humanum corpus ex semine à parentum corpore deciso, & in muliere recepto, formatur, ità etiam Anima filij ex parentis Anima continua propagatione traducatur. Tradux autem sic describi potest. Est productio rei animatæ ab alia per decisionem partis à producente; quæ quidem descriptio potest esse communis, tam productioni seminali secundum corpulentam substantiam, quàm productioni spirituali, si admitteretur, quæ non est admittenda, vt infrà dicetur, Animam ex Anima traduci.

Not. 2. ex D. Bonau. in 2. d. 18. art. 2. q. vii. quod circa Animæ formationem tres sunt sententiæ principales. Quidam enim Philosophi dixerunt Animam formari ab intelligentia, paritate desumpta a corpore, quatenùs, sicut corpus cœleste concurrit ad productionem humani corporis, sic intelligentia ad productionem Animæ. 2. sententia fuit, quod Animarum productio fiat per traductionem, quemadmodum caro ex carne traducitur, & sicut ab vna candela accenduntur multæ; sic ab vna Anima per sui communicationem absque sui diminutione viuificantur multa corpora. In qua sententia fuit aliquando etiam D. August. contra D. Hieronymum, vt liquido constat ex comment. super Genes. & in lib. 3. de lib. arbitr. c. 21. & lib. de Anima, & eius origine cap. 1. & 2. Verùm tandem hanc dubitationem deposuit in lib. de Eccl. dogmatibus c. 14. vbi affirmat, Animas hominum non esse ab initio creaturas intellectuales natas, sed à Deo creari, atque infundi, formato iam corpore, vt viuat in vtero ho-

homo ex Anima constans, & corpore, & hæc est tertia sententia, quam vnanimi consensu à multis retroactis sælis tenuerunt, & omnes Theologi scholastici, & Ecclesiæ Doctores, iuxta quam sit.

Concl. Animæ omnes rationales, siuè primorum parentum, siue posterorum à Deo immediatè creantur, & in corpus organizatum infunduntur, dum creantur, & oppositum asserere, hoc est Animas produci per propagationem, vel fieri ex traduce, videtur D. Thomæ, & Vasquez hæreticum, vt videre est in 1. p. q. 118. art. 2. Magist. sent. tent. Alphonso à Castro lib. 2. aduersus hæreses, & omnibus recentioribus, vt eleganter, & erudite obseruat Macedo tom. 2. collat. 6. diff. 3. ad minus est error in fide; quod deducunt ex Concil. Bracharensi c. 6. & Lateran. sub Leone X. c. 8. & Vien. sub Clemente V. relato cap. 5. *de Trinit. & fide catholica §. porrò, & cap. firmiter de sum. Trinit.*

Prob. conc. ratione, ex D. Bonau. in 2. d. 18. q. 2. Si Anima rationalis, cum sit substantia per se existens, & incorruptibilis habeat materiam, & formam, cum ergo producitur; aut producitur ex materia præiacente, aut simul cum ipsa producitur sua materia, si simul, ergo necesse est, vt producatur ex nihilo, ergo à solo Deo; si producitur ex materia præiacente: quæro de illa materia; aut est corporalis, aut spiritualis; si corporalis, ex ea non potest fieri Anima, si spiritualis, aut habet formam, aut non, quomodò potest esse in rerum natura sine forma, cum omne esse sit à forma, si habet, ergo, vel erit Angelus, vel Anima, non Angelus; constat: ergo Anima, sed ex eodem non fit idem numero, ergo ex ea non potest fieri Anima.

Arg. cont. conc. Non apparet vlla implicantia, quod vna substantia spiritualis aliam ex se producat: ergo non apparet implicantia, quod Anima rationalis fiat ex traduce. Prob. conseq. ant. enim patet; nam D. Bonau. Ricard. Aureolus, & alij docuerunt, esse possibilem materiam spiritualem. Sicut ex materia corporea traducitur, mediante semine, corpus; ità ex materia spirituali videtur posse traduci Anima ex Anima, per quamdam virtutem spiritualem ad instar virtutis seminalis, ergo &c.

Resp. neg. primum ant. ad cuius probat. negatur conf. & negatur pariter eius probatio deducta a paritate semina-

nalis propagationis: maximum enim est discrimen inter materiam corpoream, & spiritualem, si tanquam possibilis admittatur. Siquidem spiritus, cum sit immortalis, non eget propagatione, quemadmodum est necesse ponere in corporibus, ad hoc, vt conseruetur species in indiuiduis: tum quia, vt discurrit D. Bonau. nequit excogitari modus possibilis huiusmodi traductionis. Quod si admittatur modus possibills, quæri potest; an etiam in Angelis sit possibilis eiusmodi traductio; quod, quàm sit absurdum, nemo non videt.

Arg. 2. Vis generatiua principaliter residet penes Animam: ergo cum homo generet hominem, & generatio consistat in productione sibi simili in natura, principaliùs producit Animam, quam carnem, ac proindè, si caro est ex carne multò magis Anima erit ex traduce.

Resp. ex D. Bonau. dist. ant. residet principaliùs penes Animam per modum mouentis, & agentis, conc. ant. per modum termini producti, adeout Anima respiciat Animę rationalis productionem, eamque efficiat, nego ant. Respicit namque vis generatiua corpus principaliter, tamquam illud, ex quo producit: quia verò decisio fieri potest à corpore, & non ab Anima, hinc est, quòd ordinatur ad productionem corporis humani, & non Animæ rationalis.

QVÆSTIO III.

Vtrum homo reuerà factus fuerit de limo terræ, & Eua de costa Adæ.

NOt. 1. Quòd elementa non manent formaliter in mixto secundùm substantias, seù formas substantiales, eò quia forma substantialis, seù elementaris nata est constituere suppositum per se subsistens in genere substantiæ. Vnde si in eodem mixto esſent elementa secundùm suas formas substantiales, in ipso essent plura supposita; Quarè corpus humanum, cum sit corpus mixtum, dicitur esse compositum ex elementis, non tanquam ex partibus suis, sed vt compositio dicitur naturalis conuenientia mixti cum suis elementis, quæ quidem conuenientia mixti cum suis elementis non est elementi ad elementum, sicut co-

lor

lor medius, puta rubor, dicitur componi ex extremis; quia cum ipsis habet naturalem conuenientiam; non verò tanquàm ex partibus, imò rubor est æque qualitas simplex, ac colores extremi, secùs autem de coloribus mixtis ab extrinseco agente.

Not. 2. Quòd non est necesse quatuor elementa concurrere ad compositionem mixti, immò fieri potest mixtum ex vnico elemento, aut ex duobus tantum, nam Genes. 1. dicitur. *Producant aquæ reptile*, & Genes. c. 1. *Formauit Deus hominem de limo terræ*, quàmuis tale corpus dicatur compositum quatuor elementis. Vndè limus terræ componitur, vt notant Doctores, ex aqua, & terra. Neque elementa manent in mixto secundùm suas qualitates, quia non potest manere accidens naturaliter sine suo proprio subiecto, sed manent secundum qualitates consimiles ob dominium talis qualitatis; dicitur enim aliquando elementum prædominari in mixto, sicut in corpore humano dicitur terra dominari, quia in ipso dominatur grauitas, quæ est qualitas motiua localiter conueniens terræ. Itaque elementa, vt docet Scotus in 2. d. 15. dicuntur manere, vel esse in mixto virtualiter, eo quia forma substantialis mixti virtute sua continet formas elementares, quemadmodum Anima intellectiua continet virtualiter Animam sensitiuam, & vegetatiuam.

Not. 3. quod dum S. Scrip. narrat formationem Euæ ex costa Adæ, hoc non est intelligendum allegoricè, vel parabolicè, vt perperàm expendit Caiet. sed in sensu historico, & literali. Neque est credendum, quod sola costa Adæ fuerit sufficiens ad formandum corpus Euæ in statura perfecta, sicut à Deo formatum fuerat corpus Adæ, sed aliundè fuit suppleta reliqua materia, quæ ad tale opus erat necessaria. Nihilominus dicitur, Euam ex costa esse formatam, quia assumptio costæ est magis notabilis, & singularis, ac proindè principaliter intenta; idque ob significationem mysterij, videlicet, vt mysterio designetur, quod Ecclesia sumit à Christo principium. Vndè Apostolus ad Ephes. c. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*, ad quod mysterium non pertinebat reliqua materia, etsi maior costa ipsa.

I. Concl. Adam fuit creatus ex terra, ei immixta aqua,

&hoc

& hoc quidem conuenienter vt ostendit Alensis, & D. Thom. Prob. conc. auct. S. Scrip. Gen. c. 2. dicentis. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*. Quibus verbis explicat in primis materiam, ex qua corpus hominis factum est, nempè limum terræ, quem Deus in productione eius idcirco adhibere voluit, vt tam humili sui principij vtilitate confunderetur, & suæ originis consideratio esset, vt ait Basil. salutare quoddam amuletum aduersus quodcunque peccatum. Deindè formam eius declarat, dum subdit; inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, vbi hebraica lectio spiraculum vitarũ, quo indicari videtur triplex vita, quam Anima rationalis tribuit corpori, nempe vegetatiua, sensitiua, & rationalis, qua vegetamus, sentimus, & intelligimus.

II. Concl. corpus mulieris est factum de costa Adæ, non quidem secundùm rationem seminalem, sed tanquàm ex materia ex qua, cum suppletione tamen reliquæ materiæ, vt dictum est supra. 1. pars est communis, quia costa nullo modo se habuit in ordine ad corpus Euæ tanquam ratio seminalis, quæ, vt alibi dictum est, habet virtutem partialem producendi effectum animatum. 2. pars videtur de fide, vt tradit doctissimus noster Castro in lib. cont. hæreses hæresi 6. vbi eruditè confutat opin. Origenis, & Caiet. asserentium textum S. Scrip. intelligi tantum spiritualiter, & in mysterio, & secundum Caiet. in sensu parabolico. Prob. igitur Concl. ex S. Scrip. quæ c. 2. Genes. narrat hystoricè formationem Euæ, ac proindè hystoricè est intelligenda; *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*. Subditque Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: ergo &c.

Nec fauet Caiet. quod Genes. c. 1. dicatur *Masculum, & fæminam creauit eos*: Quia non additur, quod simul fuerint creati. Tum quia, sicut Adam non fuit creatus creatione strictè accepta, sic pariter nec Eua. Constat etiam manifestè ex S. Scrip. quod Deus non statim simul cum Adamo produxit Euam, sicut fecerat, producendo alias species Animalium. sed ex homine iam producto eam eduxit, ac formauit ex eius costa. Et hoc quidem congruenter; tum vt homo cognosceret se ordinari ad nobilius opus vitæ, quod est intelligere, non verò ad generationem, & propaga-

ga-

gationem, cui mulier deseruit; tum etiam, vt in hoc quædam dignitas hominis seruaretur, vt, sicut Deus est principium totius vniuersi, ita etiam homo esset principium totius speciei iuxta illud Act. c. 17. *Deus fecit ex vno omne genus hominum*.

Arg. cont. 2. conc. à Caiet. Si Eua fuisset formata à Deo ex costa desumpta ab Adamo, sequeretur, Adam fuisse monstruosum, vtpotè priùs vna costa abundantem, vel saltem postea vna carentem, sed hoc videtur absurdum ergo &c. Resp. ex D. Thom. D. Bonau. & Scot. neg. sequelam, & ratio est, quia, licet priùs abundauerit vna costa, eique superflua; fuit tamen necessaria ipsi, tanquam principium totius generis humani instar seminis, ac proindè non erat absolutè superflua, nec reddebat ipsum monstruosum. Quare ablata costa, fuit apertura carne consolidata, vt indicat S. Scrip. dicens *Et repleuit carnem pro ea*; quicquid dicant Catherinus, Perer; & alij opinantes pro costa ex qua fuit formata Eua, fuisse à Deo loco illius alteram costam productam, quæ quidem opinio non cohæret S. Scrip. & minus secundum lectionem, seù textum hebraicum, qui tantum sonat, & clausit carnem pro ea vt rectè aduertit Herincx.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Adæ fuerit à Deo donata iustitia originalis?

NOt. 1. Quòd varia fuerunt fœlicissimi status Innocentiæ priuilegia. 1. & præcipuum fuit, quod Adam in statu gratiæ, & iustitiæ originalis Deus creauit, vt expressè tradit Conc. Trid. sess. 5. in decreto de pecc. origin. can. 1. vbi ait; *Adam peccando amisit sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat*, & colligitur ex S. Scrip. Eccles. 7. *Fecit Deus hominem rectum*. 2. Priuilegium, seu donum Adæ concessum in statu Innocentiæ fuit, quod intellectus eius fuit plenitudine scientiæ perfusus; nam de primis parentibus dicitur Eccl. 17. *Disciplina intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam spiritus, sensus impleuit cor eorum, & mala, & bona ostendit illis*. Idem colligitur ex eo, quod S. Scrip. narrat, Adam imposuisse nomina animalibus, hoc autem peritè

fa-

facere non potuisset, nisi ipsorum naturas, & proprietates rectè cognouisset. Neque solam notitiam rerum naturalium habuit Adam, sed etiam supernaturalium, præsertim mysterij Trinitatis, & Incarnationis &c. immò Scot. 2. d. 3. q. 9. vt aduertunt plerique Scotistæ ponit in primis Parentibus speciem Diuinæ Essentiæ, eo modo, quo probabiliter ponit in Angelis; ponit tamen in Angelis speciem perfectiori modo, quàm in Adamo, de qua quidem specie impressa satis egimus in tract. de Angelis. 3 Priuilegium Adamo coucessum in sua creatione est, quod tunc eius voluntas omnibus virtutibus infusis, tam moralibus, quàm Theologicis fuit condecorata. Siquidem sic postulabat status ille Innocentiæ, in quo omnes Animæ vires disponendæ erant ad Deum perfectè cognoscendum, & amandum. Vndè D. August. ad Cathecum. c. 2. loquens de Adamo in statu Innocentiæ, ait, *Quod tunc erat pudicitia armatus, temperantia compositus, claritate splendidus &c.* 4. Priuilegium erat, quod Protoparentes gaudebant pleno, & dispotico dominio super omnia animantia, vt constat ex S. Scrip. Genes. 2. *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & Bestijs, omnique reptili, quod mouetur in terra*; Et certè conueniens erat, vt qui solus ratione, & prudentia erat, & qui dominabatur dispoticè appetitui sensitiuo, dominaretur etiam inferioribus creaturis, quæ propter ipsum fuerant creatæ. 5. Priuilegium fuit immunitas ab omni errore, & deceptione, nam error, & deceptio sunt defectus, seu miseriæ naturæ corruptæ, non integræ. Quare D. Aug. lib. 3. de lib. arbitr. c. 18. ait. *Approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, non est natura instituta* hominis, sed pœna damnati. Nequè Eua à Serpente fuit decepta, dum erat innocens, quia, licet illa seductio mulieris non præcesserit peccatum operis, subsequuta tamen est peccatum internæ elationis iuxta D. Aug. Thom. Scotum &c. 6. Priuilegium fuit immunitas ab omni egritudine, dolore, & tristitia, eò quia ille fœlicissimus status erat veluti quædam inchoatio beatitudinis cœlestis, in qua non solum est omnium bonorum affluentia, sed etiam carentia omnium malorum, & immunitas: ideòq; erat immortalitate dotatus. Qualiter verò cum corpore consistere poterat immortalitas, disputabitur infrà.

Not. 2. Quòd Doctores non satis conueniunt in explicando, quid sit, & in quo consistat iustitia originalis. Henric. de Gand. quolib. 6. q. 11. putauit iustitiam originalem fuisse quamdam naturalem rectitudinem humanæ voluntati insitam, per quam poterat ipsa voluntas principari appetitui sensitiuo, ac illum, quò vellet, flectere. Verùm hæc opinio vt falsa, & improbabilis reijcitur à Scoto, asserente, iustitiam originalem, esse donum supernaturale, cui consonant cæteri Theologi. Thomistæ dissentiunt, nedum à Scoto, sed etiam inter se. Quidam enim cum Soto lib. 1. de natura, & gratia c. 5. censent, iustitiam originalem fuisse ipsammet gratiam sanctificantem primis parentibus concessam. Quidam verò cum Caietano volunt, esse quoddam donum supernaturale à gratia, & charitate sanctificante prorsus distinctam: at aliorum opinionibus omissis, sit.

I. Concl. Iustitia originalis erat distincta realiter à gratia, ac proindè diuersa à gratia sanctificante. Est Scoti in 2. d. 29. vbi sic discurrit. Quod si iustitia originalis fuerit aliquod donum supernaturale, non tamen oportet, quod sit principium merendi. Se enim habet ad gratiam, quæ est principium meriti, sicut excedens, & excessum; excedens quidem, quia fini vltimo coniungit firmius voluntatem, quàm gratiam; ita enim coniunxit secundum aliquos, quod non patiebatur secum aliquod peccatum veniale; charitas autem compatitur. Vel secundum prædicta saltem ita coniunxit, quod faciliùs, & delectabiliùs erat ei pati ab aliqua tristitia inferiori, quam alicui delectationi inferiori acquiescere, recedendo à delectatione finis. Istam fælicitatem non facit gratia, cum qua stat pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Sed excedit gratia in hoc, quia ipsa coniungit fini, vt bono supernaturali, & vt supernaturale per meritum attingendo tale bonum; non sic istud donum, sed tantum coniungebat illi bono, vt conuenienti, & delectabili, hæc Scot. loc. cit. Itaque gratia gratum faciens perficit hominem in ordine ad finem supernaturalem, non autem in ordine ad finem naturalem, neque ad naturalem integritatem, & perfectionem hominis; & hoc præstabat iustitia originalis.

Prob. 2. Si iustitia originalis non esset à gratia distincta,

 seque-

sequeretur, quod Adam per pœnitentiam, & nobis per Baptismum redderetur illa iustitia originalis, sed consequens est falsum: ergo &c.

II. Concl. Iustitia originalis adæquatè sumpta non erat vnus, & simplex habitus, sed complexio omnium habituum, quibus homo idoneus reddebatur ad exercendas expeditè, & perfectè omnes actiones naturæ suæ conuenientes. Est Scoti loc. cit. vbi subdit. Si dicatur quod ipsa potentia inferior ex parte sui delectabiliter obedlat rationi, tunc videtur, quod oporteat aliquid ponere in potentia inferiori, quo sic delectabiliter feratur in delectabile voluntatis. Non enim videtur, quod ex natura illius potentiæ esset delectabiliter auelli à suo delectabili, nec etiam erat ex natura sua in quantum est inferior voluntate, delectabiliter auelli à suo delectabili ab ipsa voluntate; quia iste ordo essentialis manet nunc, & tamen nunc non est talis delectatio. Oportet enim ponere in singulis potentijs appetitiuis singula dona; ità quod quælibet per suum donum delectabiliter moueretur à voluntate, & ipsa voluntas per donum suum delectabiliter mouerет se ad potentias inferiores, & si essent talia plura dona, potissimum tamen fuit iustitia originalis, quæ fuit in voluntate. Hæc Scotus. Itaque in speculatiuo intellectu continebat omnes scientias speculatiuas rerum omnium, quæ naturaliter sciri possunt ab homine, estò proficere potuisset in cognitione singularium, complexionum, & in scientia experimentali. In intellectu practico omnia continebat, quæ ad rectam politiam, seu gubernationem sunt necessaria, & maxime prudentiam, & insuper artes, quæ vsum habent ingenuum, ac liberalem, & honestam oblectationem, qualis est agricultura, Musica, Arithmetica, ars pingendi, & huiusmodi. In voluntate duo erant habitus, alter erga Deum, nempe religionis, alter erga proximum, nimirum iustitiæ secundum omnes partes eius. Et denique in appetitu sensitiuo, qui duplex est scilicet irascibilis, & concupiscibilis erant virtutes morales. Etenim naturale est, vt potentiæ perficiantur per suos habitus, & sic est modus naturalis, quo singulæ potentiæ perficiuntur, vt idoneæ, & expeditæ sint ad suas perfectas functiones obeundas; idcircò iustitia originalis omnes

præ-

prædictos habitus continebat in gradu perfectissimo, & heroico.

Arg. 1. cont. 2. conc. à P. Gonet. qui in Compend. theol. contendit iustitiam originalem non distingui à gratia sanctificante, nisi secundùm diuersa munera. Gratia habitualis, & capitalis in Christo, & gratia habitualis, & sacramentalis in nobis non distinguuntur realiter, sed sunt vnus simplex habitus diuersa nomina recipientia ob diuersa munera ergo sic pariter iustitia originalis, & gratia sanctificans in Adamo erant idem habitus secundùm rem, esto multiplex secundum munera. Resp. neg. ant. quoad vtramque partem, nam in nostra sententia, tam gratia habitualis Christi distinguitur à gratia capitis, quam gratia sanctificans à gratia Sacramentali: gratia enim capitis, radicaliter fundatur in vnione hypostatica, quæ Christum constituebat personam dignissimam, & quam consequebatur velut proprietas gratia habitualis. Gratia pariter Sacramentalis distinguitur à sanctificante, eo quia gratia Sacramentalis est quoddam auxilium actuale, quod datur tali, vel tali tempore, prout exigit finis cuiusque Sacramenti, & sicut Sacramenta sunt diuersa ita etiam ista auxilia sunt diuersa prò diuersis finibus, ad quos Sacramenta ordinant hominem. Itaque negatur assumptum in antecedente.

Arg. 2. à Molin. disp. 27. de opere sex dierum, & 1. authorit. Eccles. c. 7. vbi dicitur: Deus fecit hominem rectum, & non nisi per originalem iustitiam, tres causantem in illo subiectiones, nempe primam rationis Deo; secundam virium superiorum inferioribus; tertiam corporis Animæ: ergo iustitia originalis includit in se gratiam sanctificantem. Resp. dist. cons. concomitanter, & ex Diuina dispositione, conc. cons. formaliter, & ex natura rei, adeo vt gratia secundum rem sit iustitia originalis, neg cons.

Cont. Arg. ab eodem. Iustitia originalis non est virtus cardinalis, cuius munus est reddere vnicuique quod suum est, sed est habitus reddens hominem iustum ergo iustitia originalis necessariò includebat gratiá formalem.

Confirm. sublatis alijs supernaturalibus virtutibus, nempè fidei, spei, & Claritatis, nullum aliud in primis

Parentibus remaneret donum supernaturale, quo Deo fini supernaturali subessent, ergo nec remaneret sine illis iustitia originalis ergo est idem cum gratia.

Resp. neg. assumptum, quia cum iustitia originalis sit complexio habituum moralium, sequitur, quod sit etiam iustitia, quæ est virtus moralis, seu cardinalis. Quarè concedimus reddere hominem iustum, quia Deo subiectum, non quia Deo specialiter gratum, vel amicum. Ad confirm. dicimus, quod remaneret iustitia originalis, data hypotesi, quod Deus de potentia absoluta tolleret habitus prædictos, quæ redderet hominem iustum, quia subiectum Deo, & coniungeret Deo, tanquàm fini conuenienti, & delectabili, vt ex Scoto dictum est suprà.

Cont. peccatum originale solum dicit carentiam iustitiæ originalis, sed in illa carentia includitur pœna damni, & gratiæ priuatio ergo in ipsa iustitia originali includebatur debitum vitæ æternæ radicatum in gratia sanctificante, ac proindè coniungebat Deo tanquam vltimo fini per meritum attingendo. Resp. transeat mai. & dist. min. concomitanter ex ordinatione diuina includebat pęnam, & reatum, ac gratiæ priuationem, conc. min. de formali, & ex natura rei, nego. Resp. 2. dist. mai. peccatum originale solùm dicit carentiam iustitiæ originalis latè sumptæ, vt comprehendit etiam gratiam sanctificantem, conc. mai. strictè sumptæ, neg. mai. Erant igitur in statu innocentiæ ita connexæ iustitia, & gratia, vt neutra posset amitti de potentia ordinaria sine altera, vt indicat Conc. Trid. in Decret. de pecc. orig. exindè tamen non sequitur, quod iustitia originalis, & gratia secundum rem sint pœnitùs idem.

QVÆSTIO V.

Vtrum homo, si status innocentiæ perseuerasset, fuisset immortalis.

NOt. 1. Quòd mortale dicitur id, quod est aptum natum, siue potens mori; immortale ex opposito dicitur per negationem mortalitatis, quæ quidem negatio dupliciter intelligi potest; vno modo negans aptitudinem, siuè potentiam moriendi, & sic immortale idem est, quod non

non potens mori; alio modo neg. actum solùm moriendi; & sic immortale idem est, quod potens non mori. Vndè homo secundùm diuersos status diuersimodè se habet ad posse mori, & non posse. Est enim triplex status naturæ humanæ, vt dicit Hugo lib. de Sacram. 1. est status naturę institutæ, in quo poterat homo mori, & non mori: 2. est status naturæ lapsæ, in quo potest mori, sed non potest non mori: 3. est status naturæ glorificatæ, in quo homo non potest mori.

Not. 2. quod duplex est causa in genere mortis in homine, vel intrinseca, vel extrinseca; Prima est duplex, quia, vel corrumpitur ab intrinseco per actionem mutuam contrariorum inter se, & intrà corpus, vel propter actionem intensam vnius intrinseci in aliud, vel corrumpitur propter defectum alterius contingentem, idest ex subtractione alimenti, & huiusmodi: primo modo accidit corruptio naturalis in animatis, non propter actionem elementi in elementum, quia in mixto, vt tactum est suprà, non manent elementa formaliter, ac proindè nec eorum qualitates, sed propter actionem vnius partis organicæ in aliam partem, corrumpendo ipsum, vt corpus fiat indispositum, & inhabile ad animationem: ista autem actio ponitur caloris naturalis in humidum radicale &c. hæc Scot. in 2. d. 19. q. 1. vbi diffusè discurrit, & §. quid de causa extrinseca corruptiua? resp. dico, quod illa est duplex, vel scilicet propter dispositionem contrariam continentis, vel propter violentiam illatam ab aliquo extrinseco. Primo modo contingit dupliciter; quando vno modo continens directè corrumpit contentum, vt ignis corpus, quod continet; alio modo quando non directè corrumpit, sed prohibet illud, quod est necessarium ad vitam, cuiusmodi est aqua prohibens inspirationem, & terra &c. est etiam continens corrumpens, sed non ità subitò, vt aer regionis intemperatæ: à prima, & secunda corruptione fuissent immunes homines, stante innocentia vniuersaliter in omnibus, quia tunc non exposuissent se periculis, aliter essent nocentes, nec vnus alij intulisset violentiam, cum vterque fuisset innocens.

Nec etiam fuisset ibi corruptio ex tertia causa, quia in Paradiso fuisset aer temperatissimus. Sed quid de corru-

ptione violenta? Dico, quod illa potest fieri, vel ab homine, vel ab Angelo malo, vel à bestia, siue animali quocunque. Dico igitur, quod à nullo animali recepissent nocumentum, stante innocentia, quia omnia animalia fuissent homini mitia, & amicabilia; vel saltem non inimica, nec ab Angelo malo, quia Deus conseruasset eum, non quia non potuisset corpus innocentis scindi, & diuidi à malo Angelo, cui obediunt corpora inferiora iuxta illud Iob. cap. 41. *Non est potestas, quæ ei valeat comparari*, & etiam ab alio malo homine, si non fuisset innocentia vniuersalis, sed Deus innocentem conseruasset. Hæc Scot. loc. cit.

Not. 3. Quòd circa hanc quæst. diuersi sunt modi dicendi. Primus fuit Pelagij, qui inter alios suos errores dicebat, Adam omninò fuisse moriturum, siuè peccaret, siuè non peccaret, nec mortem fuisse in homines per peccatum introductam, quod, cum sit apertè contra S. Scrip. in Conc. Mileuit. fuit damnatum cap. 1. vbi sic habetur. *Si quis dixerit, Adam mortalem factum, ita vt siuè peccaret, siuè non peccaret, moreretur, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit*: 2. fuit Michaelis Baij, qui asseruit, in statu innocentiæ fuisse à Deo conditum hominem immortalem per naturam, sicut Angelus, & Anima rationalis, quæ quidem propositio cum alijs damnata fuit à Pio V. & postea à Gregorio XIII. & tandem ab Vrbano VIII. 3. modus dicendi est D. Thomæ q. 97. art. 1. quod homo fuisset immortalis propter aliquam qualitatem supernaturalem traditam Animæ in statu illo, quæ conseruasset corpus à corruptione, & hæc dicitur esse illa iustitia originalis; ita refert Scot. in hac q. §. alia ratio. Verùm subdit. Non tamen video, quod illa qualitas posset facere, quod tale corpus non pateretur à contrario, & sic tantùm potuisset pati, quod fuisset mortuum, nec aliquid morti repugnans necessariò includebatur in innocentia; 4. modus est Molinæ, qui in opere sex dierum, opinatur, qualitatem quamdam corpoream fuisse Adæ per totum corpus infusam, qua mediante, reddebatur incapax læsionis, sicut corpora gloriosa conseruari dicuntur per dotem intrinsecam impassibilitatis, & rationem assignat, quia Deus non tribuit similes effectus permanentes, ac diù per se duraturos per so-

ſolam ſuam extrinſecam voluntatem, ſed proportionato modo per ſecundas cauſas; ſed poſſibilis eſt aliqua phyſica qualitas tribuens corporibus illam repugnantiam, ergo &c. Confirmatur, quia corpus glorioſum fit immortale per qualitatem intrinſecam illi ſtatui accomodatam: ergo pariter corpus Adæ in ſtatu innocentiæ, erat immortale per qualitatem intrinſecam. Cæterùm neque hic nouus modus opinandi habet ſolidum fundamentum. Etenim illa qualitas ſiuè ſpiritualis, ſiuè corporalis ponatur, impedire non potuit, quòminus poſſet homo gladio interfici, aquis ſuffocari, non enim fuiſſet corpus impenetrabile, ſicut eſt corpus glorioſum, cuius immortalitas in noſtra ſententia, vt docet Scot. in 4. d. 49. q. 13. ſeù impaſſibilitas refundenda eſt in Deum, qui intimo influxu temperamentum Beati perpetuò ſic conſeruat, vt omnibus cauſis, tum internis, tum externis, ſiuè corruptiuis, ſiuè afflictiuis concurſum deneget: fuiſſet nihilominùs Adam impaſſibilis, ac proindè inſtar Beati per diuinum influxum, ſed diuerſo modo, nam Beati ſic conſeruantur à Deo, vt mori non poſſint, Adam verò erat immortalis, quia non debebat mori, ſeù poterat non mori: eſtò poſſet etiam mori, vt rectè notat D. Aug. 22. de Ciuit. Dei c. vlt, & cum eo diſcurrit eleganter noſter Herincx p. 2. diſp. 3 q. 3. Itaquè iſta immortalitas non proueniebat in Adamo ob aliquam qualitatem, ſed per intimum diuinum influxum conſeruatiuum temperamenti, & per lignum vitæ &c.

Concl. Adam in ſtatu innocentiæ erat immortalis, non quidem ex ſui natura, ſed ex beneficio Conditoris, & priuilegio. Vnde D. Aug. ait *Hominem eſſe immorta'em, non ex natura conditione, ſed ex beneficio Conditoris*. Eſt Scoti loc. cit. & patet ex dictis contra Baium, & inſuper quoad. 1. part. probat. ratione. Omne agens phyſicum in agendo repatitur, & ſic per continuam actionem debilitatur, & tandem conſumitur; ſed calor naturalis ſic ſe habet reſpectu humidi radicalis; ergo tandem per actionem in humidum radicale, & in nutrimentum oppoſitum, conuertendo illud in ſubſtantiam aliti, tandem fuiſset debilitatus, & conſumptus, ergo &c. Nec valet dicere, fuiſſe factam reſtaurationem caloris, & humidi naturalis per eſum ligni vitæ, de quo dicitur habuiſſe virtutem reddendi hominem im-

mortalem, etiam post peccatum, quarè *Deus expulit Adam de Paradiso, vt habetur Genes. ne forte extenderet manum suam, & sumeret de ligno vitæ, & comederet, & viueret in æternum.* Non valet, inquam, eò quia talis restauratio non poterat fieri, nisi per conuersionem ligni in substantiam aliti, ac proindè in tali conuersione fuisset repassio agentis, idest caloris naturalis in lignum, quod conuersum in substantiam, non esset tantæ virtutis, vt totaliter posset calorem naturalem, & humidum radicale restaurare; ergo tandem oportuisset ipsum corpus defecisse; exemplum de vino potest esse idoneum ad hoc declarandum, quod conuertent in se aquam, tamen replicatis vicibus, destruitur vinum. Adde cum Pererio lib. 3. in Genes. Si arbor vitæ vim habuisset conseruandi vitam hominis per infinitum tempus; ergo illa vis fuisset otiosa, & superflua, quia homo in statu innocentiæ non semper in terris erat permansurus; sed vt dicit Scot. fuissent innocentes tempore definito translati à Deo in cœlestem Paradisum, priusquàm corpora eorum fuissent alterata alteratione improportionata Animæ rationali ipsum informante, & hæc translatio fuisset facta de omnibus hominibus, non simul, sed successiuè iuxtà natiuitatem prioris, & posterioris.

Prob. Concl. quoad 2 partem. Est veritas de fide definita in symbolo Diospolitana; vt refert D. Aug. de gestis Pelagij c. 11. & habetur expresse in Scrip. *Per vnum hominem (ait Apost) peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ità &c* & in lib. Sapien. *Quoniam creauit Deus hominem inexterminabilem*; vbi græca lectio sic habet; Deus creauit hominem incorruptibilem, sed huiusmodi incorruptibilitas non erat ei insita à natura; ergo à Deo, qui mortem ei minatus est, dicens. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Eamdem veritatem tradunt Sancti Patres, inter quos D. Fulgent. lib. de Incarnat. c. 12. sic habet. *Nisi præcessisset in peccato mors Animæ, numquàm corporis mors in supplicio sequeretur;* ergo per peccatum spoliatus Adam fuit priuilegio immortalitatis, ac proinde ex beneficio conditoris, vt ait D. Aug. non naturæ conditione erat Adam immortalis. Prob. etiam breui ratione. Omnis proprietas naturalis semper sequitur subiectum suum; sed ista immortalitas non remansit in homine post peccatum ergo &c.

Arg.

Arg. 1. quod homo non poterat mori, etiam si permansisset in æternum hic in terris. Deus expulit Adam, ne comederet lignum vitæ, & viueret in æternum, vt suprà tactum fuit: ergo sic post peccatum pariter lignum vitæ vim habebat conseruandi hominem immortalem per totam æternitatem. Resp. ex Scot. & ex doctrina SS. PP. ly, æternum, non sumi pro æternitate, sed per longum tempus, ideſt lignum vitæ vim habebat conseruandi hominem, etiam post peccatum per longum tempus.

Arg. 2. quod homo in statu innocentiæ esset mortalis, non obstante iustitia originali quia, hac non obstante, corpus hominis in illo statu erat passibile passione immutatiua ergo erat mortale. Resp. dist. ant. erat passibile passione immutatiua perfectiua, sed neque abiectiua conuenientis, neque læsiua subiecti, cuiusmodi est receptiò speciei intelligibilis, conc. ant. erat passibile passione læsiua, aut afflictiua subiecti, cuiusmodi esset notabilis consumptio humidi radicalis, aut excessiua diminutio caloris naturalis, neg. ant. Vndè quàmuis fuisset in illo statu aliqualis consumptio humidi radicalis, non fuisset tamen abiectiua conuenientis, neque læsiua, neque afflictiua subiecti, nempè corporis innocentis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum si status innocentiæ perseuerasset, filij nati fuissent in iustitia confirmati, & omnes soli electi.

NOt. 1. Quòd genus humanum in statu innocentiæ fuisset propagatum per veram copulam coniugalem, & hoc videtur de fide, vel saltem oppositum est error, vt aduertit Castro contra hæreses, quem docuerunt Armeni, asserentes, Adam, & Euam, si permansissent in iustitia, non coituros vnquam, nec humanam speciem propagandam per commixtionem viri cum fœmina, immò etiam quidam SS. PP. vt Greg. Nissenus, Damasc. & Chrysost. existimarunt homines in statu innocentiæ fuisse multiplicatos, vel per creationem, vel àlio modo nobis ignoto; idque putabant, quia videbatur eis irrationabile admittere in illo statu innocentiæ carnales commixtiones, quæ li-

bidinem, & turpitudinem sapiunt: verùm, vt docent communiter D. Bonau. in 2. & alij Theologi, nulla fuisset turpitudo, quia non ob inordinatum libidinis motum, sed solum ob prolis propagationē coiuissent, & delectatio sequens coitum non fuisset quæsita, sed potiùs passa, de qua multiplicatione est textus pespicuus in Genes. c. 2. Dixit Deus hominibus, vti cæteris Animalibus. *Crescite, & multiplicamini*. Vndè D. Aug. de pecc. origin. retractans sententiam, cui aliquando adhæserat, ait. *Neque ob aliam causam Viro adiutorium, non alius Vir, sed fœmina facta est &c.*

Not. 2. Quòd Adam erat nedum caput physicum totius generis humani, sed etiam morale. Quarè data fuit à Deo ipsi iustitia originalis hac conditione, vt docet Scot. cum alijs, quod si seruasset illam, sibi donatam donata fuisset & posteris, non per transfusionem, seù per propagationem, sed à Deo: ex quo factum fuit, vt Adam amiserit pro se, & pro omnibus suis filijs iustitiam originalem ob peccatum de esu pomi vetiti. An verò si violasset Adam aliud præceptum, amitteret iustitiam originalem, variant doctores; quidam probabiliter negant, in tali casu Adam fore amissurum iustitiam originalem; Alij verò, quibus assentior, asserunt, eò quia, sicut peccatum mortale cum statu innocentiæ componi nequit, sic Adam peccando mortaliter in alio etiam genere peccati, cecidisset ab innocentiæ statu.

Not. 3. ex Scot. in 2. d. 20. q. 1. quod duplici modo dici potest confirmatus aliquis in gratia. Primo confirmatione, qua quis ità in iustitia persisteret, vt peccare non posset; eo modo, quo creaturæ peccare non posse conuenire non repugnat, & hæc confirmatio solis Beatis competit, nec viatori cuicumquè competere potest, ac proindè nec filijs in statu innocentiæ. 2. dicitur aliquis confirmatus confirmatione minùs perfecta, qua viator ita in iustitia permanet, quod nec peccat, nec vnquàm peccabit, licet peccare possit; cum prima confirmatione nullum peccatum stare potest; cum secunda verò est compossibile peccatum veniale; multi enim, & præcipuè Apostoli in terris degentes, fuerunt confirmati in gratia, qui tamen venialiter peccauerunt, excepta Immaculata Deipara, iuxta illud D. Ioan. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*.

Not. 4. Quòd duplicem sensum habere potest secunda pars quæstionis. Primus est; an omnes, qui nati fuissent in statu innocentiæ, essent electi, & prædestinati; an potius fuissent inter electos aliqui reprobi. 2. sensus est, an soli illi, qui modo sunt electi, nascerentur; an verò alij diuersi. Quoad primum sensum putant aliqui, quod tunc nati etiam fuissent ij, qui de facto damnantur, ita vt Deus ante præuisionem peccati decreuisset omnes istos nascituros, quorum aliqui essent salui, ex diuina gratia, aliqui damnati, vel omnes damnarentur. Ita Arriaga, Suarez lib. 5. cap. 10. qui quidem Doctores ducuntur quibusdam coniecturis, quæ sunt remotissimæ, vt videri potest apud Mastrium in 2. d. 4. q. 2. præcipuæ autem sunt istæ. Primo vt ostenderetur liberalis donatio beneficiorum Dei, quæ istis, & non illis impenderetur. 2. vt ostenderetur libertas humani arbitrij, & dependentia eiusdem à diuina gratia, & sic de iustitia, quæ omnia videntur gratis excogitata &c.

I. Concl. Si Adam innocens stetisset, ipsius posteri confirmati fuissent in gratia non quidem ab initio suæ natiuitatis, sed postquàm primam tentationem vicissent. Est Scoti in 2. d. 2. q. 1. conc. intelligitur de secunda confirmatione, non verò de prima, & in hoc sensu prob. auct. D. Ansel. lib. 1. cur Deus homo, vbi ait. *In illa iustitia, in qua erant primi homines constituti, videtur, quod si vicissent, vt non peccarent tentati, ita confirmarentur, cum omni propagatione sua, vt peccare vltra non possent*; ergo fuissent confirmati &c.

Prob. ratione. Constat plures homines post lapsum fuisse à Deo in gratia confirmatos: ergo multo magis fuissent confirmati filij Adæ, si iustitiam ipse primò seruasset; sic enim postulabat ille fœlicissimus status innocentiæ. Quod autem Filij Adæ non fuissent confirmati in gratia ratione status innocentiæ, & quasi iure hæreditario, patet ex doctrina Scoti, qui sic habet loc. cit. Cum enim illa iustitia sit donum supernaturale ex mera liberalitate diuina, esset datum proli, sicut fuit datum parenti, qui, si primæ tentationi restitisset, in illa iustitia confirmatus fuisset, & denique inquirens Doctor, fuisset ne filius confirmatus ab exordio suæ natiuitatis? Resp. dico quod non, quia filius non recepisset perfectiorem iustitiam, hoc est non

fuis-

fuissent melioris conditionis nati, quam Pater; sed Pater potuit eam perdere, & perdidit, ergo, & filius; nec etiam illa iustitia necessitabat eos ad benè agendum: ergo &c.

Confirm. quia meritum Adæ non fuit tantum quantum meritum Christi; sed Christus his non meretur, idest filijs Adæ donum confirmationis statim conferendum; ergo nec Adam illud meritus fuisset suis filijs in statu innocentiæ, & hæc ratio videtur militare contrà D. Thom. qui, vt refert Macedo existimauit donum iustitiæ origiginalis, si Adam non peccasset, fuisse transfusum merito ipsius Adæ; videndus est Maced. in t.2. coll.6.diff.4.sect.2.

II. Concl. In statu innocentiæ soli electi fuissent nati, qui modo nascuntur, ac proindè nullus reprobus locum habuisset in statu innocentiæ. Est Scoti in 2. d.20.q.2. & est communior,& probabilior. Prob. conc. quoad 1. partem auct. D. Greg. sent. 4. moral. c. 36. vbi ait. *Si Parentem primum nulla peccati rubigo corrupisset, nequaquam ex se filios gehenna generasset*; ergo in statu innocentiæ soli electi nati fuissent. Prob. rat. per peccatum Adæ totus ille status perijt, ergo per illius innocentiam totus penitus, ac integer stare debebat. Prob. 2. a proportione inter propagationem naturæ,& transfusionem gratiæ,seù iustitiæ; Sicut ab vno parente tota natura traducta est in posteros, ità & iustitia videbatur transfundenda, sic Deo ordinante, vt vna alteri responderet; ergo &c.

Prob. 3. & desumitur à pacto Dei cum homine, quod huiusmodi videtur fuisse, vt si Adam obediret, omnis eius posteritas saluaretur, secùs tota damnaretur, sicut accidit per peccatum. Prob. 4. & desumitur à differentia huius status, & à confusione vtriusque status; quia, si in eo statu essent peccata mortalia priuatorum; esset necessarius mediator, & redemptor, & gratia redemptoris, quæ conditio est propria huius status præsentis, non alterius. Quare sequitur confusio vtriusque status. Accedunt auct. SS. PP. quæ idem apertè tradunt: ergo &c. Prob. conc. quoad 2. partem cont. Thom. opinantes, non eosdem electos, qui modo nascuntur, fuisse nascituros in statu innocentiæ, quorum fundamentum adducetur in parte argumentatiua. Prob. Scot. per illam celebrem doct. quam Scoti interprætes latè expendunt in primo agendo de prædest.

deſt. Omnis ordinate volens poſt volitionem finis, immediate vult illud, quod eſt immediatius, vel proximius fini: Deus eſt volens ordinatè ergo primò vult ſeipſum, vel bonitatem ſuam tanquam finem. 2. vult bonum creaturæ rationalis vltimatum, quod eſt communicatio beatifica ſuæ bonitatis creaturæ tali, & poſteà vult gratiam, quæ ordinatur ad beatitudinem huius, vel ad fruitionem eius, & poſteriùs vult iſtum Beatum, vel beatificabilem eſſe naſciturum à tali parente, quod eſſe ſupponitur gratiæ. Cum ergo priùs ſint determinati beatitudini, quam quod naſcantur à talibus parentibus, per quoſcunque parentes naſcantur, ex quo habent rationem poſterioris huiuſmodi parentes non poterunt variare determinatos beatificandos à voluntate Diuina, quin ijdem numero naſcantur. Et hæc ratio directè militat contra Thomiſtas, ponentes prædeſtinationem fieri antè præuiſionem meritorum, vt hic tenet Scot. Cæterum ſi teneatur, quod prædeſt fiat ex præuiſione meritorum, vt in 1. p. ego ipſe tenui cum Fraſſen, & alijs recentioribus Scotiſt. aliter eſt diſcurrendũ.

Arg. cont. 1. Conc. probando, quod in ſtatu innocentiæ fuiſſent poſteri nati, & ab exordio confirmati in iuſtitia. Meritum bonum eſt efficacius, & potentius malo, ac peccato ex Dion. c. 4. de Diu. Nomin. ſed peccatum Adæ fuit cauſa, vt filij eius peccatores naſcerentur; ergo meritum ipſius bonum eſſet cauſa, cur naſcerentur iuſti, & in gratia confirmati. Reſp. Scot. diſt. mai. meritum bonum eſt efficacius malo, quatenus per conuerſionem bonam efficaciùs Deo reconciliamur, quam mala antecedentia reconciliationem efficacia ad impediendum, conc. mai. quatenus bonum poſſet magis deſeruire ad iuſtificationem aliorum, quàm malum ad eorum inquinationem, neg. mai.

Arg. 2. Si vnum oppoſitorum eſt alicuius oppoſiti cauſa, & ſuum oppoſitum erit cauſa ſimilis effectus; ſed peccatum Adæ eſt cauſa, cur filius naſcantur iniuſti: ergo iuſtitia eiuſdem fuiſſet cauſa, cur filij naſcerentur iuſti iuxta maximam. Sicut oppoſitum ad oppoſitum, ità propoſitum in propoſito.

Reſp. Scot. ſi illa duo oppoſita eſſent à cauſa vniuoca, ſcilicet bonum iuſtitiæ originalis, & peccati malum, argumentum concluderet. Sed dico, quod illa regula fallit

in

in omnibus, vbi vnum oppositorum potest produci à causa vniuoca, & alterum tantum à causa equiuoca. Exemplum. Qualitas corporalis potest generare qualitatem corporalem, vt calor calorem; non autem qualitas incorporalis qualitatem incorporalem, qualitas enim incorporalis immediatè à Deo creatur,& sic patet resp. ad formam argumenti. Cont. Adæ posteri antè superatam tentationem habuissent idem donum supernaturale ad repugnandum peccato, quod eis fuisset concessum post superatam tentationem: ergo etiam antea fuissent confirmati. Conf. patet; ant. prob. donum confirmationis de quo agitur, nihil aliud est, quam illud diuinum beneficium, quo posset caueri peccatum, quoties se se offerret occasio peccandi: sed huiusmodi donum haberent homines ante deuictam primam tentationem, ex hypothesi, quod primam vicissent, ergo ante tentationem superatam habuissent idem donum, quod posteà.

Resp. neg. ant. ad cuius probationem dicendum, quod illud donum confirmationis non fuisset diuinum beneficium quodcunque, quo caueri posset peccatum, sed fuisset tale auxilium, quod ex natura sua vim infallibilem haberet remouendi moraliter voluntatem à peccato, quàmuis physicè peccare potuisset. Quod quidem donum non fuit concessum Adæ ab initio, sed donatum illi fuisset, sicut etiam eius posteris post deuictam primam tentationem.

Arg. cont 2. conc. quoad 1. part. nempè quod in statu innnocentiæ non essent ijdem electi, qui post lapsum nascuntur prob. sic contra doctrinam Scoti adductam in probatione conc. illa beatitudo non determinatur danda à Deo creaturæ in abstracto, sed alicui certo, & determinato indiuiduo: at non potest certum indiuiduum determinari, nisi vt est talis numero, ac proindè à determinatis parentibus; ergo hi debent esse inuariabiles, & vt tales præsupponi ad prædestinationem, & sic ruit ratio Scoti adducta pro probatione conclusionis.

Resp. conc. mai. & neg. min. quoad illam partem, nimirum; ac proinde à determinatis parentibus; non enim oportebat determinare parentes, qui possent etiam variari, non variato effectu. Quarè diximus in Philosophia, eumdem

dem effectum posse produci à pluribus causis totalibus diuisim, licet non coniunctim, vbi adduxi etiam probationem theologicam spectantem ad hanc concl. & ratio est quia diuersitas effectus non attenditur penes causam efficientem eiusdem speciei, sed à partibus constituentibus, quæ cum posſent constituere hominem tam in statu innocentiæ, quam naturæ lapsæ, sequitur, quod ijdem electi nascantur modò, qui nati fuiſsent tunc. Eſsent enim eadem Anima, idē corpus, idem semen idem indiuiduum. Videatur quæstio cit. ne dicta repetendo, labamur in prolixitatem.

Arg. 2. cont. aliam partem conc. nempè, quod in statu innnocentię non essent nati reprobi, & quidem auct. Scot. qui de hoc videtur valdè dubius. Scot. igitur in hac quęst. dicit sic. Pater potuit eam perdere, idest iustitiam, & perdidit: ergo & filius, quibus verbis indicat Doctor, quod sicut Pater potuit perdere, & perdidit, ita filius potuit, & perdidiſset, sed ob amiſsam iustitiam originalem homo fit peccator, & per conseq. reprobus: ergo in illo statu fuiſsent etiam peccatores, & reprobi, vel saltem pænitentes.

Resp. cum Macedo tom. 2 coll. 6. diff. 4. sect. 4. vbi latè discurrit, tenendo ad mentem Scoti, quod si Adam non peccasset, nec eius posteri peccassent. Vnde expendens auct. Scoti, ita loquitur. Video illa verba (ergo, & filius) poſse, ac liberè intelligi diuisiuè quoad partem potentiæ peccandi, vt sit sensus; ita etiam filius potuit perdere; non autem copulatiue, ita vt sit sensus. Ita etiam filius potuit, & perdidit, sicut Adamus, qui vtrumque habuit, idest poſse peccare, & non peccare. Et quidem satis hoc est ad sensum loci, cum præsertim addat Scot. Nec enim illa iustitia necessitabat eos ad benè agendum; igitur mens Scoti erat adstruere libertatem, ad quam satis est potentia peccandi. Vndè illud; ergo & filius; quadrat in poſse perdere: hæc Macedo, & denique confirmat suam expositionem hac alia auct. Scoti, qui in respons. ad 2. arg. dicit; concedo quod reprobi non fuissent nati, quia omnes nati seruaſsent iustitiam, non quia non seruare non potuiſsent &c.

QVÆ-

Vtrum Adam in statu innocentiæ potuisset peccare venialiter, priusquàm peccasset mortaliter.

NOt. Quòd in hac celebri quæst. extant duæ famosæ opiniones. Altera est Alens. quem sequuntur D. Bonau. & D. Thom. cum suis, asserentes primum peccatum Adæ in statu innocentiæ non potuisse esse veniale; ratio, quia, vt ait D. Thom. in 2. d. 21. q. 2. art. 3. & in 1. 2. q. 89. art. 3. talis erat primi status rectitudo, vt superior pars rationis Deo subijceretur, cui subijcerentur inferiores vires, quibus subijceretur corpus: ita quod prima subiectio erat causæ secundæ, & sic deinceps. Manente autem maneret effectus. Vnde sicut quamdiù homo erat subditus Deo, nihil in corporis partibus contingere poterat contrarium Animæ, ita etiam nihil in viribus Animæ contingere poterat, quod superior ratio non ordinaret in Deum: quod autem rectè ordinatum est, veniale peccatum non est, & ita veniale peccatum in primo statu contingere non poterat, sicut nec mors, nisi priùs ordo mentis ad Deum tolleretur, quod sine peccato mortali contingere non poterat; hæc D. Thom. qua ratione vtuntur Thomistæ recentiores, & signanter Gonet. in Compend. theolog. Altera est opinio Scoti, & Scotistarum in 2. d. 21. q. 1. §. dico ergo, vbi sic docet. Adam potuit, non tantum exercere actum deordinatum contra præceptum, sed etiam contra consilium tantum, vt non faciendo maximè expedienda, vel faciendo aliqua retardatiua, licet non faceret directè contra præceptum necessarium ad salutem. Insuper respondendo rationi principali D. Thomæ §. ad 2. ait. Estò quod verum sit, quod in inferioribus viribus non potuerit fuisse deordinatio, nisi præfuisset in superioribus, tamen dico, quod non omnis deordinatio in virtute superiori est peccatum mortale, nam læuis motus per surreptionem de opinione aliqua circa articulos fidei est deordinatio in portione, & virtute superiori; nam potest esse circa tale obiectum, quod non potest considerari nisi per virtutes superiores, vt Deum esse Trinum, & Vnum, & tamen non omnis motus leuis est sibi peccatum mor-

mortale, licet in superiori virtute sit grauius peccatum, quam in inferiori, vt patebit d. 24. hæc Scot. ergo de mente Scoti Adam peccare potuit primò venialiter, quàm mortaliter. Ideo sit.

Concl. Non solum de possibili, sed etiam de facto Adam, & Eua primò peccauere venialiter, quàm mortaliter.

Prob. quoad 1. p. sic. Vbicunque datur integra, & iusta libertas cum indifferentia ad vtramque partem, datur etiam potestas ad malè, vel benè agendum quomodocunque ad omnem actum virtutis, & peccati: sed in statu innocentiæ ita se habebat libertas Adæ: ergo dabatur potestas ad omne peccatum, ac proinde ad peccatum veniale.

Confir. ab inconuenienti. Si defuisset homini talis potestas, non habuisset meritum in vitando peccato veniali, sed in mortali tantum, quod certè videtur absurdum.

Confirm. Potens in materiam grauem peccare, potest etiam peccare in materiam leuem. Si enim Adam poterat mentiri cum iuramento, quarè non poterat mentiri sine iuramento, ergo si Adam peccare poterat mortaliter, sicut de facto peccauit, à fortiori poterat peccare venialiter.

Prob. 2. donum iustitiæ originalis non coniungebat perfectiùs vltimo fini, quam gratia confirmationis in alijs: sed cum gratia confirmationis stare potest peccatum veniale, vt testatur D. Ioan. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; ergo &c. Resp. Thomistæ, & præsertim Gonet. tom. 2. compend. theol. quod peccatum, veniale non repugnabat Adæ ex parte libertatis, sed ex ratione status Innocentiæ, & hoc ab intrinseco; nam ex natura, & conditione status repugnabat homini quæuis miseria, tristitia, & pœna, & proindè quodcunque peccatum veniale, ad quod sequta fuisset pœna, tristitia, & culpæ miseria.

Contra. Nihil assignari potest in statu innocẽtiæ intrinsecum, vel extrinsecum, quod esset incompatibile cum peccato veniali, seu quod Adamum impediret ad venialiter peccandum. Non quidem intrinsecum, quia spectata libertate hominis, non repugnat ei posse venialiter peccare; neque aliquid extrinsecum; hoc enim solum esset Diuina prouidentia, quæ decreuisset in eo statu ita disponẽre, vt nunquam Adam peccaret venialiter, nisi priùs pec-

casset mortaliter; sed hoc gratis dicitur; nam si Diuina Prouidentia non disposuit seruare hominem sine peccato mortali; ergo nec sine veniali. Tum quia, admissa prouidentia tali, quæ in S. Scrip. non habetur, nec ex ea deducitur, ergo potuisset adhuc homo venialiter peccare, quia talis prouidentia non ademisset homini libertatem, sed ad summum, quod non exiret in actum peccaminosum venialiter: ergo potuit peccare venialiter.

Prob. Conc. quoad 2. p. & primò auct. S. Scrip. quæ c. 3. Genes. narrans tentationem, & lapsum Euæ, ità habet. *Serpens callidior cunctis animantibus terræ, dixit ad mulierem; cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi? cui respondit mulier. De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Ex quibus verbis perspicuè deducitur (inquit Macedo t. 2.) duobus modis verba Dei Euam peruertisse: primò per additionem, cum dixit, ne tangeremus. 2. per diminutionem, per illud, ne fortè &c. Deus namque non præcepit eis, ne tangerent, neque sub dubio comminatus est eis mortem, sed absolutè, vt clarè patet in textu S. Scrip. ergo peccauit sic mentiendo, non mortaliter ergo venialiter. Fauet D. Aug. nostræ sententiæ, qui in lib. 21. super Genes. ita discurrit. *Nec arbitrandum est, quod esset hominem deiecturus, nisi præcessisset in Anima hominis quædam elatio comprimenda*: ly deiecturus continet rem, vt aduertit Macedo; loquitur enim de futuro Adæ peccato, & ly quædam elatio, significat culpam leuem, & lib. 14. de Ciuit. ait. *Quomodo verum erit, Adam non est seductus, sed inexpertus Diuinæ seueritatis, in eo falli potuit, vt veniale crederet esse commissum.* Quid clariùs &c.

Arg. 1. cont. 1. p. Concl. Ille status erat integer, ordinatus, & coniunctus fini vltimo, sed peccatum veniale erat quædam deordinatio à recta illa integritate, & directione ad finem intra eumdem statnm; ergo peccatum veniale, stante statu innocentiæ, non erat possibile, quia esset status integer, & non integer, quod dicit contradictionem. Resp. conc. mai. & dist. min. erat quædam deordinatio peccatum veniale, itaut auerteret ab vltimo fine, cui erat coniunctus; neg. min. itaut esset retardatiuum

tiuum ad exercendos actus intensos virtutis, & faceret aliqualiter tepescere, conc. min. at id non repugnat, vt dictum est supra.

Cont. Si hæc vera essent, sequeretur, quod etiam Beatus peccare posset venialiter: sed conf. est falsum, ergo & ant.

Resp. neg. sequelam, eò quia status innocentiæ erat status medius inter statum naturæ glorificatæ, & naturæ lapsæ, ac proindè poterat sine destructione sui admittere peccatum veniale.

Arg. 2. Si Adam potuisset primò peccare venialiter, illud peccatum, vel fuisset ab eo commissum per surreptionem, vel per suggestionem, vel per deliberationem, vel per passionem, non primo modo, quia surreptio prouenit ex appetitus fomite, & sensus, qui tunc non erant in homine; non 2. quia Diabolus non suggereret per tentationem, quod nouerat posse stare cum integritate illius status in opinione Scoti non 3. quia cum voluntas esset recta, & coniuncta vltimo fini, non admitteret leuem deordinationem: non 4. quia cum tunc non esset pugna sensus, & appetitus sensitiui, non fuisset peccatum, ergo cum nullo ex istis modis potuisset Adam peccare peccato veniali, non peccasset primò venialiter. Resp. quod Adam potuisset peccare venialiter aliquo genere peccati rarò tamen, quia non erat status Beatorum, sed viatorum, ac proindè alicuius leuis defectus capax. Quarè concedimus, quod Adam non potuisset peccare ex concupiscentia, seù fomite, potuisset tamen per suggestionem Diaboli; potuit enim tentari leuiter, & peccare, vt serpens infernalis per leuia ad grauia parentes traheret. Poterat etiam peccare deliberatè, vel mentiendo, vel dicendo verbum iocosum, vel quid simile. Cæterùm de peccato passionis distinguitur: vel de passione, quæ est effectus fomitis, & in hoc sensu non admittimus in Adamo peccatum veniale, vel de passione, idest affectu immoderato voluntatis erga aliquid, & sic admittimus &c. Quæro enim à Thomistis; si Deus præcepisset sub culpa leui esum pomi, an potuisset tale præceptum transgredi, si sic ergo potuit venialiter peccare &c.

Arg. 3. Illud peccatum veniale, vel esset remissibile vel irremissibile; sed neutrum est dicendum ergo &c. Prob.

min. Non irremiſſibile, quia ſi peccatum mortale fuit remiſſibile, tanto magis veniale, ergo fuit remiſſibile, ergo opus foret aliquo remedio, vel ſacrificio, vel Sacramento; ac proindè per redemptorem, & per gratiam remiſſionis, quæ non eſſet propria illius ſtatus. Deindè deberetur, ei pœna, & ſatisfactio, quæ erat aliena ab illo ſtatu. Tandem ſi in peccato veniali homo decederet, iret ad purgatorium, quæ conſequentiæ ſunt omnes abſurdæ, ergo &c.

Reſp. conc. eſſe peccatum remiſſibile, & ad conſeq. reſp. illud peccatum non indigere mediatore, ſeu redemptore, quia eſſet leue, & modis proportionatis deleretur, nempè per actum feruentioris amoris Dei, vel per ſalutiferam deteſtationem, vel per ſacrificium aliquod, quibus non caruiſſet ille ſtatus ad Deum colendum: 2. dicimus, admittendo aliquam pœnam leuem, qualis eſt deteſtatio culpæ, ſed per modum tranſeuntis, ſicut culpa non diù perſeueraſſet in voluntate Adæ. Nequè potuiſſet mori in peccato veniali, cum immortalitas conſiſteret cum culpa leui; ac proinde Purgatorium à Thomiſtis excogitatum euaneſcit cum ſuis rationibus.

Quæres 1. An homines in ſtatu innocentiæ mox geniti habuiſset perfectum vſum membrorum.

Reſp. ex Scot. in 2. d. 20. q. 3. quod homines tunc non habuiſſent mox nati perfectum vſum membrorum, ſed habuiſsent, vt modo infantilem ætatem; alioquin maternus vterus, nec illos caperet, nec ſine miraculo ex illo egredi potuiſsent, quod in operibus naturæ non admittitur à Scoto d. 14. Report. Itaque creſcerent paulatim per nutrimentum ſibi neceſsarium. Cæterùm an habuiſsent motum progreſſiuum, ſi non perfectum vndequaque, ſaltem conueniens teneræ ætati? Alij affirmant, alij negant: ſententia affirmatiua magis mihi placet, eamque docet Alenſis, cui fauet D. Aug. Et certè videtur conſentaneum perfectioni illius ſtatus, in quo apparet, quod non fuiſset inferioris conditionis cæteris animalibus, quæ etiam nunc in lucem edita, mox progrediuntur, ad vbera materna currùnt, nutrimentum ſumunt, & vocem emittunt &c.

Quæres 2. An in illo ſtatu homines mox nati, immò & in Vtero habuiſsent vſum rationis.

Reſp. affirmatiuè ex Scot. qui in quolib. 14. art. 2. & in

1. d. 3.

1. d. 3. q. 3. existimat, statum istum in nobis esse pœnalem, non naturalem. Vndè describens præsentem statum naturæ lapsæ, dicit, quod est stabilis permanentia legibus Diuinæ sapientiæ firmata in pœnam originalis culpæ, vt etiam non obscurè indicat D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. vlt. vbi ait. *Quæ causa est Anima mea, cur acie fixa lucem ipsam videre, non possit; nisi vtique infirmitas?* Quis sibi eam fecit, nisi iniquitas? Ex qua doctrina rectè infertur infantes habuisse etiam in Vtero conceptos vsum rationis. Etenim vsus rationis in nobis impeditur ætate infantili ob dependentiam partis intellectiuæ à parte sensitiua, seù à phantasmatibus.

Quæres 3. An homines somno indiguissent in eo statu?

Resp. affirmatiuè sicut indigebant cibo, ne deficerent, sic & somno, ne sensus fatigarentur. Ità Scot. D. Thom. & consonant D. Aug. Quarè in S. Scrip. habetur, quod Deus immisit Adamo soporem, realem scilicet, & verum somnum, vt aduertit Herincx; estò extasi coniunctum. Verùm an in somno fuisset perfecta mentis, & rationis vigilia, dubium videtur: fortasse illa non defuisset, & maximè inhærendo sententiæ de independentia potentiæ intellectiuæ à phantasmatibus.

Quæres 4. An nostri parentes creuissent in illo statu in scientia.

Resp. affirmatiuè ex Scot. in 2. crescere namque potuit scientia primorum parentum studio, & industria iuxta illud Ecclesiast. 17. *Consilium, & cor dedit illis excogitandi*. Similiter scientia experimentalis creuit ipso vsu, sicut, & scientia futurorum, puta eclypsium, tempestatum anni &c.

Quæres 5. An in statu innocentiæ nascerentur tot fœminæ quot masculi.

Resp. affirmatiuè ex Scot. d. 20. q. 2. qui ex tex. Genes. deducit in illo statu fuisse tot fœminas, quot viros, quia in illo statu omnes ex æquo generationi operam darent, iuxta præceptum illud: *Crescite & multiplicamini, & replete terram*. Quarè vna tantum fuisset vnius viri vxor, sicut Christus Matth. cap. 19. insinuare videtur; nam si plures fuissent viri, oportuisset vxorem diutiùs viuere, & suo viro translato, alium necessariò ducere, & sic pariter si plures fuissent fœminæ. Cæterùm recentiores, vt appareat

reat aliquid noui adinuenisse, non putant improbabile, quod vel plures homines, vel plures fœminæ forent in illo statu. Ita etiam opinatur inter alios noster Poncius.

Quæres 6. An homo innocens dominium habuisset in alios homines.

Resp. ex D. Bonau. in 2. d. 44. art. 2. q. 2. & Ricard. de Mediauilla, quod dominatio tripliciter accipi potest; vno modo largissimè, idest quatenus aliquis dicitur dominus rei, qua vtitur pro sua voluntate, & hoc fuisset in statu innocentiæ; alio modo minùs large, nempe pro potestate imperandi alteri homini, & talis dominatio, seu prælatio pariter fuisset in illo statu, puta in viro respectu mulieris, in patre respectu filiorum &c. 3. modo propriè, nimirum prò potestate coercendi subditos; subditum autem coerceri includit aliquid fieri contra eius voluntatem, vel contra eius inclinationem, vel ipsum prò aliquo malo puniri, quæ conuenire non possunt, nisi homini in statu naturæ corruptæ, non autem integræ; vnde inquit D. Bonau. *Hæc dominatio inest homini secundum culpa punitionem, non secundum natura institutionem.*

DISPVTATIO II.

De statu naturæ lapsæ, & de statu naturæ puræ.

QVÆSTIO I.

Vtrum primum peccatum nostrorum Parentum fuerit superbia.

NOt. 1. quod multiplex est naturę status; alius est naturę integræ, seù innocentiæ, & est conditio naturæ humanæ cum iustitia originali, & omnibus priuilegijs, quæ ipsa complectitur, vt suprà dictum fuit: Alius est status naturæ lapsæ, seu corruptæ, & est conditio naturæ humanæ iustitia originali priuatę, & Adę peccato vitiatę: Alius est status naturæ reparatæ, & est conditio naturæ humanæ, cui per Christum iustitia, seù gratia restituta fuit: Alius est status naturæ puræ, & est conditio naturæ humanæ, consideratæ in puris naturalibus absque gratia, &

peccato, ex ſuppoſitione ſic creatæ quoad corpus, & Animam, de cuius poſſibilitate infrà diſputabitur.

Not. 2. quod paruo temporis ſpatio in Paradiſo tranſacto, Diabolus inuidia plenus acceſſit ad tentandum Euam, & quidem ſub forma ſerpentis, vt perſpicuè narrat S. Scrip. veri animalis, ac proindè omnia, quæ ibi narrat de ſerpente, in ſenſu litterali intelligenda veniunt. Quarè ſententia Caiet negantis interceſſiſse ſerpentem; ſed per ſerpentē intelligi ipſum Diabolum, eſt pluſquàm temeraria, vt aduertit noſter Herincx p. 1. de tentat. Euæ, vbi etiam notat non eſse probandum, quod ſentit Cyrillus, etſi probabile cenſeat Arriaga diſp. 44. quod non fuerit ſerpens verus, ſed fictus, ſeù apparens tantum, cum hoc repugnet apertè Scrip. & Patribus.

Not. 3. quod eſt aliqua differentia inter tentationem hominis integri, & lapſi; tentatio enim hominis integri, ſicut & Chriſti ſolum fuit quædam externa ſuggeſtio peccati, ad quam peragendam aſsumpſit Diabolus externam ſpeciem. Neque enim poterat homo interius tentari à carne, cum eſset perfectè ſubiecta ſpiritui; neque etiam à ſuggeſtione Diaboli imaginationem interiùs commouentis, cum pariter vis imaginatiua ſubijceretur rationi adeò perfectè, vt nulla operatio, vel motus inferiorum potentiarum rationem ipſam præuenire poſsent; ac proindè Dæmoni non patebat aditus ad interiora, aut ad prauas cogitationes inferendas, vel motus ſenſualitatis excitandos. Secus autem euenit in tentatione hominis lapſi, quem Dæmones tentare poſsunt, & tentant exteriùs, vel interiùs, vt in tract. de Angelis diſp. 6. fuit tactum; his prænotatis, ſit.

I. Concl. Primum Euæ peccatum mortale videtur fuiſſe inordinatus ſui ipſius amor, quo ſuperbè diuinam excellentiam appetijt. Eſt Scoti in 2. d. 21. q. 2. Prob. 1. auct. D. Aug. qui lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 13. tria videtur tradere; primum eſum fructus vetiti non fuiſſe primarium Euæ, & Adæ péccatum: ſecundum, quod illa interior deprauatio fuerit per internam complacentiam in ſuis perfectionibus: tertium, quod ex illa complacentia proruperunt in affectum ſuperbiæ, audiendo illud eritis ſicut Dij, & deindè peccauerunt edendo pomum vetitum.

Prob. 2. auct. Scoti loc. cit. vbi ostendit primum peccatum mortale, tam Euæ, quam Adæ non fuisse actum formalem superbiæ; dicit ergo sic. Si desiderium illud, quo Eua appetiuit similitudinem Dei fuisset superbia, maximè fuisset illa species superbiæ, quæ dicitur præsumptio: sed hoc est falsum, quia præsumptio est amor concupiscentiæ, quoquis cupit præcellere alijs, eisque præesse, sed hunc amorem præcedit inordinata complacentia, seu amor inordinatus sui ipsius. ergo &c.

II. Concl. Primum Adami peccatum fuit inordinatus amor suæ vxoris. Est Scoti in 2. d. 22. q. 2. vbi sic discurrit pro probatione suæ assertionis. Dico quod in genere sunt duo actus voluntatis, nolle, & velle; in nolle autem non potest consistere peccatum, vt dictum est supra, sed in velle. Est autem velle duplex; idest velle amicitiæ, & velle concupiscentiæ, seu commodi, qui est propter alium, & ita, quod amatur amore amicitiæ, magis amatur, quam quod amatur amore commodi, vt docet Arist. 1. post, propter quod vnum quodq; tale &c. Primū autem peccatum Adæ non fuit ex immoderato amore sui, sicut fuit primum peccatum Angeli; Angelus autem per essentiam suam intelligit se primo, & homo priùs intelligit alia, quam se, & vtitur obiecto sensibili in sui cognitione; primum ergo peccatum hominis non potuit esse immoderatus amor sui, eo quia noluit eam contristare, quam credebat sine suo solatio contabescere, & à se alienatam omninò interire, hactenus Scot. ergo de mente Scoti Adæ primum peccatum non fuit amor concupiscentiæ, seu libidinis, sed amor amicitiæ vxoris suæ.

Arg. cont. 2. conc. Glos. Aug. super illud verbum Psal. Quæ non rapui, tunc exoluebam, dicit, quod Adam, & Eua rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt fœlicitatem: sed appetere diuinitatem videtur fuisse amor amicitiæ sui ipsius, & deindè complacere suæ vxori: ergo primum Adæ peccatum non fuit &c.

Resp. ex Scot. loc. cit. §. ad argum. Dico quod Adam non appetebat æqualitatem Dei directè, & formaliter, sed tantum interpretatiuè, & indirectè, & sic omnis peccans secundùm quod dicit Ansel. de casu Diaboli vult rapere æqualitatem Dei, immò vult esse maior Deo in eo,

quod

quod voluntatem ſuam vult præferri voluntati diuinæ; non obediendo voluntati eius, & hoc eſt ſolum interpretatiuè, ac proindè ſolùm indirectè, & interpretatiuè, & non directè, & formaliter appetiuit æqualitatem Dei. Vndè non ſequitur primò peccaſse alio peccato, quam peccato amoris inordinati amicitiæ erga ſuam vxorem.

Quæres 1. An primi parentes lapſi fuerint etiam in hæreſim. Reſp. Plures ex SS. PP. non obſcurè tradere partem affirm. & præſertim D. Ambr. Epiſt. 33. ad Marcellinum, in qua adducit Deum ad Adam alloquentem ſic. *Agnoſcis te nudum, quia bona indumenta fidei perdidiſti*, & Proſper. lib. contr. Collat. c. 9. *Perdidit Adam fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem*: quibus ſubſcribit Fulgent. lib. 2. de Incarnat. c. 22. vbi de Adamo ait; *Perdidit fidem, perdens fidem, perdidit protectionem diuinam, ſcriptum eſt enim. Qui non credit Deo, non protegetur à Deo*: idem tradit D. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei; & plures alij apud Fraſſen tract. 3. diſp. 3. qui quidem Doctor conſentit Patribus, ſi de muliere agitur, non de Adam; immò adducit D. Bonau. in 1 d. 11. q. 1. qui negat etiam Euam fuiſſe in hæreſim lapſum; reſpondens enim Bonau. ad primum ait. Non eſt concedendum mulierem peccato infidelitatis peccaſſe, niſi infidelitas accipiatur valdè largè; & quidem in hoc ſenſu arbitror loquutos fuiſſe SS.PP. non verò de infidelitate rigoroſè accepta, quæ eſt idem cum hæreſi.

Quæres 2. Vtrum peccatum Adæ fuerit grauius peccato Euæ. Reſp. grauitas alicuius peccati deprehenditur, vel ex eo, quod opponitur maiori bonitati, ſicut odium Dei dilectioni eius: vel ex eo, quod pluribus præceptis prohibitum eſt, vt occidere hominem grauius eſt, quàm non obſeruare ieiunium ab Eccleſia indictum, quia illud eſt de iure naturæ, & diuino, hoc autem de iure poſitiuo humano. Vel deniquè ex conditione perſonæ: non primo modo fuit peccatum Adæ grauius, quia non fuit directè contrà maximum, & grauiſſimum præceptum. Diliges Dominum Deum tuum, neque contra præceptum de diligendo proximo: non ſecundo modo, quia eſus illius fructus non erat de ſe malus, ſed malus, quia prohibitus à Deo ad experiendum eorum obedientiam. Peccatum autem Euæ fuit ſine dubio grauius in ſe conſideratum, quia

Eua voluit vſurpare ſibi diuinitatem, vt dicit D. Aug. Vndè habens auiditatem diuinæ ſcientiæ, fuit ſeducta, vt inquit Apoſtolus. *Eua fuit ſeducta, Adam vero non fuit ſeductus;* Inſuper fuit cauſa, quarè Adam peccauit, ergo Euæ peccatum in ſe, & formaliter grauiſſimum fuit. Quarè remanet, peccatum Adæ fuiſſe grauius peccato Euæ ex circunſtantia accidentali, nempè ex conditione perſonæ. Tradita enim fuit Adæ iuſtitia originalis pro ſe, & ſuis filijs, tanquam digniori, fortiori, circumſpectiori, vt ait D. Aug. t. 2. de merit. ita quod ſi eam perderet, pro ſe, & tota poſteritate perderet. Itaque peccatum Adæ fuit ſiquidem grauiſſimum ex conditione perſonæ, & maximi mali, quod peccando, intulit toti poſteritati. Ita Scot. in 2. d. 21. q. 2.

Quæres 3. Vtrum Adam peccauerit ex ignorantia.

Reſp. omiſſis varijs ignorantiæ acceptionibus, de quibus agetur in tract. de Act. human. ſi Deus dabit vires. Adam non peccauit ex ignorantia erronea, quia error non præceſſit peccatum ipſius, adeout crederet factum illud eſſe bonum, aut bonum ex illo ſequi; nam, vt ait Aug. approbare vera pro falſis, eſt naturæ lapſæ non inſtitutæ. Deindè non eſſet in eo ignorantia facti, neque iuris: ſciebat enim, veſci fructu illo eſſe contra præceptum expreſſum à Deo eis datum, quod quidem præceptum vocant Theologi legem primordialem. Itaque fuit in eo ignorantia circumſtantiarum conſ. quantum ad grauitatem culpæ, & pœnæ: putabat enim veniale, quod erat mortiferum, exiſtimabat etiam, ſe conſequi facilè poſſe ſui peccati remiſſionem, nec credebat, quod Deus eſſet ità grauiter puniturus tale delictum, vt tota poſteritas ad pœnam mortis, tum corporis, tum Animæ damnaretur. Ità Scot. in 2. d. 22. q. vn.

Quæres 4. Quanto tempore noſtri primi Parentes manſerint in Paradiſo terreſtri.

Reſp. non diù durauit primæui ſtatus fœlicitas, quia citò inuidia Diaboli, vt habetur Sapien. 2. *mors introiuit in orbem terrarum*: quanto autem tempore ſteterint, incertum eſt. Quidam enim putant ſex horarum ſpatio, vel vna die ad ſummum; Alij nihilominùs, & meritò, inquit noſter Herincx, paulò ampliùs extendunt, quod inſinuant Sancti Patres, & hiſtoria S. indicat, narrans facta, & geſta

an-

ante peccatum, quæ omnia tam breui tempore vix fieri potuissent. Vndè aliqui ad tres, alij ad sex; alij ad quadraginta, alij ad triginta dies incolatum Adæ in Paradiso extendunt. Cæterum verisimilior apparet opinio, quæ asserit, plures dies in Paradiso, stetisse, & fortasse octo diebus, quasi sexta feria creatus, redeunte sexta feria, lapsus sit, & è Paradiso expulsus, & relegatus in hac lacrymarum valle. Verum quam huius terræ partem primò incoluerint nostri Parentes, imò peremptores, vt cum D. Bernard. loquar, probabiliùs videtur incoluisse illam terræ plagam, quam postea Iudæa, & Palestina dicta est. Ita ex vetustissima hebræorum traditione affirmat S. Basil. relatus à Frassen. tom. 2. tract. 3. disp. 3. art. 2.

Quæres 5. An primi parentes egerint pœnitentiam, & saluati sint. Resp. Adam pœnituisse, est de fide ex sap. c. 10. Hæc illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo; immò, & indubitatum est ex vnanimi patrum, & Theologorum doctrina ipsum esse saluatum, adeout Irenæus Epiphan. Aug. & alij referant inter hæreses Tatiani, quod conrradixerit saluti Adæ. Vndè concludit Herincx cum Arriaga, quod huic doctrinæ nihil desit, vt sit de fide maximè cum in eam tota iam olim Ecclesia conspirasse videatur, sitque perpetua quædam traditio in Ecclesia de eductione primi Parentis per Christum ex limbo Patrum, & tradit etiam Leo IX. cap. hi duo de consecrat. dist. 1. Similiter de pœnitentia, & saluatione Euæ tradunt D. Aug. Ansel. & alij Patres passim, & Theologi omnes, quod etiam ad perpetuam traditionem reducit Estius disp. 23. §. 10. & ad hoc facit etiam, quod Deus non maledixerit Euæ, immò promiserit semen ex muliere nasciturum, quo aliquando contereretur caput Serpentis, qui eam ad transgressionem Diuinæ legis induxerat, vt habetur Genes. cap. 3.



QVÆ-

Vtrum quilibet secundum legem communem propagatus, ab Adam contrahat peccatum originale.

NOt.1. Quòd peccatum vt sic est transgressio diuinæ legis. Diuiditur autem peccatum, veluti in suas species, non quidem physicas, sed morales, primò in peccatum actuale, & habituale. Actuale est transgressio voluntaria diuinæ legis vel humanæ ordinantis hominem ad finem supernaturalem. Habituale est transgressio eadem legis diuinæ, vel humanæ iam præterita, adhuc tamen moraliter permanens, instar effectus habitualis, quod à Theologis, & à SS. PP. vocari solet reatus. Peccatum habituale subdiuiditur in originale, & personale: originale est illud, quod tota Adæ posteritas (excepta Dei immaculata genetrice) contraxit origine, & propagatione naturali, quatenùs transgressio Adæ legis primordialis censeatur etiam esse nostra ob continentiam moralem nostrarum voluntatum in voluntate primi parentis. Personale est transgressio, quam vnusquisque propria voluntate, & non aliena committit. Hinc patet, quod tam actuale, quam habituale sub diuidi potest in mortale, & veniale, de quibus latè (Deo dante) agetur in tract. de peccatis.

Not.2. Quòd aliquid potest dici alteri voluntarium dupliciter, nempè physicè, & moraliter: Primo modo est in ordine ad propriam voluntatem aliquid volentem: Secundo modo est in ordine ad voluntatem alterius, in quo propria volnntas moraliter continetur, sic voluntas Curatoris, & Tutoris moraliter censetur esse voluntas pupilli, aut minoris, vt habetur l. cum plures §. quæ bona fide ff. de administrat. & perit. Tut. Insuper voluntas filiorum impuberum censetur in iure contineri moraliter in voluntate patris: adeout possit pro eis testari, non tantum in bonis, quæ ab ipso testatore accipiunt, sed in omnibus, quæ aliundè acquisiuerint l. sed si plures §. ad substitutos ff. de vulgari, & pupill. substit.

Not. 3. Quòd ad hoc vt peccatum originale dicatur, & sit hominibus voluntarium voluntate capitis, non requiritur, quod ipsi voluntatem, & consensum suum quoad con-

conseruationem, vel amissionem iustitiæ originalis in Adamum transtulerint, sed sufficit, quod Deus constituens Adamum caput nostrum naturale, & morale, posuerit in illo omnium nostrum voluntates: potuit namque Deus, tamquam supremus Dominus iure suo absque nostro consensu statuere, vt voluntas Adæ esset voluntas nostra quoad conseruationem, & amissionem iustitiæ originalis; non quidem quatenus personæ singulares sumus, sed quatenus sumus partes, & membra totius multitudinis hominum, de quo est exemplum in humanis, & ciuilibus respectu Principis in ordine ad communitatem sibi subditam, & signanter in legibus paulò superiùs adductis.

Not. 3. quod inter hæreticos, qui negauerunt existentiam peccati originalis, primus fuit Rufinus, à quo, vt refert Frassen, Pelagius hunc pessimum errorem accepit, & multiplicauit in plures, qui reduci possunt ad quinquè propositiones 1. affirmabat, Adamum sibi soli nocuisse. 2. Infantes nullam in sua propagine contrahere culpam, & pœnam ex parte Adæ. 3. Baptismum non esse necessarium hominibus ad remissionem peccatorum, sed solum vt ipsi Christo renascantur, & ius obtineant ad regnum æternum. 4. morbos, mortem, & cæteras naturæ humanæ calamitates non esse peccati orginalis pœnas. 5. concupiscentiam, nec esse malum pœnæ, nec culpæ, sed ipsius naturæ bonum, ac conueniens; immò necessarium ad humani generis propagationem incentiuum: huiusmodi hæreticales errores iam pridiè sepultos, renouarunt Anabatistæ, Armeni, Albigenses, quibus adhæsit etiam Petrus Abaillardus, vt refert D. Bernardus epist. 108.

Concl. catholica. Quilibet homo secundum legem communem propagatus, ab Adamo contrahit peccatum originale. Pluribus S. Script. locis nituntur Theologi hanc veritatem catholicam statuere, sed vt prolixitatem vitemus, afferam illud Apost. ad Roman. 5. quod est præcipuum, & quo frequenter vtitur Aug. contrà Pelagianos. *Per vnam hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt*; ex quibus verbis sic potest formari argumentum. Per vnum hominem intrauit in hunc mundum quoddam peccatum, quod omnes homines fecit peccatores,

res, & morti subiectos, sed huiusmodi peccatum non potest esse actuale, cum etiam infantes sint morti obnoxij, & sæpè moriuntur, antequam aliquid boni, vel mali propria voluntate faciant, ergo est originale. Resp. Pelagiani, vt hoc apertum testimonium euaderent, illud interprætando de transitu peccati Adæ in posteros, non per originem, sed per imitationem. Verùm D. Aug. huic euasioni tripliciter aditum peræcludebat in lib. de peccat. meritis, & remiss. 1. quidem, quia sic potius in Diabolo nos peccasse diceremur; priùs enim Dæmon peccauit, & peccandi exemplum nobis præbuit; 2. quia pueri in conceptione, antequam Adamum imitari possint, in iniquitatibus sordere dicuntur; 3. quia Apost. docet ita peccatum Adæ traduci ad posteros, sicut iustitiam Christi ad regeneratos. At hæc non per solam imitationem, sed per veram in illo regenerationem redundat in homines: ergo peccatum Adę non transit in posteros per solam illius imitationem, sed per originem, & propagationem, vt definiuit Trid.

Prob. etiam ratione theologica. Christus est Redemptor omnium hominum, ac proindè non solum adultorum, sed etiam paruulorum iuxta illud Paul. 2. ad Corinth. 5. *Christus pro omnibus mortuus est*; Sed redemptio præsupponit seruitutem peccati: ergo &c. 2. ratio desumitur ex necessitate Baptismi, tam quoad adultos, quam quoad paruulos: 3. ratio ex necessitate moriendi, & ex innumeris calamitatibus, & miserijs, quas vnusquisque nostrum etiam ab incunabulis experitur. Vndè Eccles. cap. 40. *Graue iugum super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ.*

Prob. denique ex Scot. in 2. d. 32. sic. Quicunque ab Adamo propagatus caret iustitia originali, quam à Deo acceperat posteris traducendam, & peccato originali maculatur; sed sic se habent omnes Adæ posteri, nisi speciali priuilegio præueniantur: ergo quicunque ab Adamo propagatur, contrahit peccatum originale.

Arg. 1. cont. conc. à Pelagianis, asserentibus illud Chrysost. homil. ad Neophitos. *Infantulos, baptizamus quàmuis*, non sint coinquinati peccato, vt eis addatur sanctitas, adoptio, & fraternitas Christi; ergo &c. Resp. D. Aug. hoc intelligendum esse de peccato proprio, & personali actu

con-

contracto, non verò de alieno, & originali, & addit, D. Chrisost. non fuisse solicitum exprimendi hunc sensum, quia disputans in Ecclesia catholica non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis (nempè Pelagianis) non dum lites antecedentibus, securius loquebatur.

Arg. 2. Pelagius, & Iulianus apud Aug. lib. 2. de nuptjs, & lib. 4. contra Iulian. lib. 3. cap. 24. Non peccat iste qui nascitur, non peccat iste, qui genuit, non peccat ille, qui condidit, per quas igitur rimas inter tot præsidia peccati fingis ingressum? Resp. D. Aug. *Quid quæris latentem rimam, cum habeat apertissimam ianuam? Per vnum hominem, ait Apost. per vnius delictum, ait Apost. per vnius inobedientiam, ait Apost. quid quæris amplius, quid quæris apertius? quid quæris inculcatius?*

Arg. 3. Omne peccatum est voluntarium, adeout non sit peccatum, nisi sit voluntarium ex D. Aug. sed peccatum originale in infantibus non est voluntarium: ergo &c. Patet mai. min. prob. Voluntarium est illud, quod est à principio intrinseco cum cognitione: sed peccatum originale in paruulis non est à principio intrinseco, sed ab extrinseco: ergo non est voluntarium.

Resp. conc. mai. & neg. min. ad probat. Resp. dist. voluntarium physicè conc. voluntarium moraliter, nego: non enim est necesse, quod hoc secundo modo procedat à principio intrinseco proprio, & ex propria cognitione, sed satis est, vt procedat à principio intrinseco Adæ, quod est aliqualiter intrinsecum nobis, quatenus Adam est principium naturæ humanæ, & caput nostrum, non solum naturale, sed etiam morale.

Arg 4. ex Apost. ad Roman. 5. vbi sic, *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ*: sed hoc intelligitur de peccato originali; ergo &c. Resp. D. Aug. lib. 1. de peccat. meritis: sensus Apostoli est, quod mors regnauerit etiam ante legem scriptam, seù tempore Moysis in illos etiam, qui non peccauerunt actualiter, vt peccauit Adam.

Arg. 5. Ezechiel. cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris*: ergo filij Adæ portare non debent iniquitatem patris Adæ. Resp. Ezechiel. intelligendum est de peccatis paren-

ren-

rentum personalibus, quæ in filios non transfunduntur; nec filij puniuntur ob peccata parentum, nisi peccando eorum praua exempla sequantur, cum parentes non gerant personam capitis totius generis humani, vti Adã &c.

QVÆSTIO III.

In quo consistat ratio formalis peccati originalis.

NOt. 1. quod est ita difficile comprehendere peccati originalis naturam, vt ipse D. Aug. in lib. de moribus Eccles. c. 22. fateatur, se non posse eius naturam perfectè penetrare. *Nihil enim (ait) hoc peccato antiquius, ad prædicandum notius, nihil est ad penetrandum secretius.* Ex quo fit, vt Doctores in varias sententias abeant; nam aliqui hæretici, vt Lutherani, & Caluinistæ asseruerunt peccatum originale consistere in fomite, ac concupiscentia, contra quos stat definitio Trident. dicentis sess. 6. *Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem; hac S. Synodus fatetur, & sentit.* Matth. autem Illyricus auctor hæreticorum, qui dicuntur Centuriani, somniauit peccatum originale esse ipsam substantiam Animæ peccato Adæ substantialiter vitiatam, & ex imaginæ Dei, quã in creatione acceperat, in imaginem Diaboli transformatam, contra quam hęresim pugnant SS. PP. & signãter D. Aug. super Psal. 62. *Iniquitas ipsa non est substantia; non enim iniquitas est natura, quam formauit Deus.* Et Origenes putauit esse aliquam maculam contractam ab Anima, antequam infundatur corpori; quod est error in fide, quem SS PP. ac Theologi semper impugnarunt, & reijcierunt. Alij, vt Arimin. Gabriel, Gulielmus &c. esse putarunt quandam qualitatem morbidam ex corruptione appetitus carnalis in ipsam Animam deriuatam: at hæc opinio videtur continere absurda; nam sequeretur Deum esse auctorem peccati, quia esset auctor talis morbidæ qualitatis simul cum natura. Tum quia nequit sufficienter explicari quid sit ista morbida qualitas; non enim est corporalis, quia sic non posset maculare substantiam spiritualem; neque spiritualis, quia appetitus carnalis non potest producere aliquid spirituale: ergo &c. Quæ autem sit mens Scoti de peccato originali, variant Scotistæ. Qui-

dam contendunt Scot. sensisse, peccati originalis rationem formalem consistere in priuatione, seu carentia iustitiæ originalis debitæ, quatenus iustitia originalis complectitur etiam gratiam sanctificantem, & ita videtur eum intellexisse Mastrius in 2. disp 4. q. 5 de peccato origin. vbi miratur, & quasi reprehendit cæteros Scotistas aliter de mente Scoti sentientes. Fundamentum præcipuum Mastrij est definitio ipsiusmet peccati originalis, tradita à Scoto, nempe quod sit carentia iustitiæ originalis, non qualitercunque, sed debitæ. Vnde dupliciter potest accipi iustitia debita, subdit Scot. vno modo, quia in se accepta, & actione accipientis amissa; alio modo, quia accepta in alio, & actione alterius amissa: primo modo peccatum actuale est iniustitia, & carentia iustitiæ, secundo modo originale; immò vbicunque loquitur de peccato originali, semper ipsum explicat nomine priuationis iustitiæ. Verùm aliter sentiendum est de mente Scoti, vt infra cum Macedo, Herincx, Frassen, Herrera, & alijs Scotistis ostendetur.

Not. 2. quod Thomistæ cum S. Thoma 1. p. q. 95. art. 1. & signanter Gonet. t. 3. compend theol. tract. 5. de peccatis §. 5. dicunt consistere in priuatione iustitiæ originalis quantum ad primum eius effectum, idest quatenus per eam voluntas humana subdebatur Deo, vt est voluntaria nobis in voluntate Adæ. Etsi dicatur, quod priuatio iustitiæ originalis est pęna peccati originalis, vt expresè docet etiam D. Thom. art. 5. vbi sic ait. Subtractio originalis iustitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ: ergo in illa nequit consistere culpæ originalis essentia. Resp. Gonet. loc. cit. priuationem iustitiæ originalis quantum ad primarium eius effectum, qui est subijcere mentem Deo, vt vltimo fini, non esse pœnam peccati originalis, sed potiùs rationem formalem constitutiuam illius; quantum verò ad effectus secundarios, qui sunt subiectio Corporis ad Animam, & appetitus inferioris ad superiorem, esse pœnam; hæc ille.

Not. 3. quod materiale peccati originalis est concupiscentia habitualis, sicut enim actualis peccati materiale est actualis conuersio ad bonū commutabile, & formale auersio à bono incommutabili, ita & peccati habitualis (quale

est peccatum originale) formale est auersio habitualis à Deo, & materiale est conuersio habitualis ad bonum creatum, ac proindè est ipsamet concupiscentia habitualis, idest intellectus, voluntatis, & appetitus sensitiui proxima dispositio ad actus repugantes rectæ rationi.

I. Concl. Peccatum originale secundum suam rationem formalem nequit consistere in priuatione iustitiæ originalis quomodocunque acceptæ. Est contra communem opinionem Thomistarum. Prob. 1. Peccatum originale est culpa verè, & propriè dicta, sed priuatio iustitiæ originalis quomodocunque acceptæ non potest dici culpa; ergo nec peccatum originale. Mai. constat ex Conc. floren. in decr. Eugenij, vbi agens de Baptismo, ait. *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis.* Min. prob. ex D. Thom. q. 21. art. 2. vbi docet, quod culpa est actus malus scienter, & liberè admissus, ergo &c.

Prob. 2. Priuatio iustitiæ originalis est pœna inflicta hominibus ob peccatum originale; ergo non potest esse ipsum peccatum originale; ac proindè nequit peccatum originale consistere in tali priuatione. Nec valet respondere cum Gonet. vbi supra, cum hac distinctione de priuatione iustitiæ quoad primum effectum, & quoad secundum, non valet, inquam; eò quia nulla culpa est efficienter à Deo, sed priuatio iustitiæ originalis, seu gratiæ, qua ipsi Deo subijcebatur Anima (hic enim est primus effectus) est à Deo, qui, sicut solus poterat conferre illud donum, ita etiam auferre potest, & abstulit ob demeritum; ac proinde in pœnam peccati facta est talis subtractio: ergo etiam quoad primum effectum iustitia originalis est pœna peccati originalis, & non peccatum.

II. Concl. Peccatum originale filiorum Adæ est ipsummet *Adæ* peccatum, manens in ipsis moraliter, quatenus omnes in eo, tanquam in capite peccauerunt. Hæc videtur Frassen, Macedo, & alijs pluribus Scotistis vera, & germana sententia Scoti in 2. d. 33. q. vnic. vbi cum dixisset, vt aduertit Scholiastes, originale peccatum esse priuationem iustitiæ originalis, subdit: non est tamen priuatio vllius doni habitualis, sed rectitudinis debitæ in esse per modum termini ex actu secundo in voluntate causata, & generatione transfusa; vndè non formaliter,

sed

ſed cauſaliter priuat habitibus; hanc doctoris ſententiam amplectuntur Pichius controu. 1. Chatarinus in ſum. doctri. de pecc. origin. Salmeron in cap. 5. ad Rom. diſp. 45. vbi addit hanc ſententiam debere eſſe omnium Catholicorum, nam ita apertè loquutus eſt D. Paul. vt qui hunc ſenſum ex eius verbis non eliciunt, planè delirare videantur; eamque tuentur plures recentiores, quos refert, & ſequitur Martinonus diſp. 20. ſect. 5. Prob. inſuper, quod hæc ſit germana mens Scoti vt videre eſt ipſum Doct. in 2. d. 29. q. vn. §. poteſt dici afferens diſcrimen inter eum, qui creatus in puris naturalibus, careret gratia; & eum, qui conditus in gratia peccaret, & careret gratia, ex eo quod ille non eſſet debitor iuſtitiæ, hic autem eſſet, ait: Etſi neutri conferatur viſio Dei, vni tantum eſt carentia viſionis pœna, alij non eſt. Reus enim priuatur ea propter reatum peccati, alter autem priuatur ex conditione naturæ. Ex quibus verbis patet priuationem iuſtitiæ originalis eſſe coniunctam cum reatu culpæ, quam transfudit Adam, nec enim in paruulis alius reatus eſſe poteſt, & §. quantum ad 3. ſic diſcurrit. Iſta perſona, quia naturaliter eſt filius Adæ, ideò debitrix eſt iuſtitiæ originalis, datæ à Deo ipſi Adæ pro omnibus filijs, & caret ea, ergo habet peccatum originale. Quarè Mayron. Scoti diſcipulus in 2. d. 31. q. vn. ſic ait ad mentem Scoti. Peccatum originale eſt formaliter reatus obligationis ad pœnam damni proueniens per propagationem à primo Parente, in quo fuit peccatum actuale: ergo peccatum originale ſecundum Scotum non conſiſtit in ſola priuatione, & carentia iuſtitiæ originalis, ſed in aliquo poſitiuo interuenienti in homine, nempè morale, & aliquo modo voluntario, ratione cuius contraxit debitum, quod tenetur ſoluere. Itaque conſiſtit, & in priuatione iuſtitiæ originalis, & in debito, ſeu reatu contracto in primo Parente, in quo omnes eramus, tanquam in capite, ac proinde in eo omnes demeruimus illam iuſtitiam; hactenùs pro mente Scoti; qui plura deſiderat, videat interpretes, & ſignanter Macedo, qui latè oſtendit mentem Scoti in t. 2.

Prob. igitur conc. Peccatum videlicet orignale conſiſtere in reatu transfuſo in filios Adæ, velut debito hæreditario, qui quidem reatus nos conſtituit peccatores ad mo-

dum formæ habitualis permanentis in nobis: prob. inquam, & 1. auct. Trid. dogmatizantis sess. 5. in Decr. de pecc. origin. vbi sic tradit. *Adamum inquinatum per inobedientiæ peccatum, & peccatum in nos transfudisse*; Et mox: *peccatum, quod origine vnum est, & propagatione transfusum omnibus, idest vnicuique proprium* Postea damnat eos, qui dicunt paruulos nihil ex Adam trahere originalis peccati, & denique docet, reatum originalis peccati remitti in Baptismate. Quæ verba Conc. immò totum decretum nec verbum quidem facit de priuatione iustitiæ, & gratiæ, sed omnia sonant inquinamentum, transgressionem, offensam, præuaricationem, peccatum, reatum; & insuper obseruanda sunt verba, quibus damnat negantem, tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, ergo Trid. dogmatizat reperiri in posteris. Adæ verum peccatum, sed non actuale, ergo habituale originale.

Quæres, quomodo intelligenda sint illa verba Concilij, nempè vnicuique proprium. Resp. esse in hoc sensu intelligenda, scilicet, quod sit cuilibet proprium, quatenùs posteri simul cum natura, quam propagatione accipiunt, contrahunt illud moraliter, quantum ad omnes effectus, qui tribuuntur ipsis, non minus quàm si ipsimet actualiter cum Adamo peccassent, & quod sit cuilibet proprium, quatenus quemlibet constituit peccatorem independenter ab alio. Prob. amplius auctorit. D. Anselmi lib. 1. de Concept. Virg. cap. 27. *Per peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi factam per inobedientiam Adæ iustitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes sumus filij iræ*. Vbi Scotus. Ista ratio peccati originalis prob. ex hoc, quod peccatum formaliter est iniustitia, igitur & tale peccatum talis iniustitia: iniustitia autem non est nisi carentia iustitiæ debitæ: ergo peccatum originale est nuditas iustitiæ originalis cum respectu, & connexione cum peccato Adæ, in quo erat reatus contractus à posteris, & sic semper Scot. loquitur, idest cum relatione, & respectu ad Adæ peccatum, quod in posteros fuit transfusum.

Prob. postremò ratione. Illud est verum peccatum quod homines facit filios iræ, & vindictæ, sed hoc non fit per solam carentiam gratiæ; ergo per reatum permanētem moraliter

liter in posteris: tum quia illa carentia est pęna; ergo debet ei correspondere culpa, ergo in posteris est propriè culpa.

Arg. 1. à Thomist. cont. 1. conc. auct. D. Ansel. loc. cit. dicentis. *Per peccatum originale aliud intelligere nequeo, nisi iustitiæ debitæ nuditatem.* D. Dionys. lib. de ecclesiast. Hierarch. c 2. appellantis *Peccatum originale statum dissimilitudinis hominis cum Deo*, nempè supernaturalis consistentis in carentia gratiæ; & deniquè Concil. Trid. sess. 5. can. 2. vbi dicit, *Peccatum originale esse mortem Animæ*, sed hæc omnia sonant priuationem gratiæ; ergo priuatio gratiæ est ratio formalis peccati originalis. Resp. Sanctos Patres, & Concil. Trid. loqui causaliter, & non formaliter, ideò mors, & nuditas non sunt formaliter peccatum originale, sed causare priuationem gratiæ, quæ est mors Animæ.

Resp. 2. Dionys. intelligendum esse de dissimilitudine actuali, & habituali; nam homo tunc est dissimilis actualiter à Deo, quandò malè operatur, habitualiter verò, vel per amissionem habituum supernaturalium, vel per dissimilitudinem habitualis peccati, qualis est in paruulis ob peccatum originale in eos transfusum. Similiter D. Ansel. nomine iustitiæ debitæ intelligit rectitudinem actualem subiectionis mentis ad Deum, seù conformitatis ad legem diuinam, quam estò paruuli habere nequeant physicè, moraliter tamen in Adamo habuerunt, ac proindè habitualiter, quod est idem dicere ac peccatum originale.

Arg. 2. peccatum originale formaliter, & essentialiter consistit in eo, quod primò tollitur per Baptismum; sed per Baptismum per se primò tollitur priuatio iustitiæ originalis: ergo peccatum originale consistit in carentia iustitiæ. Resp. dist. mai. quod primò tollitur per Baptismum formaliter, con. causaliter, & consequenter, nego; priuatio namque iustitiæ tollitur consequenter.

Arg. cont. 2. conc. Si peccatum originale est ipsum peccatum Adæ, sequitur posteros mereri eamdem pęnam; sed conf. est falsum, quia Adam præter pœnam damni, meruit pęnam sensus, quam pœnam non incurrunt infantes decedentes in peccato originali; ergo &c.

Resp. neg. sequelam mai. & ratio est, quia Adam physicè, & propria voluntate peccauit; eius tamen posteri solum moraliter, & voluntate aliena. Quarè maius est vo-

luntarium peccatum Adæ physicum, quam morale, ac proindè dignitas ad pœnam est maior.

QVÆSTIO IV.

Qualiter, & in quos transfusum fuerit peccatum originale.

NOt. Quòd variæ sunt Doctorum sententiæ circa præsentem quæstionem. Etenim quidam, vt Magister sentent. in 2. d. 31. Greg. Arimin. Gabriel, & alij ibidem docent peccatum originale traduci per qualitatem morbidam humano semini inexistentem, aut infectionem realem illi superadditam instar seminis leprosi, cui inest quędam corruptio, quæ est proprium lepræ; at hæc opinio reijcitur communiter à Theologis, eò quia caro nequit inфici vlla qualitate, quæ sit peccatum, cum non sit illius capax, ac proindè, estò inficeret Animam, non posset tamen inficere ipsam tali infectione, quæ esset peccatum: ergo hæc opinio nequit subsistere: tum quia corporeum nequit agere in spiritum, adeout physicè aliqua macula morali, cuiusmodi est peccatum, deturpetur. Alij cum Alens. p. 2. q. 105. memb. 4. putant Animam vitiari, non quod in carne hæreat peccatum propriè dictum, sed quod caro iustitia originali spoliata, concupiscat aduersus spiritum, Animamquè deorsum inclinet, ac proindè distortam, & obliquam efficiat. Cæterùm neque ista sententia ita intellecta subsistere potest. Si quis enim crearetur ex nihilo in puris naturalibus, haberet huiusmodi imperfectionem, quia subijceret motibus concupiscentiæ, quibus nunc agitamur: ergo talis concupiscentia nequit esse ratio, quarè peccatum originale traducatur in posteros.

I. Conc. Peccatum originale non alia ratione traducitur, nisi quia homo ex Adamo per seminalem propagationem via communi generatur; hoc tamen modo, quod Anima ipso instanti conceptionis, quo in corpus organizatum infunditur, & homo Adæ filius naturalis constituitur, contrahit consequenter peccatum originale; hæc est germana sententia Scoti in 2. d. 31. q. vn. vbi sic docet, Anima contrahit peccatum originale mediante carne, non ita

quod

quod caro, quasi per qualitatem quamdam causatam in ea causet istud peccatum originale, sed ex hoc quod caro concupiscibiliter seminatur, ac ex ipsa formatur corpus organicum, cui infunditur Anima, constituens personam, quæ est filius Adæ, ideò debitrix iustitiæ originalis, datæ à Deo ipsi Adæ pro omnibus filijs, & caret ea: ergo habet peccatum originale; contrahitur igitur illud peccatum in carne, in quantum est naturalis ratio, & ex hoc debet habere iustitiam, qua per peccatum Adæ caret: fauet Trid. sess. 6. c. 3. vbi ait, *Sicut reuera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahunt*. Insuper probari potest conc. ex dictis suprà. Constat enim omnes posteros Adæ, ideò contrahere peccatum originale, quia omnes in eo, qui erat caput naturale generationis, & morale gratuitorum donorum peccauerunt: ergo ratione propagationis carnalis vnusquisque contrahit peccatum originale.

Dices. Sancti Patres vnanimi consensu videntur tradere concupiscentiam carnalem Animam inficere peccato originali: ergo traducitur per illam in posteros Adæ.

Resp. SS. PP. solum velle, quod commixtio carnalis, quæ sine motu concupiscentiæ non fit, sit conditio sine qua paruuli non contrahunt peccatum originale, quia aliter non descenderent ab Adam naturali via generationis.

II. Conc. Omnes, & soli Adæ posteri, quia via naturali generationis ab eo descendunt inficiuntur peccato originali, nisi speciali Dei priuilegio ab ea lege communi eximantur; quemadmodum piè creditur factum in Deipara Immaculata; cuius solemnitatem vniuersa Ecclesia celebrat; & maximè Serafica nostra Religio, quæ non cessat promouere piam sententiam ad definitionem de fide, respectu cuius videtur esse in proxima dispositione, adeout sperare possimus, quòd citò, si Deo placuerit, Ecclesia ad maiorem Deigenitricis gloriam, ac fidelium deuotionem tantam rem sit actura. Hæc ex 1. concl. constat.



QVÆSTIO V.

Vtrum pec peccatum originale, non solùm natura humana fuerit spoliata gratuitis, sed etiam in naturalibus vulnerata.

NOt. 1. quod natura rationalis habet sibi congenitam, non solum capacitatem, sed etiam inclinationem ad bonum honestum, quod inter tria bona est principale. Hæc autem inclinatio duplex distingui solet, vna remota, seu radicalis, quæ est ipsius Animæ substantia; Alia proxima, quæ reperitur in potentijs, & facultatibus, ex quibus operationes oriuntur: potentiæ autem illæ sunt præcipuè intellectus, & voluntas; appetitus enim sensitiuus tantùm participat aliquid rationis ob intimam coniunctionem cum parte superiori rationali. Verùm inclinatio harum potentiarum est diminuta ob peccatum originale in ordine ad bonum honestum; ista autem diminutio potest intelligi dupliciter; primò intrinsecè, & ex parte subiecti, itaut aliquid naturalis entitatis sit diminutum: 2. ex parte termini solùm, quatenùs superuenientibus aliquibus impedimentis, potentia remouetur, & impeditur à consecutione termini idest boni, ad quod propendebat.

Not. 2. Quòd per iustitiam originalem omnes inferiores Animæ vires erant rationi subditæ, & ipsa ratio Deo. Vnde cum per peccatum ablata fuerit originalis iustitia, omnes vires Animæ remanserunt quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipsa destitutio, seu deordinatio dicitur naturæ vulneratio; sicut enim vulnus in corpore tollit ordinem, discontinuando carnem à carne; ita in Anima est vulnus ob carentiam ordinis, & conformitatis partis inferioris ad partem superiorem. Itaque in quantum ratio destituitur suo ordine ad vèrum, est vulnus ignorantiæ, sumptæ, non pro carentia scientiæ, sed pro difficultate ad scientiam acquirendam. In quantum voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ, quatenus importat pronitatem ad malum. In quantum irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis, quę notat debilitatem ad bene agendum. In quantum verò

vis

vis concupiſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad delectabile moderatum, eſt vulnus concupiſcentiæ, quæ ſignificat pronitatem ad concupiſcendum immoderatè id, quod eſt delectabili ſenſui: quæ quidem vulnera à peccato mortali actuali magis augentur, vt experimento comprobatur.

Concl. Natura humana per peccatum originale non ſolum eſt ſpoliata donis gratuitis, ſed etiam eſt in naturalibus læſa, & vulnerata: Eſt Scot. in 2. d. 35. q. 1. & omnium ferè Scotiſtarum. Prima pars patet ex hactenus dictis.

Prob. ergo ſecunda pars, de qua eſt controuerſia; quam plures namquè ſentiunt naturam non remanſiſſe vulneratam, ſed ſolummodò gratuitis ſpoliatam. Prob. inquam, ſecunda pars, & quidem primò auct. Conc. Trid. ſeſſ. 5. in Decreto de pecc. orig. vbi ſic habetur: ***Propter iſtud peccatum irruiſſe nos in poteſtatem Diaboli, totumquè hominem ſecundum corpus & Animam in deterius eſſe mutatum*** quę verba ponderans, & expendens noſter Macedo t. 2. collat. 8. diff. 2 ſect. 2. vbi plura congerit ad hanc partem probandam, docet, quòd duo ſunt animaduertenda; primum lapſum in poteſtatem Diaboli: ſecundum hominem in deterius mutatum eſſe; hoc ſecundum non rectè comparatur ad ſtatum innocentiæ, cum nihil mali in eo eſſet, ſed ad ſtatum puræ naturæ, in quo habet locum comparatio deterioris ſtatus naturæ lapſæ; Nec enim quadrare poteſt comparatiuus, vbi non eſt locus poſitiui, nam vbi non eſt locus mali, non poteſt eſſe locus deterioris. Quarè cum dicunt Concilia hominem mutatum eſſe in deterius per peccatum, non poteſt eſſe ſenſus, mutatum fuiſſe de ſtatu innocentiæ in ſtatum peccati; quia in ſtatu innocentiæ nullum erat malum, vel fuit. Itaque comparatio fieri debuit inter puræ naturæ ſtatum, & naturæ lapſæ.

Prob. etiam auct. S. Scrip. nempè Pſal. 37. ***Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum*** & Pſal. 40. ***Sana Animam meam quià peccaui tibi***; Super quæ verba ait D. Aug. ***Nihil ſanari ſi nihil ſit infirmum nil vulneratum nil debilitatum***. Præterea Patres confirmant hanc veritatem, comparando peccatorem homini illi, qui deſcendens ab Ieruſalem in Iericho incidit in latrones, qui eum ſpoliauerunt, & plagis impoſitis reliquerunt ſemiuiuum; Quarè oppoſitum huius redolet Pela-

gia-

gianiſmum ex Conc. Arauſ. can. 10. vbi definiuit: *Liberum arbitrium non fuiſſe per preuaricationem Adæ extinctum, ſed attenuatum*. Prob. ratione. Peccatum non eſt ſolum aduerſum gratiæ, & ſtatui ſupernaturali, ſed etiam naturali lumini, & rationi, quo tollitur ordo vt harmonia naturaliter inſtituta rationis, & boni; ergo hac ſublata per peccatum originale natura læditur, & vulneratur; ant. eſt D. Aug. lib. 3. de libero arbit. cap. 13. & D. Thomæ p 2. q. 71. art. 2. Prob. 2. Si omnes miſeriæ, tam Animæ, quam corporis, quæ nobis inſunt per peccatum, eſſent homini naturales, certè miſſerrimus futurus eſſet ſtatus ille puræ naturæ, qui potiùs naturæ impuræ, & vitiatæ dicendus foret; ego cum ſtatus ſint diuerſi, diuerſa etiam fuiſſet conditio naturæ puræ, ac proindè melior.

Conf. Eò quia ſi ſtatus puræ naturæ non foret melioris conditionis, ſequeretur, quod nihil intereſſet inter naturam puram, quæ fuiſſet, vt ità dicam ſui iuris, & non ſub poteſtate Diaboli, & peccati, & natura ſub poteſtate Diaboli, & peccati: ſed hoc eſt manifeſtum abſurdum. Non enim eſt credibile, quod Deus creaſſet naturam, tam miſeram, & vitiatam, & pronam ad malum, & auerſam à bono, ſicuti modò naſcitur, ac proindè, ne hoc manifeſtum abſurdum admittatur, dicendum eſt, naturam humanam per peccatum non ſolùm ſpoliatam donis gratuitis, ſed etiam in naturalibus vulneratam manſiſſe; & ita præter Doct. & SS. PP. citatos, tenent quamplures alij.

Arg. cont. 2. p. concl. Culpa eſt in genere morali, non phyſico, & maximè peccatum originale, quod eſt carentia iuſtitiæ originalis; ergo nihil omninò tollere poteſt de naturalibus, & phyſicis principijs, & proprietatibus naturæ, vt etiam apparet in Angelis, quorum naturalia remanſerunt integra etiam poſt peccatum, ergo per peccatum natura non læditur. Reſp. 1. iuxta diſtinctionem aſſignatam in 2. notabili, ideſt intrinſecè, conc. extrinſicè, neg. Reſp. 2. ex Scot. in 2. d. 35. q. 1. quod, qui vulneratur, nihil ſui amittit, ſed tantùm continuitas ſoluitur, & per hoc redditur minus habilis ad operationes ſuas; Natura igitur integra manet, vt dicit D. Dyon. lib. de diu. nominibus, vulnerari tamen dicitur, quando fit inhabilis ad actum rectum, qualis facta eſt per peccatum, per quod ſo-

soluta est rationis, & sensualitatis continuitas, ex quo fit, vt ratio tendat in vnum, & sensualitas in aliud.

Arg. 2. Inordinatio, & pugna inter se partium Animæ, & rebellio inferiorum aduersus superiores est naturalis, orta ex ipsa natura potentiarum, & obiectorum, ergo remota iustitia originali, naturaliter redibat, & manebat etiam in statu puræ naturæ, ergo per peccatum non est vulnerata. Confirm. Quia concupiscentia, quę libido dicitur, & est capitalis pœna, naturalis est homini, qui cum carne, & ex appetitu pulchritudinis, & generandi oriatur, naturaliter mouetur ad concupiscendum; sic pariter de concupiscentia spirituali philosophandum est; accenditur enim ira, inuidia, superbia ex amore proprio, quo nihil magis naturale homini; ergo &c.

Resp. dist. ant. diuersitas ex obiecto, & commotio ex potentijs esset naturalis in statu puræ naturæ, conc. ant. pugna, & rebellio, & tanta inordinatio, quantam reliquit in nobis peccatum originale, neg. ant. & sic ad confirmationem dicitur, quod radix concupiscentiæ, libidinis, quæ est ipsa diuersitas, & dissonantia appetituum, vna, & eadem esset in vtroque statu, sed formalis pugna, & inordinatio fuisset multò minor in statu puræ naturæ propter inclinationem ad bonum magis expeditam, & rationem minus obscuratam, & naturalem subordinationem appetitus ad rationem.

Arg. 3. Mors est pœna peccati originalis, vt patet ex S. Scrip. sed mors est æquè naturalis homini in statu naturæ puræ, quia est à principijs intrinsicis naturæ; ergo &c.

Resp. conc. ant. Siquidem mors est naturalis hominis ab intrinseco; negamus tamen eiusdem fore doloris, & pœnæ, ac modo est: fuisset enim in illo statu naturæ puræ vita felicior, mors tranquillior; idquè ex eo patet, quod natura humana nunc est sub tyrannide Diaboli nos torquentis in pœnam peccati, à quo in sua origine natura in statu puro libera extitisset. Cæterum solent Aduersarij nobis opponere plures SS. PP. quibus maiorem numerum opponere possumus; vt videre est apud Doctores, qui de hac quæstione diffusè disputant explicando sequitur cæteras pœnas, quæ nobis ex peccato originali insunt.

Vtrum paruuli decedentes in peccato originali puniantur pœnis inferni.

NOt. Quòd licet omnes Doctores catholici conueniant, paruulos cum solo originali peccato ex hac vita migrantes, damnandos esse pœna damni, & perpetua carentia Diuinæ visionis, discordant tamen, an paruuli puniantur aliqua pœna sensus, & vermis, idest pœnæ interioris tristitiæ, & afflictionis. Hinc prima sententia asserit, paruulos puniri vtraque pœna, nempè damni, & sensus, ideſt pœna ignis, & vermis æterni, mitius tamen, quam adultos damnatos. Ita Greg. Arim. in 2. d. 3. & noster Florentinus Conrius Archiep. Thuamensis in tract. edito ad calcem operis Iansenij de statu paruulorum &c. Secunda opinatur, nulla pœna ignis, & sensus fore puniendos; pœnam tamen vermis, seù tristitiæ passuros de amissione beatitudinis œternæ. Ita Abulens. super cap. 21. Matt. Bellarm. lib. de statu peccati cap. 6. & alij. Tertia affirmat, paruulos sic migrantes priuari quidem œterna Dei visione, & fruitione, habituros tamen post diem iudicij quamdam beatitudinem temporalem; Terram namquè veluti Paradisum terrestrem habitabunt pleni sapientia, & virtutibus moralibus instructi; nec non etiam Angelorum consortio, & apparitionibus recreandi: Ita Cathar. lib. de statu par. Albert. Pich. controuers. de peccato originali, quam sententiam probabilem putat Salmeron in cap. 5. ad Rom. At noster Macedo eam censurat, eò quòd faueat Pelagianis. Quarta sententia denique docet, paruulos in peccato originali decedentes carere visione beatifica, & omni naturali beatitudine, non tamen cruciari vlla pœna sensus, aut vermis. Ita Scot. cum Magist. sent. in 2. d. 33. D. Thomas ibidem q. 1. art. 1. & 2. D. Bonau. ibidem art. 2. q. 1. & Scotist. Recent. sit ergo.

Concl. Iuxta mentem D. Bonau. & Scoti. Paruuli in peccato originali decedentes nullam patiuntur pœnam sensus, nec vermis, seù conscientiæ remorsus. Prob. ex D. Bonau. qui loc. cit. sic docet. Alia positio mitior, quę magis concordat pietati, fidei, & iudicio rationis, quod

quia

quia paruuli decedentes cum originali carent iustitia, & Spiritus S. gratia, quæ est pignus hæreditatis æternæ, priuantur in æternum Dei visione; quia verò in carne fuit fęditas, ideò ponuntur in loco vili, vt potè infernali (supple in Lymbo) sed quia non habuerunt in se actualem delectationem peccati, nec in spiritu, nec in carne, ideò non sentient pœnam ignis accerbitatem. Hæc Seraph. Doctor. Prob. 2. auct. D. Aug. dicentis in lib. de baptismo paruulorum, quod pœna illorum paruulorum sine baptismo decedentium est mitissima. Item auct. D. Ansel. &c.

Prob. ratione 2. pars. Nam secundum Aug. de Ciuit. Dei. Tristitia est de his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, sed paruuli non inuitè, nec inuoluntariè sustinent statum, alioquin murmurarent contra diuinam dispositionem; ac proinde haberent inordinatam voluntatem, quod videtur absurdum; sententia namque diuina dispositum est, quod vbicunque ceciderit lignum, ibi erit, vt dicitur Ecclef. cap. 15.

Præterea. Si tristarentur ob carentiam beatitudinis, cum non habeant spem, eam assequendi (est enim illis impossibilis) haberent pœnam grauissimam inter pœnas damnatorum idest tristitiam, & desperationem; quod non videtur admittendum.

Arg. cont. 2. part. conc. D. Fulgent. de fide ad Pet. c. 27. à Scoto relatus sic docet, firmissime tene; & nullatenus dubites, eos, qui sine baptismi sacramento transeunt ex hac vita, æterni ignis supplicio puniendos; ita & D. Aug.

Resp. D. Bonau. Quòd Aug. loquitur excessiuè ad destruendam hæresim Pelagianorum, qui dicebant, paruulos illos nullam habere culpam, & ita nullam pœnam. Quia sicut secundum Arist. lib. 2. Eth. Via deueniendi ad medium, est aliqualiter vltra medium procedere versus extremum; & dat exemplum de virga curua dirigenda: Sic frequenter SS. Patres disputando contra hæreses excessiuè locuti sunt, deuiantes ad illud extrèmum, vt reducerent hæreticos ad medium; & ita multum ponderandum est contra quos hæreticos Sancti sint locuti. Sic idem Aug. loquens contra Arium videtur quasi declinare ad Sabellium, & è contra.

Arg. 3. Paruuli habebunt corpora passibilia; ergo pati

poterunt ab igne, vel alio actiuo; ac proindè pati poterunt etiam pœna interiori, idest famis, & sitis.

Resp. neg.ant. & conf. Quia sicut corpora damnatorum ab igne patiuntur, & non dissoluentur ita corpora paruulorum ex diuina dispositione erunt impassibilia; adeout nec intus, nec extra patiantur, estò id non habeant ex dote impassibilitatis.

Arg 3. In paruulis fomes erit non extinctus; ergo poterunt habere concupiscentias inordinatas, & appetere delectabilia, propter quorum subtractionem poterunt tristari, ac proinde puniri pœna interiori. Resp. neg. ant. Quia fomes, sicut in eis nullum motum inordinatum suscitauit in vita ista, ita nec ibi &c.

Arg.4. Paruuli tunc habebunt vsum rationis, ac proinde agnoscere poterunt naturam suam ordinatam ad vitam æternam, ergo ex carentia illius poterunt tristari.

Resp. dist. 2. p. ant. naturam suam esse ordinatam ad beatitudinem in vniuersali, conc. in particulari; neg.ant. ratio, quia cognitio beatitudinis in particulari non est homini possibilis, nisi supernaturaliter eleuetur. Itaque, vel non dabitur eis talis cognitio, ne sit illis ad tristitiam, quam non meruerunt habere; sicut meruit paganus, cui cedit cognitio beatitudinis in particulari ad pœnam. Vel si paruulis detur talis cognitio; non ob id tristabuntur, quia contenti erunt de suo statu, scientes Deum de se ipsis ita disposuisse, neque se suo actu illam beatitudinem demeruisse.

Arg. 5. existens in puris naturalibus haberet idem damnum; ergo paruuli cum peccato originali debent habere aliquam aliam pœnam; alioquin culpa remaneret impunita. Resp. neg. ant. Eò quia desiderium naturale non causat tristitiam: nisi sit electiuum, sed hoc non videtur, inquit Scot. ponere per se istum magis punitum, quàm illum. Ideò dici potest, quod alter punitur, & alter non. Alter siquidem est debitor iustitiæ, & alter non; & ideò alter priuatur visione Dei, quia damnatus, alter verò non. Tamen de facto nunquam erit aliquis in puris naturalibus, quia Deus naturam rationalem semper perducit ad finem, propter quem illam fecit; si non fuerit ex parte ipsius creaturæ impedimentum, vel defectus.

QVÆSTIO VII.

Vtrum sit possibilis status naturæ puræ.

NOt. 1. quod duo dicit natura pura, nempe naturam, & eius puritatem. Natura siquidem includit essentiam, & quæ naturaliter ei debentur: puritas verò excludit omnia indebita, seu ab essentia connaturaliter non postulata; quæ duplicis generis esse possunt; quædam enim perficiunt hominem in ordine ad finem sibi connaturalem, & operationes ordinis naturalis, vt donum integritatis naturalis, de qua supra: alia in ordine ad finem supernaturalem, vt dona gratiæ, quæ hominem supernaturali obiecto vniunt.

Not. 2. quod, an status ille sit possibilis, non solum secundum Dei absolutam potentiam, sed etiam secundùm potentiam ordinariam, hoc est, quatenus operatur Deus iuxta eorum inclinationem, quamplures recentiores negant, statum naturæ puræ esse possibilem, & aiunt, contrariam sententiam Manicheismum redolere, atque esse vnum ex capitalibus erroribus Pelagij à D. August. impugnatis. Verùm huiusmodi statum esse possibilem de potentia Dei absoluta vix potest in dubium reuocari; cum Deus dona supernaturalia liberè largiatur creaturę intellectuali iuxta illud D. Aug. ***Erat Deus in Angelis condens, naturam, & largiens gratiam.*** Igitur est D. voluntatis Decretum, quod homo ad finem supernaturalem eleuetur. Quarè difficultas solum videtur esse de potentia ordinaria, & hoc sensu negatur à nonnullis Recentioribus cum Iansenio. His tamen non obstantibus sit.

Concl. Possibilis est status naturæ puræ, nedum de potentia Dei absoluta; sed etiam de potentia ordinaria. Hæc quoad vtramque partem est Scoti in 2. d. 28. q. vn. vbi ait. Potuit enim aliquis esse in puris naturalibus, tam sine gratia, quàm culpa; ergo hæc nullo modo sunt opposita immediatè, sed dari potest status medius, qualis est status puræ naturæ. Eandem sententiam docet D. Thom. cum omnibus ferè suis Discipulis; & signanter 1. 2. q. 113. art. 2. ad quæst. vbi sic ait. Licet homo antequàm peccet, potuerit esse sine gratia, & sine culpa, tamen post peccatum

non...

non potest esse sine culpa, & clariùs quæst. 4. de malo art. 1. ad 4. Prob. ratione. Deus vtendo potentia sua ordinaria solùm tenetur conferre creaturis, quæ sunt connaturaliter illis debita, & iuxta connaturalem illarum exigentiam, & inclinationem, sed dona gratiæ, & gloriæ nulli creaturæ intellectuali sunt connaturaliter debita; cum illa non respiciant potentiam eius naturalem, sed obedientialem tantum; ergo Deus potuit etiam de potentia ordinaria producere creaturam intellectualem sine illis donis supernaturalibus; ac proinde in statu naturæ puræ.

Confirmatur omnis creatura est naturaliter, & ex sua origine Dei seruus; quod in creatione, & creatoris dominio fundatur; sed seruus non est naturalis hæres Domini sui, vt habetur Gen. 21. ergo nulla creatura quantumcunque pura, & innocens in sua origine ex sui natura exigit dona gratiæ, & gloriæ. Tum quia homines etiam innocentes, & Angeli sunt Filij Dei tantum adoptiui; ergo non iure natiuitatis, sed assumptione gratuita vocantur ad beatitudinem, velut ad hæreditatem. Tum quia sequeretur, quod gratuita dona non essent gratuitò donata; si Deus non posset alio modo dispònere de creaturis intellectualibus, quod videtur manifestum absurdum.

Prob. denique ex difinitione Pontificum Pij V. Greg. XIII. & Vrbani VIII. damnantium varias propositiones Michaelis Baij; inter quas 22. erat ista. *Humana natura sublimatio, & exaltatio in consortium Deitatis debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis*: per consortium Diuinæ naturæ, vt aduertit Frassen, non aliud intelligit, quàm quod habetur per gratiam sanctificantem, vt colligitur ex alijs eius propositionibus; & clariùs eius mentem explicat propositio 79. in qua dicitur, *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine iustitia naturali*: Priùs autem dixerat Baius, naturalem iustitiam illam esse, in qua creatus est primus homo; ergo &c.

Arg. 1. cont. conc. Creatura rationalis creari nequit à Deo; nisi cum voluntate ordinata ad ipsum Deum amandum, & diligendum, sed talis amor non potest haberi sine gratia Dei; ergo &c. Resp. dist. mai. Amore naturali, vel supernaturali: conc. ad amandum Deum amore supernaturali nequit creari; neg. mai.

Arg.

Arg. 2. Implicat, vt homo in eo ſtatu creetur, in quo ſuam perfectam beatitudinem, quam naturaliter appetit, obtinere non poſſit, aliàs fruſtra eſſet talis appetitus; ſed homo in ſtatu naturæ puræ beatitudinem ſuam perfectam aſſequi non poſſet; cum illa conſiſtat in clara Dei viſione, ergo ſtatus naturæ puræ implicat. Reſp. diſt. mai. Implicat quoad finem naturalem, ſeu beatitudinem naturalem, conc. quoad beatitudinem ſupernaturalem, neg. huiuſmodi autem beatitudo naturalis ex communi ſententia Theologorum conſiſtit in perfecta, & ſuaui contemplatione Dei, vt Auctoris naturæ; quæ non eſſet intuitiua, ſed abſtractiua à creaturis emendicata, maximè à ſeparatis ſubſtantijs. Vnde talis contemplatio eſſet radix amoris naturalis erga Deum ſuper omnia inefficaciter tamen, ſeu imperfectè, cum quo poſſet conſiſtere vitium, ſeu peccatum philoſophicè acceptum; vt alibi indicatum eſt.

Cont. Viſio beatifica eſt naturaliter debita creaturæ rationali, cum ſit eius vltimus finis; ergo Deus non poteſt eam homini denegare abſque culpa, & peccato ipſius.

Reſp. ant. eſſe falſum, & aduerſari Sac. Scrip. & SS. PP. oppoſitum docentibus; quia vt dictum eſt etiam in diſp. de viſione beatifica, & beatitudine, non eſt homini connaturalis, nec debita iuxta illud Dauid. *Gratiam, & gloriam dabit &c.*

Arg. 3. Implicat naturæ rationali ſtatus ille, qui & peccatum excludat, & adiunctam habeat impotentiam acquirendi, rectitudinem, & virtutem exercendi: ſed ſtatus puræ naturæ excludit peccatum, vt ſupponitur; ergo ille ſtatus implicat. Reſp. diſt. mai. Implicat ſtatus ille naturæ rationali, qui excludit peccatum theologicum, neg. mai. peccatum philoſophicum, & exercitium virtutis in ordinem ad finem naturalem, qualem ſolum intendebant etiam Gentiles, conc. mai.

Arg. 4. Ille ſtatus non eſt conueniens, nec de potentia Dei ordinaria poſſibilis, in quo homo non poſſet diligere Deum ſuper omnia: ſed hoc non poſſet præſtare in ſtatu puræ naturæ, quia ad hoc indiget homo auxilio ſupernaturali; ergo talis ſtatus de potentia Dei ordinaria non eſt conueniens, ac proindè non poſſibilis.

Reſp. nonnulli neg. aſſumptum in maiori; nam poſſet

 ho-

homo in illo ſtatu diligere Deum ſuper omnia, vt auctorem naturæ cum ſpeciali auxilio ordinis naturalis, quod Deus illis concederet, quotieſcunque prçceptum dilectionis Dei vrgeret, ſic exigente D. prouidentiæ ſuauitate, quæ nunquam impoſſibilia præcipit. Verùm hæc reſponſio videtur confundere ſtatum naturæ puræ cum ſtatu naturæ integræ; eò quòd ſtatus naturæ puræ, vt patet ex dictis, excludat omne auxilium ſpeciale etiam ordinis naturalis. Vnde reſp. conc. mai. & neg. min. Etenim homo in ſtatu naturæ puræ abſque ſpeciali auxilio naturalis ordinis, ſed ſolo lumine naturali, ac generali Dei concurſu diligere poſſet Deum ſuper omnia, quemadmodum fortaſſe dilexerunt Deum quidam Philoſophi gentiles; quamuis talis amor ſuper omnia non foret efficax, & perfectus; ideoque admitteret peccatum philoſophicè ſumptum, vt proximè indicauimus, & clariùs, Deo fauente, oſtendetur in tract. de gratia actuali.

APPENDIX

De cæteris operibus ſex dierum.

POſtquàm in ſuperioribus diſputationibus, ac tractatibus egimus de natura angelica, creatura purè ſpirituali, nec non de homine, creatura partim ſpirituali, partim corporali; reſtat diſſerere de creatura merè corporea, nempe de materia, de elementis, de terra de Cœlis, de plantis de Animalibus &c. non quidem ſupra. dictorum omnium naturam, proprietates, qualitates; virtutes &c. inueſtigando, atque ſpeculando, ſed ſolum de tempore, & ordine, quo præfata creata fuere; nec non de quibuſdam peculiaribus circumſtantijs, & accidentibus. Eò vel maximè, quod in Philoſophia de ijs omnibus tractatur; quatenùs Philoſophus conſiderat rerum naturas, & proprietates &c. & in S. Scrip. nempe in Geneſi cap. 1. per Sacros Interpretes fusè expenduntur ea, quæ pertinent ad veram creationis intelligentiam, & ordinem: Qua de re vnica diſputatione præſentem appendicem abſoluere ad noſtrum inſtitutum ſatis apparet, ideoque ſit.

DIS-

DISPVTATIO VNICA.

QVÆSTIO I.

Vtrum materia prima fuerit creata informis.

NOt. 1. Quòd, licet Arist. & quamplures, alij Philosophi putauerint, Mundum hunc visibilem creatum fuisse ab æterno; nihilominùs secundum catholicam veritatem mundus non ab eterno, sed in tempore est creatus, quæ quidem veritas apertè traditur in Sac. Scrip. Genes. cap. 1. his verbis. *In principio creauit Deus Cœlum, & terram;* quæ verba à SS. PP. & à Concilijs explicantur de principio temporis. Vnde D. Basilius, D. Ambros. exponunt. In principio vniuersitatis rerum, seu temporis, idest, vt notat noster Doctiss. Io. de la Hyè in Biblia maxima; in, & simul cum primo instanti à quo tempus vniuersum fluere cæpit; & Concil. Lateran. cap. firmiter dogmaticè loquens, ait. *Creator omnium inuisibilium, & inuisibilium spiritualium, & corporalium, sua omnipotentia virtute simul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit naturam spiritualem; & corporalem;* Eandem veritatem tradunt, & comprobant Doctores Scholastici; & signanter Alens. in p. 2. D. Bon. in 2. d. 12. q. 3. D. Thomas in p. 1. q. 44. qui latè hanc materiam pertractant.

Not. 2. quod de materiæ primæ creatione, entitate, existentia, potentia &c. satis in physicis dictum est; vnde impræsentiarum solum mouetur quæstio de materia; an videlicet creata fuerit informis, vel formata; circa quam diuersæ referuntur sententiæ à D. Bonau. in 2. d. 12. q. 3. a. 2. Quidam namque voluerunt, quod materia illa diceretur Chaos propter formarum multitudinem, & contrarietatem, quæ erant in partibus materiæ, ita quod illæ partes non distinguebantur ab inuicem, secundùm loca determinata; nec ita proportionaliter inuicem iungebantur, vt ex eis resultaret aliquod mixtum completum; & ideò erat ibi quædam permixtio, non proportionis, sed confusionis. Sed iste modus, inquit Doct. Seraph. ponendi potius est poeticus quàm philosophicus, quia magis sequitur immaginationis fictionem; quam rationem. Alij opinati

 sunt,

sunt, vt refert noster Rich. in 2. d. 12. art. 1. q. 6. quod tota materia infra Cęlum Empyreum fuit creata sub vna forma completa; & de illo corpore vno facta fuerunt per interualla sex dierum, quæ Gen. 1. narrantur facta: sed hoc, ait Rich. est phantasia irrationabilis, quia hoc esset ponere corpora elementaria, & corpus quintum facta ex corpore sexto; Alij dixerunt, materiam creatam fuisse sub formis completis; sed omnia corpora infra Cœlum Empyreum à sua creatione simul fuerant confusa. Verùm hæc opinio ex eod. D. est irrationabilis; quia cum aliqua corpora inter se confundantur, manētia tamen de formis completis mutuò diuidunt se in partes multas. Deniquealij, vt D. Bon. Rich. Scot. existimant materiam illam productam fuisse sub aliqua forma; quæ non erat forma completa, ac proinde nec materiæ præstabat esse completum; Vnde sit iuxta hanc communem, & receptam sententiam.

Concl. Materia prima in sua creatione non fuit omninò informis, sed fuit formata quadam forma imperfecta, quæ materiæ appetitum non expleret, sed esset dispositio quædam ad vlteriores formas recipiendas. Prima pars patet ex traditis in Philosophiâ; vbi vnanimis Phisophorum catholicorum sententia docet materiam naturaliter non posse sine vlla prorsus forma substantiali, nec quidem per instans temporis, existere; ergo materia non fuit à Deo creata informis; idest omni forma spoliata. Pars 2. prob. & explicatur. Si materia naturaliter nequit existere sine aliqua forma absoluta substantiali, consequens est, quod tunc fuerit informata forma substantiali; non quidem forma quadam rudi, obscura, generali, & comuni corporeitatis, ita vt tantum esset in potentia ad omnes particulares formas suscipiendas; vt putat Abolensis in expositione primi cap. Gen. sed quadam forma substantiali, natura tantùm posteriori ipsamet materia; siquidem fuit materia, vt docet Scot. in 2. producta cum vna forma absoluta completa in se, incompleta tamen respectu materię, habentis appetitum ad omnes possibiles formas, veluti ab obiectum adæquatum; & quia isti appetitus multiplicantur ad multiplicationem terminorum, idest formarum, ideò iuxta Scotum fuerunt cum ipsa materia concreatæ diuersæ formæ respectiuæ, quæ sunt appetitus actuales ad diuersas formas. Con-

Confirm. ex D. Aug. lib. 1. Genes. contra Manichæos. c. 7. *Informis illa materia*. ait Aug. *quam de nihilo fecit Deus, appellata est primò cœlum, & terra, non quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat*. Nam & cœlum scribitur esse factum; quemadmodum, si semen arboris considerantes, dicamus, ibi esse radices, & robur, & ramos, & fructus. & folia, non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt; Itaque ex D. Aug. ex materia prima creatum fuit die secundo Cœlum; tertia die terra, & omnia alia; quemadmodum modo ex eadem materia transeunti de vna forma ad alias, fiunt, & generantur plura composita substantialia.

Arg. 1. cont. conc. Primæ formæ, quæ insunt materiæ, sunt formæ elementares, vt patet, quia vltra illas non est resolutio, nisi ad primam materiam; ergo si materia illa aliquam formam habuit corporalem, videtur, habuisse elementarem, sed elementares sunt plures; sunt enim ęquè primæ; ergo simul habuit omnes formas.

Resp. ex D. Bonau. quod maior est vera de formis, quæ dant materiæ esse completum; non autem de illa forma, quam habebat materia informis; cum non daret ei esse completum, ideoque talis forma incompleta, tam formas simplices, quàm compositas, quæ esse completum tribuunt, præcedebat, vel præcedere poterat.

Arg. 2. Materia illa cum esset imperfecta habebat aliquem appetitum; aut ergo ad vnam formam, aut ad plures: Si ad vnam, ergo videtur, quod cum Deus compleuerit appetitum eius, debuerit dare vnam solam formam corporalem; si ad plures; ergo cum multi formitas appetituum veniat ex multi formitate dispositionum; & hæc ex multi formitate formarum; videtur quod illa materia condita fuerit sub formarũ diuersitate. Resp. ex D. Bon. & ex Scot. Materiã habuisse appetitum ad omnes, & singulas formas; non tamen inde sequitur, habuisse plures formas; tum quia, vt ostensum est in physicis, duæ formæ substantiales non subordinatæ sunt incompossibiles in eadem numero materia simul; tum quia materiæ appetitus est ad omnes formas suscipiendas eo modo, quo naturaliter est possibile; est autem naturaliter impossibile vnam, & eandem numero materiam omnibus simul formis informari; quicquid sit de potentia supernaturali, de qua in Philosophia &c.

Arg. 3. Constans est sententia secundùm positionem Sanctorum, quod lux à Deo producta faciebat noctem, & diem, sed non poterat facere diem, nisi esset corpus transparens, & illuminabile; neque noctem, nisi esset corpus opacum, quod vmbram produceret, ergo videtur quod in prima conditione materia in quadam sua parte fuerit transparens, & in quadam opaca; & ità, quod haberet in se formas diuersas. Resp. ex D. Bonau. Quòd non erat ibi perfecta opacitas, nec perfecta trasparentia, erat tamen in diuersis partibus materiæ, secundum quod conditor ordinauerat ex eis diuersas formas producere, aliquis diuersus dispositionis modus, qui non ponebat diuersitatem formarum. Sicut si intelligatur quod aliquod corpus in vna parte sit rarius, & in alia magis compactum, salua formæ vnitate; sic intelligi debet in illa materia, quæ formam habebat maximè ad multa possibilem; vt in sequenti quæst. magis patebit.

Quæres 1. An tota mundi machina fuerit producta in instanti, vel in paruo tempore, vel spatio sex dierum.

Resp. Quòd D. Aug. cum nonnullis alijs Doctoribus sensit; omnia fuisse creata in instanti; absque temporis interuallo. Quare Aug. lib. 1. cap. 3. tom. 3. voluit, quod per Cœlum intelligeretur natura spiritualis informis; & quia lux respondebat Cœlo, per ipsam lucem spiritualem, Angelicam naturam formatam dixit, intelligi ad litteram; per diem verò intelligi ipsam considerationem angelicam; per septennarium dierum, septemplicem consideratione m, & per vesperam diei considerationem creaturæ, quia creatura est sicut tenebra; per manè autem reductionem ipsius cognitionis creaturæ in suo genere proprio, ad cognitionem, quæ est in summa luce, & ad laudem ipsius Dei. Itaque per illos sex dies, quos S. Scrip. numerat, non intelligit D. Aug. aliquos dies reales, sed distinctas cognitiones Angelorum, quibus diuersa rerum genera creaturarum istis sex diebus nouerunt; quæ quidem cognitiones dicuntur partim vespere, quatenus tendebant ad res creatas in proprio genere cognoscendas, partim verò manè, quatenus distincta cognitione in Verbo (quæ matutina dicitur) attingebantur: vt latè referunt antiquiores, & Recentiores Theologi. Verùm dicendum cum sententia

com-

communiter recepta mundi productionem fuisse factam spatio sex dierum; prout apertè testatur S. Genesis; qui dies indubiè litteraliter sunt intelligendi; cum nil cogat nos in sensu mystico dies illos intelligere, ac explicare; Vnde Recentiores Theologi obseruant; D. Aug. posuisse illam expositionem tanquam probabilem, non verò assertiuè illam pronunciasse; prout se explicat in lib. 4. Gen. ad litt. c. 27. & 28. Immò lib. 2. retract. c. 24. loquens de libris scriptis in Genes. ait. *In quo opere plura quæsita, quàm inuenta sunt, pauciora firmata; cætera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint.*

Quæres 2. An Mundi productio facta fuerit tempore verno, vel autumnali. Resp. Doct. in hoc non conuenire. Quidam enim, vt noster Lyran; Abulensis, & alij censent mundum fuisse productum tempore autumnali; quorum fundamentum est. Quia omnes arbores in creationis exordio erant fructibus onustæ; ac proinde videtur probabilius dicendum illud tempus fuisse autumnale, quo fructus abundant. Alij autem contendunt auctoritati plurimorum Patrum nisi, Mundi creationem tempore verno peractam fuisse; & Adam fuisse creatum die 23. Martij; & consequenter Deum rerum creationem incæpisse die 18. eiusdem mensis; idque videtur valde congruum, & rationabile, ad hoc vt creationi correspondeat recreatio, seu reparatio mundi lapsi, facta per Christi passionem tempore verno. Cæterùm quænam opinio ex istis sit probabilior, seu magis consona veritati, nouit Deus, qui cuncta condidit.

QVÆSTIO II.

Vtrum lux primo die facta, faceret diem, & noctem.

NOt. 1. Quòd textus S. Genesis narrans opera primo die à Deo producta ita loquitur. *In principio creauit Deus Cœlum, & terram. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi; & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus fiat lux, & facta est lux.* Per Cœlum, & terram Moyses voluit totum hunc mundum corporeum nobis significare; quasi summariè ponendo ante oculos

opificium vniuersi mundi; & deinde per sex dies particulatim opera distinxit, & explicauit. Ita sentiunt D. Crysost. homil. 2. in Gen. D. Aug. pluribus in locis, & alij. Item per Cœlum Moyses intellexit naturam Angelicam; vt placet D. Aug. per terram autem materiam informem omnium corporum: ita vt Deus à principio duo condiderit, alterum propè se, idest naturam Angelicam, alterum propè nihil, idest materiam primam; vt alibi dictum est de mente D. Aug. Insuper per Cælum, & Terram significauit materiam primam, ex qua constant omnia corpora, sed primò, & principaliter Cœlum, & terram; qua ratione D. Aug. his nominibus eam appellauit, & signanter lib. 12. Confess. c. 7. 19. & 20. denique per Cœlum significauit nobis Moyses Cœlum Empyreum tantum ratione suæ nobilitatis, & excellentiæ maximè diuersum à cæteris Cœlis; & per terram materiam primam informem; & habentem solummodò quandam formam corporis, vel corpolentam quandam massam, quæ totum illud vacuum, quod est inter Cęli empyrei ambitum, occupabat, & implebat; ex qua deinceps corpora omnia composita, & formata sunt, vt supra indicauimus, & citantur pro hac sententia Theodoret. D. Basil. Beda, & alij.

Cæterùm de terra sermonem reassumens dicit sacer textus: *Terra autem erat inanis, & vacua*; quibus verbis explicatur qualis fuerit terræ status in Mundi exordio; Erat siquidem inanis, & vacua, idest sine luce, sine vllo ornatu, & decore, vacua hominibus, animalibus, & plantis, non distincta in montes, colles, & valles; & ex omni parte ex altissimis aquis cooperta, quasi chaos quoddam inane, rude, & indigestum, vt passim notant Doctores; adeout rectè appelletur à D. Aug. lib. 1. contra Manichæos materia prima, quia terra inter omnia elementa minus est speciosa, & incomposita ob elementorum omnium commixtionem; eandem pariter vocat abyssus, & tenebræ erant super faciem abyssi, quia confusa erat, & commixta, specie distincta carens: & denique eadem vocatur aqua; super quam ferebatur Spiritus Domini, sicut superfertur, ait cum D. Aug. Magister sent. fabricandis rebus voluntas artificis. Et Cornel. à lapide ex communi sic explicat illa verba: Et tenebræ erant super faciem abyssi: puta super aquas, &

molem aquarum, quæ quasi abyſsus terram operiebant, ſe ſeque porrigebat vſque ad Cęlum empyreum; abyſsus enim vocatur id, quod fundo caret, ſiue profundum ſine fundo habet; &, vt ait Euſtachius: *Abyſſus eſt aqua nimia infinitum habens profundum*. Porrò faciem hebræi vocant ſuperficiem tam extimam, quàm intimam, quaſi dicat: tota terra, & abyſsus hæc aquarum nihil omninò habebat lucis, quia tenebrę eſt carentia lucis pro formali ſumpta, quo ſenſu tenebre non ſunt factæ; pro materiali autem, ideſt pro re luce carenti, dici poteſt, quod tenebræ ſunt factæ.

Not. 2. ex Scot. in 2. d. 13. ex D. Bonau. & Ricard. diſt. 1. 3. art. 1. q. 3. quod lux non eſt forma ſubſtantialis; nulla ſiquidem talis forma eſt ſenſu perceptibilis, ſed eſt accidentalis forma, ſenſu perceptibilis; hoc eſt viſibilis. At pro intelligentia auct. Patrum, & rationum notat D. Bon. quod ſicut lux incorporata eſt principium coloris in ipſo corpore terminatum, qui quidem color eſt accidens, & paſſibilis qualitas, & ſenſu percipitur, ſic etiam lux in corpore luminoſo eſt principium cuiuſdam fulgoris, qui ad modum coloris eſt accidens; & mediante quo luminoſum corpus à ſenſu apprehenditur; & ſecundùm hoc dupliciter poteſt lux accipi; vno modo dicitur lux ipſa forma, quæ dat eſſe corpori lucido, & à quo luminoſum corpus principaliter eſt actiuum, ſicut à primo mouente, & regulante. Alio modo dicitur lux eſſe fulgor, qui eſt circa corpus luminoſum, qui conſequitur exiſtentiam lucis in tali materia, & qui etiam eſt ſenſus obiectum, & operis inſtrumentum; & ſic eſt accidentale complementum; ac proindè in hoc ſenſu lux eſt accidens; & ab ipſa oritur lumen, ſeu radius; & recipitur in medio, quod illuminantur vnde lumen in medio non habet principium materiale ex quo, ſed potius originale, à quo fluit, & ad quod etiam redit, cũ in medio deſinit eſſe; ſicut dicitur de ſimilitudine.

Concl. lux primo die creata diem, & noctem per localem circuitum faciebat, non verò per radiorum emiſſionem contractionem, vt putarunt Patres Græci; qui aſſerebant per talem emiſſionem, & contractionem radiorum diem, & noctem facere, non per virturem propriam, ſed per ſpecialem ordinationem diuinam. Prob. 1. pars, quæ eſt Doctorum, & Patrum latinorum. Virtuti naturali

poſſi-

possibilius est, quod lux illa diem, & noctem faciebat suo motu, sicut sol sua facit actione; illa siquidem lux intelligitur facta fuisse, vbi nunc est sol, ait Seraph. Doct. & ex illa formatus creditur esse sol; ergo si vices solis gerebat rationabilius apparet instar solis diem, & noctem per localem motum circularem fecisse. Quare respectu vnius, & eiusdem Emispherij lucem, & diem, successiuè faciebat. Etenim per existentiam eius in vno hemisphaerio dies in illo erat, & nox in hemisphaerio opposito propter vmbram partis materiæ grossioris creatæ, vbi modo est Terra, de qua parte materiæ terra postmodum facta est; vt tradit noster Richard.

Confirmatur ex S.Scrip.narrante Deum diuidisse lucem à tenebris, ergo fuerunt simul lux, & tenebræ; sed si lux faceret diem, & noctem per emissionem, & retractionem radiorum, cum non sint simul missio, & retractio, non esset simul lucis, & tenebrarum diuisio. Insuper S. Scrip. dicit, quod lux illa faciendo diem, faciebat vespere, & manè; sed si sola radiorum missione fieret dies, & sola contractione fieret nox, nunquàm esset vespere, & mane, sed semper esset clarus dies, vel obscura nox; ergo cum hæc minùs consonent S. Scrip. dicendum est, illam lucem facere diem, ac noctem per motum circularem, & non per emissionem, & contractionem radiorum, quibus rationibus remanet probata, tam prima, quàm 2. pars conc.

Arg. cont. conc. Illa lux ex D.Aug. lib.11. de Ciuit.cap. 10. fuit substantia angelica ad creatorem conuersa; ergo huiusmodi lux non faciebat diem, & noctem per localem circuitum. Resp. Quòd D. Aug. vt supra indicauimus in expositione sex dierum dissentire videtur ab alijs Doctoribus, qui communiter oppositum asserunt. Siquidem illa expositio est allegorica, non litteralis; quam non recipiunt Theologi &c.

Arg. 2. Si illa lux faciebat diem, & noctem per localem circulationem, aut incæpit moueri ab oriente, aut ab alio loco: non ab oriente, quia tunc primus dies fuisset materiæ, quod falsum videtur, cum materiæ sit tempus inter noctem præcedentem, & clarum diem sequentem; nulla autem nox præcesserat primam diem: Tum quia si ex oriente; videtur quod primò fecerit mane, & postea ves-

pe-

pera ; quod eſt contra Scrip. dicentem : *Factum eſt veſpere, & mane*. Si ab alio loco ; ideſt ab occidente ; ergo videtur, quod lux cæpit in occaſu, hoc autem eſt inconueniens, ergo &c. Reſp. ex D. Bonau. & Rich. quod illa lux incæpit moueri à puncto orientis, vel ab illa parte verſus orientem, ad quam iam deueniſſet per motum, ſi ab inſtanti creationis materiæ creata fuiſſet, & moueri incæpiſſet ; comprehendendo illud tempus, quod fluxit ab inſtanti creationis materiæ vſque ad creationem lucis ſub prima die ; Cæterùm quod attinet ad illud mane, & veſpere ; reſpondet Seraph. Doct. cum Magiſtro ſent. quod mane dicit finem præcedentis noctis ; & ex hoc dicit quandam obſcuritatem, propter hoc, quod non tantùm dicit diei initium ; immò dicit noctis conſumationem. Et quia in prima lucis formatione non præceſſerat nox, ſed ſtatim lux incæpit ſecundùm ſuam totam poteſtatem illuminarè, & ideo dicitur dies ille cæpiſſe à plena luce ; reliqui autem dies mane habuerunt, & veſperam, quarum quiſq; à ſuo mane incipiens vſque ad alterius diei mane tendebat.

QVÆSTIO III.

Quid intelligitur per firmamentum ſecunda die factum.

NOt. Quòd hiſtoria S. Geneſis ſic habet c. 1. *Dixit quoque Deus fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis ; Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento ab his quæ erant ſuper firmamentum & factum eſt ita &c.* Porrò firmamentum, ſecundum nominis ethymologiam, teſte D. Hieron. ſignificat expandere, diſtendere, & diſtendendo firmare, ac ſolidare rem aliquam, quę prius fluida erat, & rara, & ſic aqua denſata in Cœlos vocatur latinè firmamentum. Quod nam autem Cœlum intelligatur per firmamentum variant Doctores, & Patres. Etenim Beda, Theodoret. & alij volunt, intelligi ſolum Cœlum ſtellatum, ſeu octauam Spheram Cœleſtem ; alij autem aliter ſentiunt, & præſertim Recentiores, ideò ſit.

Conc. Per firmamentum intelligitur non ſolum Cęlum ſtellatum, ſed etiam omnes orbes illi vicini, tam interiores,

res, quàm superiores vsque ad Empyreum. Prob. 1. auct. SS. PP. signanter. D. Aug. Ruperti, Hieron & aliorum, vt videre licet apud recentiores Theologos, nec non apud S. Scrip. Interpretes. Prob. ratione ex S. Scrip. deducta, quæ nomine firmamenti appellat etiam aeris regiones, dicens volucres volare supra firmamentum, nam vbi latina versio habet. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento*. Hebraicus textus habet; *& volatile volet in superficie, vel super faciem firmamenti*; ergo &c. Superest ostendere distinctionem omnium orbium, motuum firmamenti, pluralitem &c. sed hæc omnia in Philosophia traduntur, ideòque ad illam studentes mitto.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Cœlum crystallinum sit de natura aquæ?

NOt. Quòd Doctores catholici conueniunt, esse supra firmamentùm Cœlum aquarum, seu crystallinum, at valde discordant in hoc, nempe. An illæ aquæ super Cęlos sint spirituales, vel corporales, an sint eiusdem naturæ cum istis sublunaribus &c. ex quo fit, quod Doctores in diuersas sententias abeant. Quidam dixerunt quod illæ aquæ, quæ sunt super Cœlos non sunt aquæ corporales, sed spirituales, intelligendo per illas aquas ipsam naturam Angelorum. Verùm hæc opinio, ait Richard. est falsa; vnde; quia D. Aug. hanc sententiam aliquando tenuisse videbatur lib. 13. Confess. eam retractat lib. 2. retract. c. 6. dicens sic. *Quòd dixi firmamentum factum, inter spirituales aquas superiores, & corporales inferiores, non satis considerate dictum est; res autem in abscondito est valdè*. Alij putauerunt, illas esse aquas corporales, & eiusdem naturæ cum istis aquis inferioribus, & per firmamentum, de quo ibi loquitur scriptura, intelligebant aerem medium inter aquas istas inferiores, & aquas suspensas in nebulis in loco nubium; dicentes aerem in Scriptura Cœlum vocari, cum dicitur: Volucres Cœli, & istum aerem etiam dicebant esse firmamentum, quia interuallum eius diuidit inter quosdám vapores aquarum, & istas aquas, quæ corpulentiùs in terris fluunt. At neque hæc opinio consistere potest;

test; Nam Scriptura testatur, illas aquas esse super firmamentum, quod secundo die factum est, & in quo quarta die luminaria facta sunt, hic autem aer tertia die factus est, nec in ipso stellatæ positæ sunt. Alij existimarunt, illas aquas esse corporales eiusdem naturæ cum istis, & esse super firmamentum, quod secundo die factum est. Cuius opinionis videtur fuisse D. Aug. vt patet lib. 2. super Genesim; qui videtur velle, vt refert Rich. quod sint ibi quasi vaporaliter suspensæ ad modum, quo videmus eas super istum aerem inferiorem in loco nubium, nec tendunt ad inferiora, sicut nec istæ, quàm diu vaporaliter suspensæ sunt. Itaque clarè patet quod in hac quæstione, inquit D. Bonau. propter diuersitatem positionum, & debilitatem rationum vix potest aliquid certum dici, sed ex quadam proprietate, & coniectura ex diuersis positionibus potest eligi vna quædam sobria, quæ inter fidem, & rationem incedat, quasi quadam media via. Sit igitur ad mentem Doct. Seradhici.

Concl. Supra firmamentum est Cœlum crystallinum, quod de natura aquæ dicitur propter transparentiam, & frigiditatem virtualem, non verò quod sint ibi veræ aquæ.

Prob. ex D. Bon. Credendum est, opificem summum corpora mundi optimo ordine ordinasse, & in tali ordinatione, non solùm considerasse finis vtilitatem (vt aiunt quidam sustinentes supra firmamentum esse veras aquas; inter quos est etiam Cornel. à lapide loc. cit.) sed etiam perfectionis dignitatem: at aquæ non sunt talis perfectionis, vt supra firmamentum collocentur, ergo non videtur verum elementum aquæ super firmamentum Deum collocasse, cum per naturam sit minus nobile, ac proinde dicendum potius, quod aquæ, quas dicit S. Scrip. esse super firmamentum, non habent naturam, & speciem aquæ elementi, censentur tamen aquę nomine propter conuenientiam in aliqua proprietate. Vnde sicut aqua ista habet tres proprietates, nempe perspicuitatem, frigiditatem, & grauitatem; ita illæ aquæ sunt perspicuæ, ac proinde habent naturam receptiuam luminis, & quodammodo retentiuam, sicut experientia patet in aliquibus lapidibus, qui de nocte non videntur per se, nisi ponantur in aqua. Sunt pariter frigidæ, diuersa tamen ratione, nam istæ inferio-

res

res sunt frigidæ formaliter, illæ verò virtualiter tantùm, etsi vtræque sint frigidæ effectiuè. Verùm quantum ad grauitatem simpliciter differunt, quia aquæ super firmamentum nullo modo sunt graues, nec appetunt deorsum.

Arg. cont. concl. ex S. Scrip. habetur, aquas esse super firmamentum, & supra Cœlos, idque videtur dicere litteraliter procedens, dum etiam alia, quæ narrat, sensu litterali, intelligenda veniunt, ergo super firmamentum est verum aquæ elementum: ant. patet. Dicitur enim Daniel. c. 3. *Benedicite aquæ omnes, quæ super Cælos sunt*, & Psal. 148. *Laudate eum Cæli Cælorum, & aquæ omnes, quæ super Cælos sunt &c.* Resp. ex D. Bon. Quod nomen aquæ, tripliciter in S. Scrip. in primaria rerum distinctione accipitur. Aliquando pro informi materia; vt ibi. *Spiritus Domini ferebatur &c.* Aliquando pro natura transparenti, & luminis retentiua; vt ibi. *Fiat firmamentum in medio aquarum.* Aliquando pro ipso elemento aqueo; vt ibi. *Congregentur aquæ in locum vnum &c.* & sic patet responsio ad argumentum, ac proinde secundum Scripturam, & Sanctorum auctoritates super firmamentum veræ sunt aquæ.

Arg. ratione. Aqua ratione sui subtilitatis potest eleuari, vt sit supra aerem, ergo maiori subtilitate poterit ampliùs eleuari; ergo si omne corpus est diuisibile in infinitum; si adsit potentia diuidentis, poterit aqua tantum diuidi, & subtiliari, quod supra firmamentum poterit naturaliter consistere: ergo &c. Resp. quod non valet talis argumentatio, aqua eleuari potest, vt sit super aerem, ergo maiori substilatione amplius eleuari potest, quia vt supra innuimus cum Doct. Seraph. corporam mundi ordinantur secundùm mai. & min. nobilitatem, & insuper ordinantur sub, & supra secundùm mai. & min. subtilitatem; quæ eorum naturæ competit: cum igitur aqua secundùm propriam naturam non sit aëre subtilior, & rarior, & tantò minùs igne, hinc est, quod aqua nunquam adeò poterit rarefieri, & subtiliari, vt sit super aerem. Tum denique quia habentium eandem naturam idem est locus, vt patet; ergo idem est locus huius aquæ, ac totius aquæ, ac proinde si aliqua aqua est naturaliter intra terram, tota aqua erit in eodem loco, ergo in terra, & non super firmamentum sunt aquæ congregatæ.

QVÆ-

Qualiter congregatæ sint aquæ, & terra germinauerit herbam virentem, & facientem fructum &c.

NOt. 1. Quòd hic consequenter describitur opus tertiæ diei, quo distincta sunt elementa, quæ distinctio facta est, vt dicit noster Sapientissimus Liranus super cap. 1. Gen. quod aqua priùs producta in forma substantiali; vt paulò superius dictum est, accepit nunc à Deo debitam densitatem, & sic occupauit minorem locum, aeris spatium dimittendo; & per hoc quod virtute diuina factæ sunt concauitates in terra, vbi recepta est pars aquarum, & sic apparuit pars terræ discooperta aquis ad habitationem hominum, & animalium; & sic fuerunt elementa distincta in locis sibi debitis; hoc est, quod dicitur congregentur aquæ &c. congregationesque aquarum maria loquitur his verbis Scriptura, ait Lyran. more hebraici sermonis, quo vocatur mare, non solum Oceanus, sed quælibet congregatio magna aquarum, secundùm quod in Euagelio frequenter nominatur Mare Tyberiadis, & mare Gallileæ, & tamen non est nisi quidam lacus, vnde & in Euangelio vocatur stagnum Genezareth Luc. 5.

Not. 2. Quòd non satis conueniunt SS. Patres circa congregationes aquarum. Siquidem Basil. Ambros & alij censent aquas diuina virtute fuisse collectas in tumorem instar montis, & effecisse maria, vt arida posset apparere terra, & consequenter opinantur, mare de facto esse altius terra; ac proinde posse naturaliter inundare totam terram; nisi à Deo continuo miraculo intra suos limites contineretur. Verùm probabilior apparet opinio D. Aug. Scoti, & aliorum asserentium, mare nequaquàm esse altius terra; cui sententiæ fauet Scriptura in psal. 23. *Ipse super maria fundauit eum*; sed de hoc in libris de Cœlo, & mundo agitur &c.

I. Concl. Hac die tertia aquæ à Deo ita reductæ fuerunt in maria, in alueos, & cauitates, vt quandam inter se retinerent colligantiam, & communicationem, vel visibilem, vel occultam. Hæc est communiter recepta; & signanter traditur à D. Diony. Basil. Ambros. præter quam plures Scholasticos, & S. Scrip. expositores. Et quidem de visi-

visibili colligantia patet ex mappis Cosmographicis, vbi cernitur Oceanus colligatus versus Septentrionem cum Mari Germanico, & Baltico; versus occidentem cum mari Pacifico; versus Meridiem cum Mare Aetiopico, versus orientem cum mari Mediterraneo, Adriatico, Indico &c Cum mare Caspio pariter, teste Basilio continuatur per meatus subterraneos, quod ex hoc deducitur. Nam etsi ingentia flumina in illud mare Caspium se exonerent, nunquàm tamen extendat, eò quia tantum aquæ reijciat per subterraneos canales in Oceanum, quantum recipit ab illis fluminibus: Idem dicendum est de alijs maribus, & lacubus, ab Oceano seiunctis. Hinc patet visibilis, & inuisibilis colligantia, & communicatio aquarum. Similiter hac tertia die facti sunt montes, & valles, nec non varij hiatus, & cauitates in terra; omnes pariter alueos, tum maris, tum fluminum, in eosque mare, & flumina segregauit.

II. Concl. Hac tertia die terra germinauit, non actiuè, vt putant Caiet. & Burgensis; sed passiuè, Prob. hæc conc. quæ est communis. Etenim D. Aug. docet, quod terra produxit actu herbam virentem, plantas, & fructus &c. id autem naturaliter non potuit producere actiuè; quia vt modo videmus, terra paulatim procedit ad productionem herbarum plantarum, & tempore, non autem momento, & instanti; siquidem natura progreditur ab imperfecto ad perfectum temporis spatio. Itaque materiam tantum tunc in prima rerum creatione ministrauit, Deo se solo effectiuè, & subitò producente omnia germina, & plantas, easque iustæ, & perfectæ magnitudinis, vt inter alios docet D. Thomas. Iam autem terra etiam effectiuè concurrit ad germina; maximè si seminibus sit imbuta: Vnde per illa verba Scrip. *Cuius semen in semetipso sit iuxta genus suum* datur intelligi in terra latere omnis generis virtutes seminales à Deo hac die insertas; ex quibus nascuntur terræ nascentia plantarum, ac omnium herbarum; & idem dicendum est de arborum semine; nempe hac die Deum fæcundasse tali semine terram.



QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Qualiter luminaria die quarta à Deo facta sint nobis in signa, & tempora.

NOt. 1. Quòd S. Scrip. sic describit opera quarta die facta. *Dixit autem Deus fiant luminaria in firmamento Cœli, & diuidant diem, ac noctem; & sint in signa, & tempora, & dies, & annos &c.* & in recapitulatione operum diuinarum Scriptura sic dicit. *Igitur perfecti sunt Cœli & terra & omnis ornatus eorum.* In quibus verbis, vt docet D. Thomas, triplex opus intelligi potest; nempe opus creationis, per quod Cœlum, & terra producta leguntur, sed informia, & opus distinctionis, per quod Cœlum, & terra sunt perfecta, siue per formas substantiales attributas materiæ omninò informi, vt Aug. vult, siue quantum ad conuenientem decorem, & ordinem, vt alij Sancti dicunt. Et his duobus operibus additur ornatus; distinctio autem aliquorum maximè manifestatur per motum localem, quo ab inuicem separantur, & ideò ad opus ornatus pertinet productio illarum rerum, quæ habent motum in Cœlo, & in terra. Sicut autem de tribus fit mentio in creatione, nempe de Cœlo, aqua, & terra. Et hæc tria etiam formantur per opus distinctionis trium dierum; prima enim die Cœlum; secunda die distinguuntur aquæ; tertia die fit distinctio in terra maris, & aridæ; sic in opere ornatus; prima die, quæ est quarta, producuntur luminaria, quæ mouentur in Cœlo ad ornatum ipsius. Secunda die, quæ est quinta, Aues, & pisces ad ornatum medij elementi, qui habent motum in aere, & aqua, quæ pro vno habentur. Tertia die, quæ est sexta producuntur animalia, quæ habent motum in terra ad ornatum ipsius.

Not. 2. Quòd non sunt idem Astronomia, & Astrologia, licet vna ordinetur ad alteram. Astronomia siquidem velut theorica ordinatur ad Astrologiam, quæ ad praxim tendit. Itaque, etsi tam Astronomia, quam Astrologia versentur circa astra, tamen cum aliter, & aliter circa illa versentur, non parum inter se differunt. Astronomia namque velut theorica, & speculatiua agit de astris in vniuersali, nempe de eorum quantitate, mensura, distan-

tia de eorum situ, motu, & cursu, de aspectibus, de Eclypsi, de Polis, & Emisphaerijs, de Epiciclis, retrogradationibus, de accessibus, & recessibus; & de alijs similibus ad astra, & eorum motus pertinentibus. Astrologia vero (loquimur hic de naturali) velut practica agit de astrorum effectibus, proprietatibus &c. ostendit namque Astrologia primò tempora ad plantandum, seminandum, & scindendum apta. Secundò abundantiam, vel caritatem futuram. Tertiò ventus, tempestates, terremotus, pestilentias naturales, tam in hominibus, quàm in iumentis, & alia id genus. Vnde ab Astrologia appellationem accipiunt Astrologi, ab Astrologia verò genalitica, quæ est pars Astrologiæ ex hora, aut die natiuitatis cuiusque mores diuinantis; quam veteres vocabant Mathematicam, Neuterici vero Iudiciariam; vt obseruat noster Ignatius Lupus in comment. super edicta Inquisit. p. 3. lib. 18. dicuntur Astrologi Genalitici.

Not. 3. quod circa Cœlorum, ac astorũ signa fuit opinio Stoicorum, & hæreticorum Priscillianorum qui putarunt, quòd Cœli, & astra nos compellant tam ad bonum, quàm ad malum, ac proinde esse signa infallibilia nostrarum operationum, neque nos posse contra eorum influentiam, aut impulsum operari; Vnde huiusmodi vim Cœli, & astrorum vocare solent fatum. At hæc opinio est falsa, & hæretica. Alij affirmarunt, Cœlos, & astra nullum influxum in nos habere, neque mediatè, neque immediatè, immò Deum nihil agere per causas secundas, sed omnia præcisè per se ipsum operari, quæ opinio vt falsa reijcitur à D. Thoma contra Gentiles lib. 3. & à Scoto in 2. d. 14. p. 3. vbi ostendit stellas ex sui natura influere, & operari in corpora nostra, ex qua operatione Anima ad bonum, aut ad malum aliqua propensione tendit, cum nostra voluntas nata sit condelectari sensui. Alij denique docent contra primam opinionem corpora cęlestia nullam imponere coactionem, seu necessitatem nostræ voluntati, & contra secundam, corpora cęlestia in hæc sublunaria influere, ac proinde etiam in corpora nostra habere influxum, & inde participatiuè Anima trahit aliqualem inclinationem ad bonum, vel ad malum, quæ tamen inclinatio nullam prorsus ponit coactionem, vel necessitatem: &

hæc

hæc est opinio vera, & catholica, quam vnanimi consensu tradunt SS.PP. & Theologi omnes, iuxta quam ponuntur sequentes conclusiones.

I. Concl. Luminaria sunt posita à Deo nobis in signa, & tempora, & dies, & annos, quod D. Bon. in 2. d.14 in dub. litteralibus dub. 4. sic explicat. Dicendum, quod illud verbum dupliciter habet exponi secundùm quod duplex est vsus signi. Signum enim, & est ad significandum, & est ad distinguendum. Si primò accipitur, tunc est sensus, quod illa luminaria facta sunt in signa, idest in significationem futurorum, & variationem temporum, ac dierum, & annorum, vt variatio temporum attendatur in mutatione quantum ad calorem aeris, & frigus, variatio dierum quantum ad lumen, & tenebras, variatio annorum quantum ad renouationem horum duorum, & sic dicuntur corpora cœlestia esse in signa, non quorumlibet futurorum, sed eorum, quorum ipsa sunt quodam modo causa, sicut imbrium, & ventorum iuxta D. Damascenum, vel etiam eorum, per quæ præsignant D. prouidentia, sicut eorum, quæ aduenient in iudicio iuxta illud Lucæ 21. *Erunt signa &c* Aliorum autem, quæ sunt à libero arbitrio non sunt signa institutione diuina, sed potiùs ad illa significanda traxit humana fictio, & fallacia diabolica.

Si autem secundo modo accipitur (pergit idem Seraph. Doct.) videlicet ab actu distinguendi, tunc est sensus. Sint in signa quasi in distinctiones temporum, & dierum, & annorum. Distinctio temporum fit, quia quatuor sunt tempora anni, ver, & æstas, autumnus, & hyms, quæ distinguuntur per motum solis in Zodiaco, prout ad nos accedit, & à nobis elongatur. Distinctio verò dierum fit similiter per eundem motum, quia modo dies crescunt, modo decrescunt; Aliquando dies sunt maiores noctibus, aliquando minores, secundum quod per illum motum duplex accipitur solstitium, nempe æstiuale, & hyemale, & duplex equinotium, idest vernale, & autumnale, Sunt etiam motus in distinctione annorum secundum seruationes illius motus Solis in obliquo. Similiter suo modo Luna est in significationem temporum, & annorum, & dierum, apud Iudæos, maximè quantum ad solemnitates, sicut apud Christianos est Sol, sicut dicitur in

Ecclesiastico c. 43. *A luna signum diei festi*. Si autem quæratur, quarè Ecclesia magis accepit festa sua secundum solem, quàm secundum Lunam, exceptis duobus, prolixa est huius quæstionis determinatio, & planè inueniri potest in lib. Augustini ad Ianuarium. Hæc quantum ad præsens sufficiat dicere, quod quia Sinagoga in tenebris noctis ambulabat, & minuenda erat, ideò à luminari, quod nocti præest, & quod innuitur in consumatione, accipiebat suarum solemnitatum distinctionem. Quia verò Ecclesia iam ambulabat in lumine; ideo magis menses computat, & dies solemnes secundum motum Solis, quàm Lunæ; excepto solo Paschate, & per consequens Pentecostes. Paschalis enim solemnitas non solum celebratur in commemorationem resurrectionis præteritæ, sed etiam in præfigurationem resurrectionis futuræ, & in hoc Ecclesia quodam modo est conformis Sinagogæ, vnde festiuitatem illam obseruat à Luna non Iudaizando, sed potius illam futuram solemnitatem, quam expectat, secundum quod sibi competit, præsignando. Hactenus Doct. Seraph.

II. Concl. Luminaria cęlestia non sunt signa eorum, quæ ab humano libero arbitrio dependent, neque luminarium cęlestium impressiones in hominibus morum diuersitatem causant necessariò, sed dispositiuè tantùm, contingenter, & remotè. Hæc est de fide, & sic à Seraph. Doct. probatur. Mores hominum, & euentus futurorum à sideribus causari, dupliciter intelligi potest, aut necessariò, aut sufficienter, aut dispositiuè, & contingenter; si primo modo dicitur, sic non tantum est falsum, immò & hæreticum, & diabolicum figmentum, quia repugnat Christianæ Religioni, repugnat sensui, repugnat rationi: Christianæ Religioni, quia est contra veritatem fidei, & honestatem morum, quia tollitur meritum, præmium, & peccantis culpa in sidera refunditur, & licentia malefaciendi sine reprehensione conceditur. Repugnat sensui. Quia sensibili experientia in eadem constellatione conceptos, & natos videmus diuersificari in moribus, & euentibus, & naturalibus proprietatibus, vt patet de Iacob, & Esau, qui simul concepti, & nati, & tamen in omnibus his sunt diuersificati. Apparet etiam, quia in constellatione eadem nascitur filius Regis, & filius Rustici, nascitur etiam homo,

mo, & Asinus, nascitur fœmina, & masculus, qui nec communicant in moribus, nec in euentibus, nec in naturalibus proprietatibus, vt probat. etiam D. Greg. in homil. Epiphaniæ sic: *Fateri Mathematici solent &c.*

Repugnat tandem rectæ rationi, dum superioribus præponit inferiora, & in se implicat contradictoria, dum homini præponit astra, quæ est creatura dignissima, vt testatur etiam Arist. & recta ratio dictat, hominem esse finem omnium, quæ sunt, hinc ait D. Greg. *Vitam quippe hominum solus, qui creauit, conditor administrat; non enim propter stellas homo sed propter hominem stella facta sunt.*

Si autem dicatur mores hominum à dispositionibus, & influxibus siderum variari dispositiuè, & contingenter, sic potest habere veritatem, quia nec rationi, nec fidei repugnat. Planum est enim, quod dispositio corporis varia multùm facit ad variationem affectionum, & morum Animæ, vt plurimùm enim Anima complexiones corporum imitatur. Vnde cholerici sunt iracundi, & sanguinei sunt benigni, & melancholici sunt liuidi, & phlegmatici sunt pigri: hoc autem non est necessariò; Anima enim suo corpori dominatur, maximè quando est adiuta gratia Dei: multos enim videmus cholericos, mansuetos, & malancholicos benignos. Quoniam igitur virtus corporum cœlestium operatur ad mixtionem, & qualitatem complexionum; hinc est, quod perconsequens operatur quodam modo ad qualitatem morum, valde tamen de longinquo: plus enim facit ad qualitatem complexionis virtus naturę inferioris; quàm virtus sideris. Vnde D. Aug. lib. 5. de Ciuit. in solutione cuiusdam quæstionis de fratribus duobus, qui simul infirmabantur, & curabantur; vnde hoc esset, magis commendat responsionem Hippocratis Philosophi, quam Astronomi. Ille enim respondit, quod hoc erat propter similitudinem complexionis, hic autem respondit; quod erat propter identitatem constellationis. Melius ergo respondit Philosophus, quia causam reddit magis propriam, & magis propinquam. Itaq; sidera sunt tantum causa insufficiens, remota, & contingens, quæ de facili impeditur, maximè quoad mores.

Arg. 1. ex D. Aug. qui lib. 5. de Ciuit. ait, quod fatum est vis positionis siderum, qua existente, quando quis con-

cipitur, vel nascitur, cognoscitur qualis futurus sit, ergo; regimen vitæ, & diuersitas morum pendet à virtute siderum. Resp. D. Bonau. quod D. Aug. accipit fatum secundùm æstimationem Philosophorum, qui vocant fatum vim positionis siderum, & constellationum, secundùm quam cuncta necessariò eueniunt in his inferioribus, & sic fatum nihil est, prout ostendit idem Aug. qui volens de medio tollere equiuocationem fati loc. cit. dicit. Si quis fatum vocat ordinem causarum, quem Deus instituit, cum hoc sit verum, scientiam teneat, & linguam corrigat, quia secundum communem vsum accipitur, sicut Mathematici accipere consueuerunt.

Arg. 2. Arist. in lib. de elementorum proprietatibus dicit, quod regna vacua facta sunt, & terræ depopulatæ sunt ad coniunctionem duarum magnarum stellarum nempe Iouis, & Saturni: sed hoc non esset, nisi bella, & lites hominum ex astris penderent, ergo &c.

Resp. D. Bonau. quod illud verbum Philosophi non tribuit aliquid sideribus, quàm quandam dispositionem ad tales effectus, ex quibus bella generantur; ex motione enim alicuius humoris potest aliqua affectio in Anima excitari, quam tamen non necesse est ponere, quia Anima potest eam reprimere, vt docuit etiam Astronomiæ Princeps Ptolemæus: *Sapiens dominabitur astris*; sed quia multi sunt insecutores passionum, quibus possent dominari, se ipsos subijciunt: hinc est, quod multi se subijciunt impressionibus astrorum; & ideo frequenter Astrologi vera prædicunt, maximè circa homines animaliter viuentes, non autem circa spiritualiter sapientes. Igitur certissimum est Astrologos ex astrolabio, aut inspectione astrorum non posse cognoscere prælia, lites, & id genus similia; nam oporteret, quod talia in astris velut in suis causis prælucerent: at iam ostensum est astra non esse eorum, quæ pendent ab humano lib. arb. causam nec mediatam, nec immediatam; non enim ageret possunt in potentias rationales, vt docent omnes theologi, & signanter D. Bonau. & Scot. in 2. d. 36. art. 2. q. 2. estò concedant remotè.

Arg. 3. Ad vniuersitatis ordinem spectat, & ad perfectionem regiminis, vt nihil casu fiat respectu D. prouidentiæ: ergo si Deus regit ignobilia per nobilia, inferiora per

superiora, videtur, quòd nihil in terris fiat, quod à stellarum virtute, & influentia non procedat; prout experientia ipsa, aiunt Astrologi, id ostendit in mortibus Regum per cometæ apparitionem. Resp. ex D. Bonau. quòd perfectio Vniuersi non exigit mores hominum regi ab astris; cum perfectè regantur à D. prouidentia per modum dominantis supremi, ac proinde nil euenire potest casu, vel fortuitò. Quod autem attinet cometam, dicit Doct. Seraph. cum D. Damasc. quod cometa prout significat mortem Regum non sit natura, sed diuino iussu: vnde concludimus cum D. Bonau. quòd Astrologi in ijs, quæ sunt liberi arb. frequenter dicunt falsa, sicut & vera; & licet aliquando vera videantur dicere, hoc contingit vel casu, vel diabolico instinctu; nam diabolus, vti dicit D. Aug. in huiusmodi diuinationibus libenter se immiscet.

QVÆSTIO VII.

Vtrum conuenienter descripta sint opera quintæ, & sextæ diei.

NOt. Quòd Scrip. S. ita describit opera quintæ diei: *Dixit etiam Deus producant aquæ reptile Animæ viuentis; & volatile super terram sub firmamento Cœli. Creauitque Deus Cete grandia &c.* Et deinde describens opus sextæ diei: ait. *Dixit quoque Deus producat terra animam viuentium in genere suo*; idest animalia viuentia secundum omnes species suas, iumenta, & reptilia, & bestias terræ &c. Hinc oritur difficultas. An Animæ huiusmodi animalium à primordio productorum, productæ sint ex nihilo, an ex aliquo. Non videtur posse dici primum, quia si sic pertinerent ad opus creationis, & non ad opus ornatus. Tum quia non videretur conuenienter dictum, quod aqua, & terra producerent ea. Nec videtur posse dici secundum; quia si sic; huiusmodi animæ poterant educi de potentia materiæ, & cum iam præcessissent corpora cœlestia agentia, & fouentia, sequeretur, quod productio huiusmodi animarum non esset proprium Dei, quod apparet inconueniens; cum primaria omnium rerum productio soli Deo pertinere videatur, quę difficultas in 2. conc. infra ponenda resoluetur.

 I. Concl.

I. Concl. Conuenienter descripta sunt opera quintæ, & sextæ diei. Prob. Quæ fiunt, vel disponuntur à sapientia infinita Dei, conuenientissimè fiunt, & sapientissimè disponuntur; sed opera quintæ, & sextæ diei sunt facta, & disposita à sapientia Diuina, vt apertè textatur Sacer textus; ergo &c.

II. Concl. Animæ Brutorum animalium non sunt productæ omninò de nihilo; nec sunt de ratione seminali, quę nondum erat in elementis; sed de ratione primordiali, & obedientiali inditis à Deo elementis mundi. Ita Nicol. de Nyse cum D. Aug. quàmuis alij aliter sentiant. Prob. & explicatur conc. Alia namque est ratio seminalis, alia est causalis, alia primordialis, alia obedientialis. Ratio seminalis dicitur qualitas actiua existens in semine; ratio causalis dicitur virtus actiua agentis; ratio primordialis dicitur potentia à primordio indita elementis mundi, ad hoc vt ex ipsis fierent corpora mixta: ratio denique obedientialis dicitur potentia cuiuscunque creaturæ ad sustinendum influxum diuinæ voluntatis, & potentiæ; ergo si in elementis non fuit ratio seminalis, sed primordialis; consequens est, quod nec productæ sint Animæ omninò de nihilo, nec ratione seminali, sed primordiali, & obetientiali, ac proinde sunt à Deo, & ab elementis quadam ratione peculiari.

Arg. cont. 1. concl. pisces, & aues componuntur ex quatuor elementis, & in eis maximè dominatur terra, corpora namque illorum naturaliter mouentur ad terram, ergo non conuenienter dicuntur producti fuisse ex aquis.

Resp. conc. ant. & neg. conf. Pisces siquidem, & aues cum dicuntur fieri ex aquis, intelliguntur fieri ex quatuor elementis, quia sumitur ibi aqua generaliter pro natura elementari.

Arg. 2. Sicut pisces mouentur in aquis, sic aues in aere, ergo sicut pisces sunt ex aquis, ita aues ex aere; ergo non conuenienter dicuntur producti ex aqua.

Resp. vt supra. Nam aqua sumitur pro natura elementari, ex qua pariter constant Aues, sicut pisces.

Arg. 3. In Genesi cap. 2. sic habetur; *Formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus Cæli*; ergo de terra producta sunt animantia terræ; & volatilia, & non

de

de aquis. Resp. quod nomine humi hic comprehenditur etiam aqua tanquàm elementum crassum, quod cum terra vnum constituit globum, prout sumitur in principio capitis.

Arg. 4. Multa sunt animalia venenosa, & nociua homini, sed nihil homini nociuum produci debuit ante peccatum ipsius hominis; ergo non conuenienter producta sunt huiusmodi animalia sexta die ante productioné hominis.

Resp. dist. mai. Post peccatum sunt multa animalia homini venenosa, & nociua conc. ante peccatum neg. mai. Nam citra peccatum bestiæ sua feritate, & veneno non nocuissent hominibus: Immò ipsa quoque venenata in se bona, & pulchra sunt, & ad medicinas, aliosque vsus humanos; sic enim ex vipera fit theriaca &c. vt sapienter discurrit D. Aug. lib. de Gen. contra Manichæos cap. 16. Quare etsi etiam inter ipsas feras, & bestias sit naturalis antipathia, v.g. inter ouem, & lupum; ex hominis tamen inobedientia factum est, quod vna bestia alteri sit in cibum; ac proinde ad naturalem institutionem pertinere, vt omnes bestiæ vescantur herbis, vt indicatur Gen. 1. ita Herincx, & Pererius cum communi; etsi Cornelius à lapide cum nonnullis oppositum teneat; nempe ex naturali antipathia, lupum v.g. mortem fuisse illaturum oui, cum per peccatum hominis nihil circa naturam animalium sit immutatum.

Quæres 1. Quid intelligatur per cete grandia?

Resp. quod hebraica vox significat, dracones marinos; ideft belluas marinas. Nam Draconum nomine vt notat Herincx, etiam grandes pisces appellari, patet ex Psal. 73. & 148. & Ezechiel. 32. Expressit autem Interpres Cete grandia, quia in ijs maximè cernatur prodigiosa magnitudo: Sunt enim adeò magni, vt dum fluctibus supernatant, quasi insulæ, aut montes appareant iuxta D. Basil. & Ambros. Et Plinius lib. 9. cap. 3. relatus ab Herincx scribit in Mari Athlantico, seu Indico esse balenas quaternorum iugerum, ideft. 960. pedum, & anguillas in Gange Flumine indico trecentorum pedum.

Quæres 2. An animalia imperfecta sint creata sexta die.

Resp. cum Herincx; quod animalium imperfectorum, quædam nascuntur ex commixtione seminum diuersæ speciei;

ciei; v. g. mulus, leopardus. & similia, quæ quotidiè oriri possunt noua ex noua aliarum,& aliarum specierum commixtione; vnde in Aphrica quotidiè noua nasci monstra dicuntur iuxta illud vulgatum. *Semper aliquid noui affert Aphrica;* & hæc animalia non debuerunt sexta die produci, sed sufficienter creata censentur potentialiter. Accedit commixtionem hanc esse adulterinam,& præter naturam, ideòque vetitam Iudęis leuit. cap.19. Quædam autem nascuntur ex putrefactione. De quibus plures censent non esse primitùs producta, nisi potentialiter; quod saltem de vermibus hominem infestantibus, & similibus,quę de corporibus animalium præsertim mortuorum gignuntur omninò dicendum est; *absurdum enim apparet* ait D. Aug lib.3. de Gen. ad litt. cap. 14. *ista esse animalibus concreata*.

Quæres 3. An reuerà Deus post Vniuersi productionem cessauerit ab omni opere, vt significare videtur Moyses cap. 2. his verbis. *Compleuitque Deus opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.*

Resp. D. Bonau. quod duplex est vniuersi perfectio: vna secundùm esse permanens, alia secundum esse decurrens. Prima attenditur in completa existentia principiorum, & completo numero specierum, quæ quidem species naturam generis participant secundum rectam, ac ordinatam intentionem naturæ. Secunda verò perfectio consistit in productione eorum, quæ per tempora decurrunt, & sibi ipsis consequenter succedunt, ex cuius successionis ordinatione resultat quædam vnitatis pulchritudo, & perfectio. Quoniam igitur secundùm primam perfectionem Deus vniuersum in sex diebus ad esse produxit, scilicet quantum ad completam existentiam principiorum, & quantum ad completum numerum specierum, ideò dicitur requieuisse ab omni opere, quod patrarat. Quia verò continuè operatur ad rerum successionem per propagationem, indiuiduorum multiplicationem: ideò dicitur operari vsque modo. Et D. Thomas respondendo quæstioni, an consumatio operum Dei facta fuerit septimo die ait. Quod completio naturæ est duplex. Vna per integritatem partium Vniuersi; & hæc pertinet ad sextam diem. Alia per operationem ipsarum partium vniuersi, & hæc pertinet ad septimam diem &c.

TRACTATVS TERTIVS DE ACTIBVS HVMANIS,

DISPVTATIO I.

De principijs elicitiuis actus humani.

QVÆSTIO I.

Vtrum intellectus sit principium elicitiuum actus humani, adeout voluntas sine illustratione intellectus nequeat elicere actum volitionis.

NOt. 1. Quòd alia sunt principia allicitiua, & alia elicitiua: prima sunt, quæ alliciunt voluntatem ad volendum, & sunt tria, nempe bonum finis, & beatitudo, de quibus alibi aliqua tacta sunt: posteriora sunt, quæ concurrunt, vt actus humanus eliciatur ab homine. Istorum autem principiorum alia dicuntur indirectè elicitiua, quatenus non influunt physicè causando actum humanum, & alia sunt elicitiua directè formaliter, & causaliter; & sic sola voluntas dicitur causare actus humanos. Insuper inter principia indirecta, alia sunt intrinseca, vt intellectus, qui proponit obiectum voluntati, vt circa illud operetur, & appetitus sensitiuus, qui aliqualiter mouet, & compellit voluntatem, vt bonum sensibile prosequatur. Alia sunt extrinseca, quæ licet sint extra agens, tamen concurrunt aliquo modo ad actiones illius, sic sunt Deus, Angeli, Cœli, & astra, de quibus infrà.

Not. 2. Quòd actus humanus non sumitur hic pro qualibet hominis actione ipsi, & brutis communi qualis est deambulatio, visio, nutritio &c. neque pro qualibet actione soli homini competenti, qualis est discursus in somnijs, vel per inaduertentiam, vel ex surreptione, sed sumitur

pro

pro ſola actione libera, ac deliberatè elicita, vel imperatà à voluntate, quæ ſic communiter deſcribitur: Actus humanus eſt actus voluntatis, ſeu omiſſio eius deliberatè procedentis cum cognitione finis. Qui quidem actus dicitur eſſe moralis ſumpta denominatione à moribus. Quarè actus humanus, ſeu moralis diuiditur in bonum, & malum; tunc eſt bonus, quando eſt conformis dictamini recto, ac legibus diuinis, tunc verò malus, quando diſcordat à ratione, & à diuinis legibus, loquendo in ſenſu theologico, vt ad præſens ſpectat, nam de bonitate morali ſimpliciter agunt Philoſophi in libris Ethicorum.

Concl. Intellectus eſt principium indirectum, & intrinſecum, ſine cuius illuſtratione, & motione voluntas nequit ſuos actus elicere. Hæc eſt communis. Prob. ex axiomatibus ab omnibus receptis. Ignoti nulla cupido. Nil amatum, niſi præcognitum. Voluntas non fertur in incognitum. Vnde D. Aug. ait: *inuiſa amare poſſumus, incognita nequaquam*, & D. Bonau. 2. d. 25. q. 6. *Nequaquam enim poſſumus amare niſi cognoſcamus*; ex qua ſententia liquido patet, quod falsò D. Bonau. tribuitur, docuiſse in Theologia myſtica, amorem perfectiſſimum, quem vocant extaticum, poſſe elici ſine obiecti cognitione; ſed de hoc aliquid infra dicetur. Prob. 2. Voluntas non poteſt agere, niſi obiectum ſit illi præſens in ratione obiecti, ſed nequit obiectum in ratione obiecti, ideſt boni, eſſe præſens, niſi ab intellectu cognoſcatur ſub tali ratione: ergo &c.

Prob. 3. Volũtas ſuo obiecto nullum eſſe tribuit, ſed ſola propenſione in illud tẽdit; ergo obiectũ ſemper præſupponitur in intellectu ſecundũ eſſe obiectiuum, ſeu cognitum.

Arg. contra concluſionem. Si obiecti cognitio exigeretur maximè ad illuminationem voluntatis, quæ tendere nequit in obiectum incognitum, ſed voluntas non poteſt illuminari, quia de ſui natura eſt potentia cæca, ergo obiecti cognitio non exigitur. Reſp: conc. mai. & diſt. min voluntas non poteſt illuminari per ſe, quaſi percipere valeat obiectum inſtar intellectus, conc. non poteſt illuminari identicè, hoc eſt quatenùs voluntas identificatur cum intellectu cognoſcente, nego minorem; intellectus namque cognoſcendo obiectum, illud proponit voluntati, & in hoc ſenſu illuminat voluntatem, quæ

nequit acceptare, vel respuere obiectum, nisi praenoscatur.

Cont. arg. Si obiecti cognitio est necessaria ad inchoationem volitionis non est tamen necessaria ad eiusdem continuationem; ergo voluntas potest aliquo modo tendere in obiectum absque praeuia actuali cognitione: patet ant. ex doctrina, quam tradunt Theologi mysti de contemplatiuis, qui, dum extatico amore inflammantur, non aduertunt suum intellectum aliquid de Deo cogitare. At haec instantia tangit specialem difficultatem, quae exigit responsionem sapientialem, & prolixam, ideoque opus est quaest. sequentem instituere.

QVÆSTIO II.

Vtrum Anima possit Deum actualiter diligere sine aliqua praeuia cognitione intellectus, vel sensus.

NOt. 1. Quòd huic quaestioni occasionem dedit D. Dionys. qui in sua theologia mystica cap. 1. iubet in sapientia mystica derelinquere omnes sensus, & omnes intellectuales operationes, & ignotè consurgere ad amandum Deum; non tamen excludit in homine fidei cognitionem, immò eam supponit, accedentem enim ad Deum oportet credere, eandem doctrinam Dionysij refert, & approbare videtur D. Bonau. cap. 7. Itinerarij mentis in Deum.

Not. 2. Quòd in Anima nostra duplex est modus apprehendendi Deum, secundùm duplicem potentiam. Primus est per potentiam intelligendi. Secundus est per potentiam amandi; vnde per intellectum apprehendimus veritatem, & per voluntatem attingimus Dei bonitatem, & secundum hoc duplex est via excellentiae, vna in intellectu, quae dicitur contemplatio; alia in affectu, quae dicitur ardor amoris, & prima significatur per Rachelem pulchram, & secunda per Mariam Magdalenam ardentem secundum expositionem nostri eruditi, & deuotissimi Patris Antonij de Monelia in commentarijs super theologiam mysticam D. Dionys.

Not. 3, Quòd duobus modis formari potest contempla-

tio, vno modo ascendendo ab inferioribus ad superiora, alio modo descendendo à superioribus ad inferiora. Similiter duplex est modus attingendi ad amorem Dei ardentem. Alter scholasticus, qui est per modum inquisitionis, & eleuationis, ascendendo ab inferioribus vsque ad summum principium. Alter mysticus, & secretus, idest, quando Anima omnia sensibilia, & intelligibilia derelinquens à summo incipiens, vnitur ipsi Deo per flammigerum, & ardentissimum amorem. Ita extaticus Monelia loco citato.

Not. 4. Quod in theologia mystica aliter se habent proficientes, aliter perfecti; Nam perfecti omni cogitatione dimissa ad vnionem Dei dilecti per ardentissimum amorem consurgunt iuxta id, quod docet D. Dionys. Proficientes autem postquam sunt à vitijs per humilitatem, & contritionem purgati, & per studium orationis illuminati, præuia mediatione, vel cogitatione paulatim in Dei amore igniuntur: his prænotatis sit.

Concl. In mystica Theologia, quæ à D. Dionys. & à Monelia appellatur sapientia Christianorum, amor cognitionem præcedit. Hæc est Antonij de Monelia in Commentarijs Theologiæ mysticæ D. Dionis. & probat primò sic. Anima in Ecclesia militanti recipiens suas perfectiones à Deo, imitatur Ecclesiam triumphantem, sed ordo seraphim, qui interpretatur ardentes, vel amantes prius recipiunt, & abundantius suam perfectionem à Deo, quàm Cherubim, qui dicuntur plenitudo scientiæ; ergo Anima in mystica Theologia potest prius recipere perfectionem suæ voluntatis scilicet amorem, quam perfectionem sui intellectus scilicet notitiam, ergo potest esse amor sine cognitione. Prob. 2. Anima rationalis potest priùs recipere à Deo influentiam in illa potentia, quæ est Deo propinquior, quam in illa quæ est Deo remotior, sed voluntas per amorem disposita est Deo propinquior, quam intellectus, ergo prius potest in sua potentia volitiua Dei amorem recipere, quàm in suo intellectum Dei cognitionem, ergo potest esse amor sine cognitione.

Prob. 3. auct. D. Dion. qui in 7. de Diuin. nomin. vocat istam sapientiam irrationalem, amentem, & stultam; ergo ista sapientia non dirrigitur præuia ratione, vel mente,

te, vel cogitatione, ergo ipsa priùs est in voluntate per amorem, quam in intellectu per cognitionem, ergo &c.

Confirm. Nam Psalmista dicit *Gustate & videte quam suauis est Dominus* ergo prius est gustus voluntatis, quàm visio intellectus, ac proinde prius amor, quam cognitio. Vnde secundum D. Bonau. hæc est regula generalis in mystica Theologia, quod primò oportet habere practicam, quam Theoricam, idest vsum exercitij in corde, quam ipsius rei, vel eorum, quæ dicuntur habere notitiam, ergo prius potest esse amoris gustus, quàm visionis, vel cognitionis intuitus. Exemplum videmus, inquit Monelia, quod in Pontis fabricatione à pricipio supponũtur ligna ad ipsum sustentandum, quia adhuc debilis est, sed, solidata muri structura, ligna cuncta submouentur, & abijciuntur, ita in proposito &c.

Arg. cont. conc. Ecclesia militans imitatur triumphantem, ergo Anima volens ad diuinum amorem per contemplationem consurgere debet imitari supremam Hierarchiam Angelorum contemplantium, & amantium; sed in illa primò sunt troni, secundò Cherubim, tertiò Seraphim, ergo Anima, quæ vult ascendere, primò debet esse quieta sicut tronus, secundò illuminata sicut Cherubim, tertiò inflammata sicut Seraphim, ergo ante amorem præcedit cognitio, & illuminatio. Resp. conc. mai. cum seq. & dist. min. Via scholastica, & ascensionis concedo: Via mystica, & descensionis, nego min.

Arg. 2. Anima per amorem consurgere volens imitari debet mentes beatas; sed mentes beatæ prius vident diuinam bonitatem, quam ament, ergo Anima prius debet intelligere &c. Resp. neg. paritatem, & ratio est, quia ideo in beatis intellectio, & cognitio precedit amorem, eo quod in eorum intellectu non cadit aliquod inpedimentum, cum videant Deum sicuti est. At intellectus viatoris etiam si desuper illuminetur, tamen Deum modo finito, & limitato apprehendit; ac proinde omnis nostra cognitio est obscura, & impura; vnde D. Dionys. iubet in mystica consurrectione ad Deum omnem cognitionem excludi, quia etsi Deus sit totus desiderabilis, non tamen est totus comprehensibilis, vt ostensum est in quæstione de incomprehensibilitate Dei in disp. de visione beatifica part. 1.

Arg.

Arg. 3. Sensus noster prius apprehendit aliquid antequàm appetat illud ergo vis rationalis nostra prius aliquid apprehendit, antequàm voluntas amet, ergo priùs est cognitio, quam amor. Confirmatur auct. D. Aug. *Inuisa diligere possumus, incognita nequaquam*: & etiam auctoritate S. Scrip. nam psalmista dicit. *In meditatione mea exardescet ignis*, ergo antequam Anima in dilecti amore inardescat, debet de dilecto præmeditari, & cogitare, ergo &c.

Resp. veram esse mai. de sensu, non vero de vi rationali, quæ duplici modo Deum per amorem attingere potest, nempe secundum modum communem, & scholasticum, & secundum modum singularem, & mysticum. Ad auct. D. Aug. dicitur, quod mystica Theologia præsupponit cognitionem fidei, & ipsius Dei, licet in actu consurrectionis non consideret. Ad illud Psalmi, dicitur intelligi de proficientibus, qui prius opus habent de Deo meditari, antequam amore inardescant; non autem de perfectis in Dei amore ardentissimè habituatis.

Cæterùm si maturè ponderemus rationes allatas pro, & contra colligere possumus modum componendi presentem controuersiam inter Theologos speculatiuos, & mysticos. Etenim meo videri asserunt mystici, quod dum Anima extatica vnitur obiecto diuino per ardentissimum amorem; intellectus actualiter non reflectit super talem contemplationem, quia quodammodo absorbetur ab actu perfectiori, nempe ab amore, non tamen excludunt cognitionem, immò, exigunt cognitionem Dei per fidem; Itaque dicerem virtualiter præcedere semper, imò & actualiter cognitionem, quàmuis Anima extatica non reflectat tunc super suam contemplationem: eò quia si in beatis prius est notitia seu visio beatifica, quàm amor beatificus, à fortiori in viatoribus præcedere debet cognitio præuia obiecti diuini amati, hoc tamen discrimine, quod in beatis voluntas fruendo Deo, non impedit intellectum, quin eliciat visionem sibi correspondentem; in viatoribus verò non sic, cum intellectus in intelligendo dependeat à phantasmatibus, vel si independenter à sensibus illustretur à diuino lumine, tamen impeditur aliquo modo eius perfecta actio intellectionis, reflexionis, ab amore, cuiusui Deo adhæret, & in Deum spiritualiter trasfor-

trasformatur. Amor enim est vis transformatiua amantis in amatum, vt habet communis axioma Philosoph. Theologicum, idq; prouenit, ex eo quod in intelligendo dependemus à phantasmatibus, quæ percipi nequeunt nisi intellectus ad illas conuertatur. Secùs autem de intellectu beato, qui cum non sit sensibus alligatus, independenter à phantasmatibus intelligit, & intuetur obiectum infinitum, & beatificum.

Quæres. An voluntas possit plus amare, quàm intellectus intelligat. Resp. quod, si ly plus importet extensionem obiectorum, voluntas planè nequit plura obiecta amare, quam intellectus intelligat, iuxta axioma commune; inuisa amare potest, incognita nequaquam, at si ly plus importet intensionem actus, indubiè potest voluntas circa obiectum remissè cognitum tendere actu intensiori.

QVÆSTIO III.

Vtrum intellectus moueat voluntatem per aliquod imperium, vel per simplicem cognitionem, vel per iudicium.

NOt. 1. Quòd in quacumque potentia, quæ potest habere actiones voluntatis, requiritur duplex motio, seu determinatio ad agendum. Prima fit ab obiecto conuenienter proposito; secunda fit in nobis à voluntate, & in brutis ab appetitu, inter istas autem motiones hæc intercedit differentia, quod motio obiecti dicitur quoad specificationem; actus enim ab obiecto sumit speciem, & determinationem, posterior verò motio dicitur quoad exercitium, seu quoad efficientiam, nam exercitium operis semper prouenit, vel quia facultas vult se applicare ad illud, vel quia causa superior applicat illam, & per concursum vtriusque aliquid efficiunt. Ex quo patet, quod intellectus mouet, & determinat voluntatem quoad speciem, quia proponit obiectum, at voluntas mouet, & determinat se quoad exercitium in generæ causæ efficientis, mouet autem intellectum, & potentias inferiores per applicationem, quia ita sunt institutæ à natura, vt obediant voluntati.

Not. 2. quod Thomistæ præter simplicem apprehensionem, iudicium, & discursum addunt quartum, quem vocant actum imperij distinctum à cognitione, & iudicio, & explicant his verbis, fac hoc, vel non facias hoc; ac proinde dicunt, voluntatem per hunc actum determinari quoad exercitium. Verùm iste quartus actus sine fundamento videtur poni; cum actus intellectus adequati diuidantur in tres actus, vt docent Philosophi. Alij verò opinantur, quod, licet non detur in intellectu imperium distinctum à cognitione, admittendum tamen est quoad practicum iudicium, à quo hic, & nunc voluntas determinetur quoad exercitium, adeòut ipsa non possit non operari, quia habet tale iudicium necessariam connexionem cum voluntate.

Not. 3, quod duplex iudicium communiter solet poni in intellectu, speculatiuum scilicet, & practicum. Primum consistit in sola contemplatione obiecti, v. g. dum intellectus iudicat, virtutem esse honestam, vitium verò turpe; & huic iudicio correspondet in voluntate amor simplicis complacentiæ, vel displicentiæ odium. Secundum consistit in directione voluntatis, & est duplex, nempe iudicium practicum simpliciter, & vniuersale, quod dictat simpliciter voluntati, bonum esse amandum, & malum fugiendum, & iudicium practicè practicum, seu particulare, quo intellectus iudicat, & dictat voluntati, hic, & nunc, pensatis omnibus circumstantijs, tale bonum esse prosequendum, & istud adhuc diuiditur in absolutum, & conditionatum, vt si quis recuperare vult sanitatem, debet medicinam sumere &c.

I. Concl. Intellectus mouet voluntatem, tum quoad speciem, tum quoad exercitium, non physicè, sed moraliter. Hæc est Scoti in secundo quoad omnes quatuor partes. Prob. prima, & tertia pars. Illa facultas aliam ad operandum mouet, & allicit ad agendum, quæ illi proponit obiectum, vel prosequendum, vel fugiendum, etsi ei non proponeretur non ageret, sed compertum est, id ab intellectu præstari voluntati, quia, vt supra ostensum fuit, voluntas non tendit in incognitum: ergo &c. Ex quo constat, intellectum mouere voluntatem quoad exercitium, seù quoad elicitionem actus, qui enim mouet ad

obie-

obiectum possidendum, mouet pariter ad actionem, qua tale obictum obtineri potest; Hæc tamen motio non est physica, sed moralis, & dicitur etiam remota, cum non determinet proximè voluntatem ad agendum, sed ipsa voluntas se proximè mouet, ac proinde physicè se determinat quoad exercitium. Prob. 2. pars, moueri quoad specificationem est moueri ad exercendum actum diuersæ speciei ab alio, sed intellectus mouet voluntatem ad diuersos actus specie distinctos, puta, amoris, vel odij, auaritiæ, vel liberalitatis ergo &c.

Prob. 4. pars. Intellectus nullo modo est causa efficiens, & physica actionum voluntatis, ergo non potest ipsam mouere physicè influendo in voluntatem, vel in eius actionem. Prob. ant. Posito causæ partialis physicè operantis influxu, ponitur & effectus, sed, posita intellectus motione, non ponitur necessariò operatio voluntatis, quia, positis quibuscumque ad agendum requisitis, voluntas adhuc remanet indifferens ad agendum, vel non agendum: ergo concludendum est quod intellectus non mouet voluntatem physicè, sed solum moraliter, quatenùs ei ostendit obiectum, & dictat, quid, & quomodo circa ipsum agendum, vel non agendum sit.

II. Concl. Voluntas moueri potest per quodlibet iudicium siuè speculatiuum, siue practicum; vniuersale, & particulare: Est Scoti in 2. dist. 7. quest 1. Prob. quoad 1. part. Si aliquod iudicium ad hanc motionem non esset sufficiens, maximè speculatiuum; sed hoc sufficit, ergo &c. mai. patet; nam per iudicium speculatiuum non minus voluntas mouetur, quàm per quodlibet aliud, min. prob. de qua est difficultas. Faciliùs voluntas mouebitur ad aliquem actum per solum iudicium speculatiuum, quàm moueatur per iudicium oppositum, quod à tali actu eam auertit eliciendo, sed voluntas moueri potest ad aliquem actum, etiam premisso iudicio opposito, ergo voluntas moueri potest per iudicium speculatiuum: maior est clara, quia, etsi voluntas per iudicium speculatiuum non moueatur ad actum expresè, non tamen ab eodem eliciendo auertitur, & dissuadetur, at per iudicium oppositum ab eodem actu ponendo diuertitur. Prob. min. Experientia constat; quod propositis duobus obiectis bonis, quorum vnum ho-

nestum est, parti autem inferiori non arridens; aliud turpe, sed eidem parti conueniens, experientia, inquam, constat, sæpius voluntatem eligere turpe, honesto relicto, iuxta illud: Video meliora, proboque, deteriora sequor. Hinc homines contra propriam conscientiam plerumque peccant, dum aliud suadet rectum dictamen rationis, aliud libera voluntas eligit, & amplectitur.

Prob. 2. Appetitus sensitiuus sufficienter mouetur per solius phantasiæ apprehensionem, quia phantasia non est iudicatiua, sed solum apprehensiua, ergo à simili sufficiens erit apprehensio alicuius boni, aut mali, ad hoc vt intellectus moueat voluntatem.

III. Concl. Non datur imperium, seu iudicium practicum in intellectu, quo posito determinetur voluntas quoad exercitium; hæc sequitur ex dictis in 1. & 2. conc. contra Thomistas, eamque docet Scotus in 2. dist. 25. q. 1. cui subscribuntur quamplures Recentiores.

Prob. Hoc imperium, seu iudicium practicum, vel est naturale, vel liberum; si est liberum datur processus in infinitum; si est naturale pugnat cum libertate, ergo non est admittendum. Prob. ant. quoad 1. part. Etenim, si est liberum, debet esse liberum imperatiue à voluntate; intellectus enim non dicitur liber nisi radicaliter, quatenus proponit obiecta indifferenter, ergo illa volitio, quæ determinat intellectum ad illud imperium, vel erit ex alio priori iudicio imperante, vel non; ergo datur processus in infinitum inquirendo de illo priori iudicio, an sit liberum.

Prob. quoad secundam partem. Potentia libera est, quæ positis &c. potest agere, & non agere, è contra naturalis positis requisitis ad agendum, non potest non agere, sed posito illo imperio efficaciter impulsiuo, non potest voluntas non agere, tollitur enim indifferentia illius; ergo tale iudicium pugnat cum libertate, ergo non est admittendum.

Arg. cont. 1. Concl. Voluntas ex dictis est potentia cæca, ergo percipere nequit res ab intellectu propositas, & proinde intellectus non mouet voluntatem.

Resp. disting. conf. Percipere nequit per intellectum, & operationem cognitiuam conc. conf. per indentificationem cum potentia cognoscente, & per subordinatio-

nem,

nem, quæ est inter appetitiuam, & cognoscitiuam, nego. Voluntas enim non recipit aliquid in se ex eo, quod intellectus ei proponit obiectum, sed illa operatur circa illud per tendentiam, & propensionem, vel per fugam.

Arg. prob. quod intellectus agat phisicè in voluntatem. Potentia subordinans infiuit physicè, & efficaciter in potentiam subordinatam, sed voluntas est subordinata intellectui: ergo &c. Resp. neg. suppositum in mai. Nam efficientia moralis sufficit ad saluandam subordinationem, vt patet de domino respectu sui serui.

Dices. Intellectus complet actiuitatem voluntatis, quę est causa realis sui actus, ergo physicè concurrit. Resp. dist. ant. complet actiuitatem voluntatis, quatenus eius operatio, seu intellectio est conditio sine qua non agat voluntas, conc. ant. in ratione causæ physicę, nego; Quia sic se habet tanquam causa moralis, ostendendo, dictando &c.

Arg. Voluntas non potest tendere in aliquod obiectum, nisi sub ratione conuenientis, neque illud respuere, nisi sub ratione disconuenientis; sed sic tendere est agere modo morali, & ex iudicio practico; ergo voluntas non per quodlibet iudicium moueri potest.

Resp. conc. mai. & disting. min. Agere modo morali est agere ex iudicio practico, vel formaliter, vel virtualiter, conc. min. formaliter semper neg. min. Siquidem clara, & euidens obiecti apprehensio, vt conuenientis, vel disconuenientis est iudicium virtualiter practicum, quia æquè euidenter obiectum voluntati exhibet, ac exhiberet iudicium ipsum practicum formaliter, cum ab ea obiecti apprehensione iudicium accipiat omnem suam euidentiam, & claritatem.

Arg. 2. Arist. dicentis in 3. de Anima quod intellectus speculatiuus non mouet voluntatem: ergo &c.

Resp. dist. ant. non mouet æquè directè, & efficaciter, ac iudicium practicum, concedo: indirectè, hoc est quatenus non solum speculatur, sed etiam prout speculatur aliquod obiectum conueniens, & disconueniens neg. Aristot. intelligendus est in secūdo sensu, non verò in primo.

Quæres 1. An Deus de potentia absoluta possit producere in voluntate actum, puta, amoris alicuius obiecti absque cognitione eiusdem obiecti.

 Resp.

Resp. posse Deum in sententia Scoti, vt dictum fuit in disp. de beat. p. 1. producere actum in potentia vitali, ac proinde etiam in voluntate in genere entitatiuo, seu qualitatis. An verò possit voluntas circa obiectum operari absque præuia, vel aliqua cognitione, respondent communiter Doct. negatiuè. Ratio est. Quia sic posset aliquis sine vlla cognitione benè agere, & malè, mereri, & demeri. Tum quia nequit intelligi, quomodo voluntas tenderet in obiectum, si necessariò præexigit, quod ab intellectu obiectum ostendatur, sine qua ostensione est impossibile voluntatem circa illud operari. Quarè si Deus faceret, quod voluntas ageret in obiectum, quod non cognosceret intellectus, illud non esset prorsus ignotum, in hoc enim casu Deus se solo produceret notitiam obiecti, non quidem vt actum vitalem, qui est à principio coniuncto, sed in genere tantum qualitatis.

Quæres 2. An voluntas prauè determinetur, vel peccet ratione alicuius præcedentis erroris in intellectu.

Resp. Quod licet voluntas possit velle, & nolle contra rationem, seu contra dictamen rationis ex vi suæ plenæ libertatis. Nihilominus nunquàm in peccatum labitur, quin in intellectu præcedat aliquis defectus, seu inconsideratio motiuorum, quæ si adessent, voluntas se abstineret ab operatione peccaminosa, & praua. Nam multoties voluntas peccat, reclamante conscientia, & sine falsa enuntiatione cognoscendo malitiam obiecti, ergo defectus est inconsiderantiæ Siquidem si quis attente consideraret tot, tamque vrgentes rationes, planè non peccaret, estò posset, non obstante tali consideratione, peccare; Quare meritò ait Arist. lib. 3. cap. 3. Eth. Omnis peccans est ignorans iuxta illud Prouerb. cap. 14. *Errant, qui operantur malum.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum appetitus sensitiuus moueat immediatè voluntatem.

NOt. 1. Quòd appetitus sensitiuus rationalis, de quo hìc agitur est duplex, nempè concupiscibilis, & irasci-

ſcibilis, primus fertur in bonum delectabile, ſecundus in bonum arduum. Vterque habet duplicem actum, nimirum proſequtionis, quo proſequitur bonum ſenſibile; & fugæ, quo malum ſenſibile refugit. Appetitus concupiſcibilis habet ſex paſſiones, ſeu proprietates, & ſunt amor, odium, deſiderium, & fuga, gaudium, & triſtitia. Appetitus verò iraſcibilis, quinque, & ſunt ſpes, deſperatio, audacia, timor, & ira. Qui quidem appetitus non ſunt inter ſe contrarij, immò iraſcibilis datur in adiumentum concupiſcibilis, ad hoc vt poſſit bonum arduum aſſequi, & malum generosè reſpuere.

Not.2. Quòd intelligi poteſt duobus modis, ſenſum mouere voluntatem, ideſt vel directè, vel indirectè; tunc dicitur aliquod mouere directè, quando immediatè, & abſque vllo medio mouet, tunc autem indirectè, quando non immediatè, ſed mediatè, & per aliud mouet, quod etiam militat de obiecto in ordine ad intellectum, priùs enim obiectum mouet potentiam internam, ſeu phantaſiam, quàm intellectum &c.

Concl. Appetitus ſenſitiuus mouet voluntatem indirectè. Eſt communis, eſt tamen contra doctiſſimum Fraſſen, qui in ſua Philoſophia opinatur, ſenſum mouere voluntatem, nedum indirectè, ſed etiam directè, adeout voluntas ad phantaſmatum præſentiam moueatur circa talia obiecta independenter à qualibet intellectus illuſtratione, & operatione. Prob. noſtra conc. auct. Sac. Scrip. quoad 1. part. nimirum appetitum mouere voluntatem. Sapient. c. 3. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat Animam*. Daniel. 13. *Concupiſcentia ſubuertit cor tuum*: D. Paul. ad Galatas; *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*, & denique Iacob. cap. 1. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus &c* idem docent SS. Patres, & experientia quotidiana in nobis comprobatur. Vnde D. Paul. de hoc conquerens aiebat. *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, hoc facio*. Quibus verbis apertè teſtatur, quod pars ſenſitiua Animæ multà bona impedit, quæ elicere vellet pars rationalis.

Prob. conc. quoad 2. part. Potentiæ inferiores diuerſi ordinis nequeunt per ſe, & directè mouere ſuperiores; ſed ſic ſe habet appetitus ſenſitiuus reſpectu voluntatis; ergo

 ap-

appetitus sensitiuus non mouet per se, & directè voluntatem. Tum quia voluntas est potentia spiritualis, appetitus sensitiuus potentia materialis, quæ essentialem habet ordinem ad potentias superiores, vt sensus externus ad intellectum qui non potest ab eo immediatè moueri.

Arg. Frassen. Nulla potentia potest mediare inter appetitum sensitiuum, & voluntatem præter intellectum; sed appetitus sensitiuus inducit frequenter voluntatem ad aliquem actum sine interuentu intellectus; ergo appetitus sensitiuus per se, & directè mouet voluntatem. Min. prob. Nam voluntas elicit plures actus secundum inclinationem appetitus sensitiui absque vlla media illustratione intellectus, vt constat de primis motibus, iræ ergo &c. Resp. neg. min. Ad probat. neg. suppositum ant. quia licet in primis motibus non adsit iudicium perfectum rationis, est tamen in intellectu aliqualis cognitio, quæ non est sufficiens, vt actio sit propriè libera.

Cont. Primi motus procedunt ex simplici apprehensione, in qua non est iudicium; ergo &c. Resp. conc. ant. ex hoc tamen non sequitur, quòd non adsit aliqualis cognitio de illis in intellectu, ac proinde in voluntate aliqualis motio subitanea in obiectum subitò propositum.

Contra vrget Frassen. Voluntas sæpè sæpiùs se auertit à dictamine intellectus dictantis aliquod malum non esse faciendum, & tamen sequitur id, quod ei proponit concupiscentia; ergo pro tunc mouetur directè à cōcupiscentia.

Resp. conc. ant. & neg. conf. eò quòd, licet voluntas se auertat à dictamine recto, non tamen se auertit à communi dictamine intellectus ostendentis voluntati obiectum sub vtraque ratione idest bòni, & mali, estò enim malum non habeat rationem boni honesti, habet tamen rationem boni delectabilis respectu concupiscentiæ.

QVÆSTIO V.

Vtrum voluntas moueatur ab aliqua causa extrinseca ad suos actus eliciendos.

NOt. Quòd quinque sunt causæ extrinsecæ, à quibus nostra voluntas potest moueri ad agendum, nempe Deus,

Deus, Angeli, astra, obiectum, & finis: de Deo, & Angelis, nec non de obiecto alibi ostensum est quid sentiendum sit. Verùm quia Deus consideratur à Metaphisico vt est omnium entium primum, & præstantissimum; & à Phisico, vt est primus motor, & auctor; & deniqueà Theologis speculatiuis vt auctor gratiæ, & gloriæ, à Theologis verò moralibus consideratur Deus quatenus est principium externum actionum humanarum. Quare Deus dici potest causa actionum humanarum dupliciter; primò in genere causæ finalis, quatenus scilicet est earumdem actionum finis vltimus voluntatem alliciens ad sui consecutionem per amorem, & fruitionem: 2. in genere causę efficientis, vel concurrendo physicè ad omnes voluntates sicut ad actiones etiam agentium naturalium, vt in physica dictum fuit agendo de prima causa: vel concurrendo tantum moraliter, hoc est alliciendo voluntatem ad operandum suasionibus, inspirationibus, & de hoc concursu agitur hìc.

I. Concl. Deus mouet voluntatem moraliter ad actus supernaturales, & meritorios, hæc est omnium Catholicorum. Prob. 1. auct. S. Scrip. D. Paulus ad Philipenses 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*. Ioan. c. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*. Et Ioan. c. 15. *Sine me nihil potestis facere*. Prob. ratione, & breuiter, quia de hoc latè agetur in tract. de gratia. Inter potentiam, & actú requiritur proportio; sed non est proportio inter vires naturales potentiæ volitiuæ, & actus supernaturales; ergo vt voluntas sit capax eliciendi tales actus debet necessariò eleuari per auxilium aliquod supernaturale, quo mouetur, excitatur ad operandum supernaturaliter, & meritoriè eleuatur. Constat enim, quod Deus præuenit voluntatem per bonas inspirationes, concurrit cum illa ad actiones meritorias per habitus infusos, & per auxilia specialia, & denique causat in corpore, & in phantasia tales dispositiones, vt voluntas suauiter moueatur. Cæterùm obseruandum, quod in hac probatione includitur etiam concursus Dei, vt Auctor gratiæ, & gloriæ, non solum moralis, vt indicatur per inspirationes &c. sed etiam effectiuus. Si quidem per specialia auxilia, & per habitus infusos concurrit effectiuè Deus cum voluntate ad actus supernaturales eliciendos.

II. Concl. Angeli nequeunt directè mouere voluntatem, sed solum indirectè, vt in tract. de Angelis ostendimus. Quare breuiter sic probatur. Si Angeli mouerent voluntates nostras directè, vel illas mouerent contra naturam, vel secundum naturam. Non primo modo, quia tunc cogeretur voluntas, quæ, vt infra dicetur, nec à Deo cogi potest. Neque secundo modo, quia motus naturalis alicuius rei est tantum à suis naturalibus principijs, aut à generante, hoc est ab Auctore eius, qui naturam dedit, vnde dicit Arist. 8. Phis. c. 4. Grauia à generante mouentur. Tum quia si effectiuè, & directè Angeli mouerent voluntatē essent velut causæ partiales volitionis humanę, hoc autem est manifestè falsum, quia sola causa prima cum secunda concurrit, ergo &c.

III. Concl. Corpora cœlestia solum indirectè mouere possunt nostras voluntates, nullo autem modo necessitare. Hæc est omnium Theologorum contra hæreticos Priscillianistas, & contra Stoicos Philosophos, putantes, voluntatem humanam fatali quadam necessitate subijci impressionibus, & influentijs Syderum. Prob. Concl. quoad 1. p. Nullum corporeum directè potest physicè influere in spirituale, sed syderum influxus sunt corporei, & voluntas humana est spiritualis, ego &c. Tum quia vt dictum est de Angelis, actus, qui alicui rei est naturalis, non potest esse à principio extrinseco. Prob. quoad 2. p. Si voluntas non mouetur, neque moueri potest directè à corporibus cœlestibus, multò minùs poterit moueri ab illis certò, & infallibiliter; alioquin, si certò moueretur ab influxu Cœlorum, esset necessaria connexio inter impressionem corporum cœlestium, & nostras voluntates, quod damnant S. Scrip. & determinationes Concil. & SS. PP. & leges Ecclesiast. & Ciuiles, vt infra videbimus aliqua tangendo de Astrologia iudiciaria. Tum quia necessitare, non possunt nisi commouendo temperamentum, sed talis temperamenti commotio, & alteratio allicere quidem potest, non verò voluntatem necessariò ad actum impellere, ergo &c. Itaquè remanet semper salua libertas voluntatis, quæ sicut potest resistere appetitui sensitiuo, veluti causę proximiori, à fortiori resistere poterit Astrorū influentijs, quæ sunt remotiores iuxta dictum Ptolomei Astronomię Principis. *Sapiens dominabitur Astris.*

Arg. 1. cont. 1. conc. Si Deus moueret voluntatem per inspirationem, & auxilia supernaturalia, læderetur libertas voluntatis; sed hoc non est admittendum; ergo &c.

Resp. neg. seq. mai. Nam voluntas potest pro libito suo acceptare, vel respuere huiusmodi auxilia iuxta doct. Conc. Trid. sess. 6. can. 4.

Arg. 2. Concil. Arausicanum 11. anathematizat eos, qui docent Deum expectare voluntates nostras; sed hoc verificaretur, si Deus efficacissima quadam præmotione illam non præueniret, ergo &c. Resp. Deum nos sua gratia excitante præuenire, ac proinde non expectare nostras voluntates, non verò præmouere.

Arg. cont. 3. conc. prob. quod corpora cęlestia directè agant in hominis voluntatem sic. Cœli agunt physicè, & directè in Dæmones, qui sunt substantia spiritualis nobilior anima rationali; ergo possunt agere directè, etiam in Anima. Ant. prob. experientijs. Prima est, quod Dæmones secundùm lunæ incrementum inuadunt quosdam homines; qui ob id lunatici dicuntur. Secunda Dæmones à maleficis euocati certò syderum aspectu promptiùs accurrunt. Tertia denique est qua patet Dæmones allici, & arceri quibusdam plantis, vel figuris, sub recto quodam sydere fabricatis: ergo &c.

Resp. neg. ant. & pariter probationes allatas ex experientijs, cum nullo modo probent in Dæmones directè, & physicè agere. Vnde ad 1. resp. quod duæ sunt causæ cur Dæmones secundùm stellarum aspectum solent homines vexare, prima quidem, vt opera Dei, & creaturas, tamquam maleficij participes dedecore afficiant. Secunda, quia in corporibus hominum nil producere possunt, nisi applicando actiua passiuis, quare obseruant tempus, in quo actiua, & passiua sunt magis disposita ad producendos eos effectus, quos intendunt, cumque actiua, & passiua mutentur pro diuersis aspectibus syderum, inde fit, quod Dæmones sub quibusdam aspectibus astrorum magis homines diuexent. Vnde fit, quod crescente luna magis afficiantur lunatici. Ad 2. resp. quod Dæmones promptiores accurrunt sub certis constellationibus, quia sciunt, tunc materiam esse magis dispositam ad illos effectus producendos. Vel quia huiusmodi artificio conantur homi-

nes decipere, ipsis suadendo aliquod numen stellis in esse. Ad 3. resp. Dæmones non allici, neque arceri herbis, lapidibus, vel alijs sublunarijs, quasi physicè in Dæmones agant, sed quia sunt signa, ad quorum præsentiam accurrere debent ex pacto inito cum maleficis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum licitum sit Astronomis ex astrorum aspectibus futura prænuntiare.

NOt. quod Astrologi solent diuidere præcognitionem futurorum, in physicam, & artificiosam; physicam vocant, quæ à natura, seu à rerum naturalium consideratione deriuatur: Artificiosam verò, quæ non ex præsagijs naturæ, sed ex altioris alicuius substantiæ spiritualis iradiatione descendit. Insuper artificiosam diuidunt iuxta duplicem rationem naturæ spiritualis, nempè in Diuinam, & Demoniacam; priorem appellant Prophetiam, & posteriorem diuinationem, aut oraculum. Præterea diuidunt physicam in eam, quæ pendet à natura cœlesti, & vocatur Astrologia, seu Astronomia; & in eam, quæ ab inferioribus corporibus emanat, & hanc pro varia inferiorum corporum appellatione, varijs quoque nominibus appellari solet, vt Pyromantia ab igne, Negromantia ab aere, Hydromantia ab aqua, Geomantia à terra, Physionomia à toto corpore humano, Metoposcopia à fronte, Chyromanria à manu, Augurium à cantu, & garritu Auium, Auspicium à motu, & volatu. Quantl autem vanitas, & superstitio sit in his omnibus; ac proinde in Astrologia iudiciaria, contra quam ex veteribus signanter D. Aug. inuehitur lib. 2. super Genes. cap. 17. & 5. & de qua infra ponetur conclusio specialis, ostendunt S. Scrip. & leges Ecclesiasticæ.

I. Concl. Peritus Astrologus, seu Astromantius multoties potest benè pronosticare de inclinationibus hominis natiuis,, seu naturalibus in generali, nempè, quod sit lasciuus, iracundus, liberalis &c. Tale autem iudicium de humanis actionibus est in rigore incertissimum. Prima pars est communis, & probatur ex supradictis; eò quia

Sydera habent influxum, & vim alterandi sensus appetitum, organa corporea, sed intellectus in intelligendo dependet à sensibus, quibus corruptis, seù alteratis, alteratur, & deprauatur intellectus, vt patet in freneticis, & lunaticis, & similiter voluntas est prona ad sequendam inclinationem appetitus alterati: ergo si Astrologus rectè callet constellationem hominis, potest rectè illam in vniuersali prædicere. Prob. 2. pars. Quamuis sæpè contingat voluntatem sequi inclinationes appetitus alterati à Cœlo, tamen pro sua libertate potest resistere iuxta illud *Gen. cap. 3 Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

Cæterùm adhuc prædictæ prædictiones vniuersales de moribus hominum sunt vanæ, & nullius firmitatis, quia complexio, & inclinatio appetitus non solum pendent à Syderibus tanquam a causa inadæquata, & remota, sed etiam à genitoribus, & à temperie loci, nedum Regni, & Oppidi. sed etiam loci proximi, vbi homo nascitur, quæ, cum sint causæ, & circumstantiæ proximiores, modificant influxum astrorum ad imprimendas singulares qualitates in corpore humano. Præterea Demus Sydera esse causas adæquatas, peto; an à Deo sit reuelata Astrologis virtus, & influentia cuiusque Astri, & quando, se impediunt in suis influxibus? Dicunt sibi constare experimento.

Contra vel per ascensum in Cœlum, & hoc non; vel per effectus; sed neque hoc, quia quotidie experimur duos homines cum diuersis moribus nasci, sub eodem Climate, & loco, hora, & puncto, imò, & ab eodem Patre, & Matrè eodem concubitu, vt testatur Srip. de illis gemellis Fratribus scilicet Esau, & Iacob: & hæc est vera causa propter quam falluntur quotidiè prognostici de ventis, pluuijs, in quantitate, in quando, & qualitate &c. Deindè demus, Astrologos perfectè callere Syderum proprietates, figuras, aspectus, & positiones, quarè solùm obseruant natiuitatis horam, non verò tempus, quo formatur Corpus, & punctum, quo animatur? Quæ omnia, etiam si attendantur diligenter, nequeunt penetrari.

II. Concl. Vanissima, & stultissima est diuinatio futurorum euentuum liberorum ex astris, siue vt nudis signis, siue etiam vt causis, ac proinde Astrologia iudiciaria est meritò damnata. Prob. 1. ex S. Scrip. Ierem. cap. 10. *iuxta*

ta vias gentium nolite discere, & à signis Cœli nolite metuere quæ timent gentes. Et Isai. cap. 44. simila habentur, & D. Paul. ad Gallatas cap. 4. scribebat. *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, timeo, ne fortè sine causa laborauerim in vobis*. Eandem Doctrinam damnant, & reprehendunt SS. PP. & signanter D. Aug. lib. 2. super Gen. c. 12.

Prob. 2. Hoc genus Astrologiæ tanquam impium damnatur in iure canonico, in Concilijs, & nouissimè in motu proprio Xisti V. incip. *Cœli, & Terra*, & in iure Ciuili Codice de maleficijs, & Mathematicis, & olim a Senatu Romano damnatum fuit, quàmuis, tunc esset gentilis; & ita senserunt etiam Cicero lib. 2. de diuinatione, & Gellius lib. 4. Noctium atticarum cap. 1. Quare mortaliter peccant 1. qui profitentur Astrologiam iudiciariam, seu artem diuinatoriam effectuum liberi arbitrij in particulari, siue præteritorum, vt de furtis, & similibus, siue futurorum. Secundò qui legunt, seu audiunt alios legentes libros de hac materia tractantes.

Tertio peccant qui Astrologos consulunt, aut Magos de actionibus humanis in particulari, ratio est, quia hæc omnia sunt contra S. Scrip. SS. PP. & motum proprium Pontificis, qui tantum approbat vsum Astrologiæ circa tria, nempè circa Agricolturam, Nauigationem, & Medicinam in vniuersali; in particulari enim sunt periculosa etiam similia iudicia contra motum proprium, vt communiter tradunt Theologi, exempli gratia: hic infirmus conualebit, hæc nauis salua ad portum perueniet, vt rectè discurrit Caspensis tom. 1. tract. de act. humanis.

Arg. cont. 2. conc. Isaias cap. 3. 4. alt. *Complicabuntur sicut liber Cœli*; & Apocal. cap. 6. *Cœlum recessit sicut liber inuolutus*: quæ Scripturæ videntur significare, Cœlum esse velut librum conscriptum litteris Astrorum, in quo etiam futura libera legi possunt. Quod clariùs exprimitur in libro cuius titulus. Narratio Iosephi, in quo Iacob dicitur fuisse locutus filijs. *Vidi in tabulis Cœli, quæcunque vobis, & filijs vestris euentura sunt*. Resp. ad Scrip. cum Lyrano, quod Cœli in fine mundi complicabuntur, quia deinceps Astrologi, ac Ethnici ijs vti non poterũt velut libro pronostico. Vel resp. 2. cum nostro Adam Sasbout, quia in fine mundi desinet hic motus, & ordinarius vsus Cœlorum, ac influentia,

tia, non aliter, quàm libro vti definimus, cum eum complicamus, seu claudimus. Ad illum librum de Ioseph dicit Herincx, quod est apocriphus, & fabulosus.

Arg. 2. Scrip. tradit, quod astra sint in signa, & tempora, & dies, & annos, ergo &c. Resp. quod sunt in signa, & tempora, idest quatuor anni tempestatum, item plantationis, sementis &c. In signa dierum scilicet naturalium, artificialium &c. Tum etiam in signa in ordine ad agriculturam, nauigationem, & medicinam in vniuersali, vt supra in appendice de cæteris operibus.

Dices Astrologi multa vera prædicunt: ergo dicendum habere veram scientiam, ac proinde posse facere pronostica etiam de ijs, quæ dependent ab hominum voluntatibus.

Resp. ex D. Aug loc. cit Quod si Astrologi iudiciarij aliquid veri dicunt, est, vel ex Dæmonis suggestione, vel ex pacto explicito cum illis inito, vel implicito, & generali, quod cum antiquis Mathematicis factum fuit.

Resp. 2. Quia cum multa prænuncient, ex illis aliquid casu euenit, tum quia occulta D. prouidentia permittit in pœnam scelerum, & culpabilis curiositatis. Vnde Ioan. Picus Mirand. testatur ex 130. prædictionibus cuiusdam Mathematici de mutatione auræ, se tantùm septem post adhibitam diligentem obseruationem, deprehendisse veras; ac proinde Ioannes Echius homil. 3. Dominicæ secundæ post Epiphaniam meritò dixerit. Accepta alicuius Astrologi practica, loco pluuiæ ponito serenitatem, & è conuerso, elapso anno totidem, aut pluries videbis, te dixisse veritatem, quam practicum illum; & hinc fit, quod singuli ferè variant inter se in suis diuinationibus, & denique eruditus Ioannes Porta in opusculo Physionomiæ cælestis in proœmio, ita de se ipso scribit. Ipse ab ineunte pueritia adeo feruenti desiderio ad eam perdiscendam ferebar, satis enixè, curiosèque eius secreta peruestigando; at postquam summorum Procerum iussu, & catholicorum sententijs sublata est, quantò eam priùs ardore conquirebam, tantò postea toto animo exhorrui, & ex mente eliminaui. Cumque alio iudicio examinarem, quàm priùs didiceram, tandem comperi Astrologiam non nisi fictam, & immaginariam esse scientiam; hactenus Porta in Astrologia versatissimus, cui sententiæ omnes catholici Astrologi

subscribi coguntur. Videnda est quæstio 6. disp. vnicæ in tract. de operibus sex dierum, vbi plura habentur, quæ faciunt pro hac quæst.

DISPVTATIO II.

De actibus voluntatis in genere, idest. De voluntario, & inuoluntario.

QVÆSTIO I.

Quid sit voluntarium?

NOt. 1. Quòd indubiè datur in nobis principium liberum actuum humanorum, qui sunt imputabiles ad laudem, & vituperium, ad gloriam, & pœnam; non enim nostra voluntas operatur, quia est talis natura, sicut ignis, sed quia vult, & appetit operationem, adeout possit agere, & non agere, & agere contrarium. Ita definitur in pluribus Concilijs, & signanter in Concil. Trid. sess. 6. can. 5. & 6. contra Lutherum, & eius seguaces, negantes in nobis liberum principium, & asserentes operationes nostræ voluntatis tam bonas, quam malas produci à Deo sine coefficientia, & cooperatione nostra, ac proinde absque laude, & vituperio. In hoc etiam errore erant Mathematici studentes Astrologiæ iudiciariæ, de quibus supra &c.

Not. 2. Quòd, estò aliquando confundantur ad inuicem isti termini, nempè liberum, & voluntarium, & spontaneum, attamen multum inter se differunt secundum magis, & minùs; nam omne liberum est voluntarium, & omne voluntarium est spontaneum, non verò è conuersò. Siquidem spontaneum competit etiam rebus inanimatis, vnde dicit ignem spontaneè sursum volare, & lapidem deorsum. Voluntarium competit solis animalibus, siue ratione prædictis. siue non, vnde brutum dicitur voluntariè appetere cibũ, & currere ad ipsum, & homo sibi conuenientia inquirere; liberum autem seu libertas solis agentibus ratione præditis, idest hominibus, Angelis, & Deo competit.

Not. 3. Quòd dupliciter accepi potest voluntarium, nem-

nempe imperfectè, & perfectè; primo modo est id, quod conuenire potest etiam Brutis. Vnde quando Arist. 3. Eth. describit voluntarium, dicens, est id cuius principium est in ipso agete cognoscente singula, in quibus est actio, intendit comprehendere etiam illud voluntarium, quod procedit à potentia appetitiua ex præuia cognitione sensitiua. Voluntarium autem perfectum est idem cum voluntario libero, & dici potest illud, quod procedit à voluntate, & præuia cognitione intellectiua.

Præterea non sunt idem voluntarium propriè, & volitum; nam voluntarium debet esse principiatiuè, seu effectiuè a volunrate, volitum non sic; homicidium enim sine vllo influxu, & notitia commissum, in quo quis sibi complacet, non est ei voluntarium, tamen est obiectiuè volitum. Et quidem in hoc sensu etiam processio Filij diuini est obiectiuè volita, estò non sit voluntaria principiatiuè, sicut est processio Spiritus Sancti. E contra non omne voluntarium est directè, aut reflexè volitum; nam actus aliarum potentiarum à voluntate imperati, sunt ita voluntarij, vt simul sint expresè voliti. His prænotatis sit.

Concl. Benè describitur, seu definitur voluntarium strictè sumptum, seu perfectum sic: Est id, quod procedit à principio intrinseco cum perfecta cognitione finis, & circumstantiarum. Dicitur à principio intrinseco, quod in proposito est intelligendum non de principio passiuo, sed actiuo, quia voluntarium est effectus à voluntate procedens, dicitur cum præuia cognitione intellectiua &c. quia ad rationem voluntarij perfecti, & strictè sumpti præexigitur scientia, seu notitia obiecti, finis, & circumstantiarum; alioquin si operans ignoret aliquam circumstantiam, quæ ad actionem concurrere debet, illa actio non esset completè voluntaria v. g. Si quis occidit hominem ignorans esse Patrem, vel Clericum &c.

Quæres. 1. Quotuplex sit voluntarium, seu quomodo diuiditur. Resp. Quod primò diuiditur in voluntarium voluntate propria, & in voluntarium voluntate aliena, cuiusmodi est peccatum originale, quod ab Adamo trahimus. Diuiditur secundò in voluntarium necessarium, & liberum libertate indifferentiæ, seu contingentiæ, quæ in materia morali stat simpliciter pro libertate. Volunta-

rium necessarium est, quod non procedit ab appetitu indifferenti ad volendum, vel non volendum, & sic amor increatus, quo Deus amat se, & processio Spiritus Sancti dicitur voluntarium necessarium. Similiter actus, seu motus necessarij voluntatis, qui dicuntur motus primò primi, dicuntur voluntarij necessariò. Diuiditur tertiò voluntarium in directum, & in indirectum, cum voluntario directo confundi solet voluntarium explicitum, seu expressum, & in se, cum voluntario indirecto confunditur voluntarium implicitum, & in causa; sic volitio respectu volentis ebrietatem est directe, explicitè, & in se volita, rixæ autem, & homicidium, quæ ex ebrietate secutura præuidentur sunt voluntaria indirectè, implicitè, & in causa, quæ etiam dici possunt voluntaria interpretatiuè, quia sunt volita non expresè in se, sed in alio; in alio, inquam, in quo continetur, vel ex quo sequitur. Primo modo est interpretatiuè voluntarium sacrilegium furanti calicem consecratum, incestus &c. 2. modo est voluntarium homicidium commissum ab ebrio sciente, se esse rixosum in ebrietate, & pronum ad verbera, & cædes &c.

Cæterum vt aduertit noster Herincx p. 2. tract. 2. de lib. arb. Voluntarium interpretatiuum aliquando sumitur pro eo, quod adesse præsumitur ex aliquo signo externo, siue positiuo, siue negatiuo v. g. ex aliqua taciturnitate iuxta illud, qui tacet consentire videtur, & hoc habet locum in foro externo. Aliquando etiam non pro voluntario, quod de facto est, sed prudenter interpretamur futurum, si adesset, & sciret is, cuius consensus desideratur, & in hoc sensu Religiosus, superiore absente, & inscio, interdum aliquid facit, vel recipit, rationabiliter putans gratum fore superiori, si sciret, & consensus peti posset.

Quæres 2. Quomodo omissio possit dici voluntaria.

Resp. omissio rectè dici potest voluntaria, cum ipsa suo modo à voluntate, seu à principio intrinseco cum cognitione dependeat, & quidem non solum, quando adest expræssa volitio omittendi, sed etiam quando voluntas purè omittit; Vndè potest aliquid esse voluntarium sine omni actu voluntatis, & maximè in nostra Schola admittente puram omissionem liberam, & est sententia magis communis, de qua in tract. de peccatis.

Quæ-

Quæres 3. An, vt omissio censeatur voluntaria, requiratur præceptum, seu obligatio faciendi id, quod omittitur.

Resp. Ad hoc vt omissio sit voluntaria nullum requiritur præceptum, sed sufficit potestas operandi, & non operandi præmissa debita cognitione requisita. Ita Herincx ex communi sententia Scotistarum, & multorum extra nostram scholam, vt Casp̃ens. tom. 1. in tract. de actibus humanis, Vasquez, Montesinos, Salas, & aliorum; & quidem patet responsio ex manifestis exemplis. Nam qui ieiunat feria 4. quando esus carnis permittitur, sine dubio voluntariè, & cum merito abstinet à carnibus, quia ad hoc vt illi actus, qui sunt in nostra potestate, sint voluntarij, nullum requiritur præceptum, sed satis est potestas operandi &c. & sic cessatio audiendi Sacrum die feriata.

QVÆSTIO II.

Vtrum violentia causet inuoluntarium, & an voluntas possit pati violentiam.

NOt. 1. Quòd quatuor sunt causæ inuoluntarij, nempe violentia, metus, concupiscentia, seu passio vehemens, & ignorantia. Sicut enim voluntarium causatur ex duplici principio, nimirum ex voluntate, seu appetitu operante, qui est principium intrinsecum, & ex cognitione dirrigente; ita oportet, quod oppositum eius, scilicet, inuoluntarium causetur ex oppositis principijs, & proueniet, vel ex eo quod operatio proueniat à principio extrinseco, vt contingit in his, quæ ex violentia, aut metu fiunt; vel quia tollitur, seu ligatur, aut turbatur cognitio, sicut fit per ignorantiam, concupiscentiam, & passionem. Cæterùm inuoluntarium vt sic potest describi tali pacto: est illud, quod procedit à principio intrinseco, hoc est à voluntate, sed aliqualiter contra eius inclinationem. Vnde si voluntas absolutè aliquod repudiat; vt fornicatio absolutè repudiata, omnibus consideratis, à Virgine etiam minis perterrita dicitur inuoluntarium simpliciter; si autem non absolutè respuit, sed ob aliquam rationem acceptat, tunc dicitur inuoluntarium secundum quid, vt proiectio mercium facta à mercatore metu naufragij, quæ in se consi-

side-

siderata displicet; quatenus autem est euasiua naufragij, & saluatiua vitæ propriæ, placet.

Not. 2. Quòd violentum ab Arist. 3. Eth. cap. 1. sic definitur: Est id, quod est à principio extrinseco, passo non consentiente vim: quod non debet intelligi purè negatiuè, sed etiam positiuè, idest contranitente passo, seu contra passi inclinationem, vt exponit Scotus in 2. dist. 18. q. vnic. Ex quo intelligitur, quod hæc quatuor, nempe necessarium, violentum, coactum, & inuoluntarium, quæ interdum confunduntur, inter se differunt secundùm diuersas formalitates, quas exprimunt. Necessarium enim dicitur prout opponitur contingenti, seu indifferenti, & importat determinationem ad vnum excludendo facultatem ad oppositum. Violentum includit quidem eandem necessitatem, & determinationem ex parte eius, qui patitur violentiam, sed addit supra necessarium, quod sit à principio extrinseco; nam à principio intrinseco, & proprio nihil violentatur, estò possit aliquid fieri necessariò, & tamen esse à principio intrinseco vt patet in brutis, & in motibus primò primis. Coactum videtur coincidere cum violento, sed in rigore loquendo, coactum solùm opponitur spontaneo, seu voluntario, ac proinde solum inuenitur in cognoscentibus; violentum verò etiam in rebus inanimatis, vt patet de lapides rursum proiecto. Inuoluntarium interdum sumitur pro coacto, aut violento, sed tamen latiùs patet, quia potest contingere quod aliquod sit inuoluntarium non solum ratione violentiæ, sed etiam ratione ignorantiæ, & ex defectu cognitionis, vt infra ostendetur.

I. Concl. Violentia causat inuoluntarium simpliciter; patet, quia facit, quod opus non sit ab intrinseco; sed ab extrinseco renuente voluntate; tum quia sicut violentia repugnat naturali, & facit contra naturale in carentibus appetitu, sic in præditis appetitu facit contrauoluntatem.

II. Concl. Voluntas potest pati violentiam, vel coactionem in actibus aliarum potentiarum, quibus nata est, & solet imperare, ac proinde tales actus erunt inuoluntarij simpliciter. Patet conc. quia contra voluntatis inclinationem potest ab extrinseco applicari v. g. manus ad tangen-

gendum, & oculos ad videndum &c. sed huiusmodi actus sunt inuoluntarij; ergo &c. Tum quia, etsi spectentur istæ potentiæ secundum particulares inclinationes, non patiantur vim, cum concurrant ad actum sui perfectiuum, sunt tamen actus simpliciter violenti respectu hominis, cum sint contra eius voluntatem, quæ est supremus, & vniuersalis appetitus suppositi, seu personæ, cui cæteræ potentiæ subordinantur. Insuper quod dictum est de actibus positiuis dicendum etiam est de violenta omissione illorum. Sic enim potest voluntas violentari in auditu, visu &c. Si enim videre, audire velit homo, & impediatur facere istas actiones, tunc violentiam patitur. Quàmuis ipsæ potentiæ in se spectatæ violentiam non patiantur: nam oculus, & sic de cæteris non petit videre nisi obiectum propositum; ac proinde si alter impediat, claudendo palpebras, ne videat obiectum, non fit contra inclinationem oculi, sed ad summum ipsius hominis.

III. Concl. Voluntas potest pati violentiam in actibus negatiuè, non verò positiuè. Ita communis Theologorum opinio; licet Thomistæ asserant, in rigore non pati violentiam voluntatem, si impediatur, ne in actum exeat, quia omnis creatura habet inclinationem ad obediendum Deo. Prob. conc. quoad 1. part. Potest Deus denegare concursum voluntati, quæ est parata ad actum eliciendum; sicut ignis in fornace Babilonis fuit à Deo impeditus per denegationem concursus, ne tres illos pueros combureret; ergo voluntas negatiuè potest pati violentiam, cum hoc sit contra eius desiderium.

Prob. 2. pars. Actus eliciti dicuntur illi, qui producuntur à voluntate tamquam à principio intrinseco, actus verò coactus est, qui producitur à principio extrinseco, vt in definitione allata de violento; sed vnus, & idem actus nequit esse à principio intrinseco, & extrinseco; ergo &c.

Confirmatur; Quia voluntatem cogi positiuè est ipsam elicere actum contra suam inclinationem, sed hoc videtur impossibile, quia idem actus esset volitio, & nolitio ergo &c. sic enim vellet nolens, & è contra.

IV. Concl. voluntas potest pati violentiam etiam in ijs, quæ potest recipere, quando ipsa renuat ea riceper. Prob. Potest Deus voluntati repugnanti infundere habitus ali-

 quos,

quos, siue naturales, siue supernaturales, sed in tali casu pateretur violentiam; ergo &c. patet min. quia licet voluntas ad huiusmodi habitus habeat inclinationem naturalem; repugnat tamen per elicitam, quæ præponderat, & sufficit, vt voluntas cogi censeatur. Similiter posset Deus se solo infundere amorem in voluntate nolenti, & quantum est ex se renitenti, sed talis actus esset inuoluntarius, & violentus, ergo &c.

Arg. cont. 1. concl. Violentum debet esse ab extrinseco, vt dictum est, passo non conferente vim; sed nulla creatura potest Deo resistere, ergo &c. Resp. disting. min. efficaciter, & victoriosè, vt quidam aiunt, conc. min. inefficaciter, quatenus creatura conatur ad oppositum ex sui natura, neg. min. vt patet in lapide moto sursum &c.

Arg. 2. Creaturæ naturali inclinatione Deo obediunt; ergo nulla est motio in creaturis à Deo, quæ fit contra inclinationem illarum, ac proindè nulla violentia.

Resp. dist. ant. In executione propriarum operationum, & in ijs, quæ sunt supra naturam, non tamen violenta in ordine ad ipsas; conc. ant. in ijs, quæ sunt contra earum inclinationem nego; Nam, licèt quælibet Creatura sit in potentia obedientiali Dei, hoc est, Deum posse de illa facere quicquid non repugnat, attamen in ijs, quæ sunt contra naturę proprię inclinationem dici nequit habere naturalem inclinationem, sed potiùs obedire diuinæ voluntati, cum qua obedientia consistere potest violentia, vt patet de lapide, si Dei virtute tendat sursum; & de aqua calefacta.

Arg. cont. 3. concl. quoad 1. part. Potentia non patitur violentiam in cessatione ab operatione, quando non præcedunt omnia requisita ad operandum, sed concursus primæ cusæ cum secunda est vnum requisitum particulare ad agendum; ergo si talis concursus non adest, non patitur violentiam causa 2. Resp. dist. mai. si non præcedunt, nec desiderantur omnia requisita conc. mai. quando verò desiderantur, & haberi non possunt, tunc est violentia. Vndè cum voluntas desideret concursum Dei ad agendum, & nequeat illum habere; tunc dicitur pati violentiam.

Arg. cont. 2. p. concl. videlicet voluntatem non posse pati violentiam in actibus elicitis, & placet mihi vti quibusdam argumentis desumptis ex meo penu, quos in me-

dium

dium disputationis habitæ Pisauri in Eccl. PP. Augustianorum produxi, inuitatus ad huiusmodi thesim impugnandam, & sic arguebam. Non repugnat, voluntatem cogi negatiuè, ergo non repugnat cogi positiuè, idest in actibus elicitis, conf. patet, quia non apparet maior ratio de vno, quam de alio, ergo &c. Resp. neg. conf. ad probationem, negatur pariter ant. maior enim ratio repugnantiæ apparet, si ponatur violentia in actibus elicitis, quàm in denegatione concursus ad impediendum actum à voluntate eliciendum,

Contra. Si maior ratio appareret de violentia &c. hoc maximè esset, quia læderetur libertas voluntatis; sed per violentiam negatiuam æquè læditur, ac per positiuam voluntas; ergo si admittitur vnum, & alterum est admittendum, Prob. min. Ideò læditur voluntatis libertas, quia habet perfectum dominium super suos actus; sed æquale dominium habet super actus eliciendos, qui per denegationem diuini concursus impediuntur, & in actus elicitos, ergo æqualiter læditur voluntatis libertas &c.

Resp. conc. mai. & neg. min. Ad probationem transeat maior, & neg. min. ratio est, quià voluntas maius dominium habet, ne actus elicitus sit à principio extrinseco, quàm per denegationem concursus impediatur, ne exeat in actum; hoc enim fit per solam suspensionem, illud autem fieret per prodoctionem actus a principio extrinseco, qui quidem actus esset simul, & semel à principio quoque intrinseco, ac proinde esset volitio, & nolitio, quod repugnat.

Contra. Non minus repugnat lapidem per vim ascendere sursum, quàm voluntatem producere actum contra sui inclinationem; sed lapis nedum per potentiam Dei, sed etiam per potentiam creatam ascendit sursum; ergo & voluntas per diuinam potentiam producere poterit actum sibi contrarium. Prob. min. quia ascensus in lapide est contra eius inclinationem, & hoc non obstante naturaliter, idest per vim naturalem tendit sursum, quarè ergo talis violentia in lapide est naturaliter possibilis, & in voluntate non erit supernaturaliter possibilis?

Resp. neg. mai. & ratio est, quia dum lapis ascendit sursum, non habet alium motum incompossibilem cum illo,

puta motum deorſum; at voluntas ſi cogeretur ab extrinſeco haberet actum, qui ſimul eſſet volitio, & nolitio, quod eſt impoſſibile; eſſet quidem volitio, quia à principio intrinſeco voluntatis emanaret talis actus; eſſet autem nolitio, quia nolens vellet, quæ ſunt euidenter incompoſſibilia.

Contra. Poteſt Deus cogere voluntatem ad actum continuandum, ergo etiam poteſt abſque vlla repugnantia cogere ipſam ad actum eliciendum. Prob. conſ. Continuatio actus eſt continua productio ipſius actus, ſed talis productio eſſet violenta abſque eo quod eſſet idem actus volitio, & nolitio; ergo &c. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. ad probat. conc. mai. & neg. min. Siquidem aliud eſt, voluntatem, etſi reluctantem, exire in actum, quem nollet, & aliud eſt continuare, ſeu conſeruare actum iam poſitum; nam quàmuis voluntas vellet ab illo actu ceſſare, & non poſſet, imò cogeretur illum continuare, attamen non eſſet violentus, ſed voluntarius, ſicut à principio fuit productus voluntariè; ſecùs autem de actu primò producendo, reſpectu cuius voluntas adhuc gaudet ſua libertate, & dominio.

Cæterum aliter reſpondent Thomiſtæ, & Auguſtiniani, qui pariter ſunt Scholæ Thomiſticæ; quod ſi in aliquo diſcordant à Thomiſtis, ſe habent meo videri velut ſcientia ſubalternans, & ſubalternata. Itaque reſponderent, in nulla creatura poſſe poni violentiam ſimpliciter, quia quælibet creatura habet inclinationem naturalem ad obediendum Deo; ac proinde non pati violentiam ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Verùm contra talem reſponſionem ſic arguebam. Actus elicitus; data hypotheſi, quod violenter elici poſſet, eſſet contra propriam, & naturalem inclinationem eliciendi actum oppoſitum, ergo non obſtante naturali inclinatione obediendi Deo in actibus elicitis pateretur voluntas violentiam poſitiuam ſimpliciter. Inclinatio namque naturalis non eſt quid realiter diſtinctum ab ipſa natura, ſicut actus elicitus; ac proinde eſſet ex duplici capite violentus, & quidem primò, quia eſſet contra voluntatem, ſecundò quia opponeretur inclinationi naturali.

Petes, ſi Deus determinaret volũtatem recluctantem ad

actum

actum aliquem eliciendum, ille actus esset ne voluntarius, an violentus supposito, quod hoc posset à Deo fieri.

Resp. Quod in tali casu esset dicendus voluntarius simpliciter, & absolutè, quia emanaret à principio intrinseco, violentus verò secundum quid, seu inuoluntarius, partim, quia voluntas determinatur, partim quatenus voluntas antecedenter illum absolutè noluit. Hæc posui in gratiam studentium; quibus non est ita facile in hac materia inuenire argumenta. Amplius prosecutus fuissem argumētum, nisi breuitas, cui studeo, me admonuisset.

QVÆSTIO III.

Vtrum ea, quæ fiunt ex metu sint voluntaria, vel potius inuoluntaria.

NOt. 1. Quòd metus sic ab Arist. 2. phys. c. 5. describitur. Est animi turbatio, orta ex cognitione imminentis mali, quod aut mortem, aut molestiam inferre potest; & coincidit cum illa, quæ traditur ab Vulpiano l. 1. ff. ex eo, quod metus causa: est instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio: ex qua descriptione patet, quod id dicitur metu fieri, quod declinandi, & vitandi malum fit; dicitur mentis trepidatio, quia metus oritur ex imaginatione periculi futuri, maximè imminentis; dicitur instantis, quia pericula valde remota non timentur, neque mentem ita perturbant, dicitur i stantis, & futuri, quia non dum euenit, & per hoc differt metus à tristitia, & dolore, quia hæc sunt causata à malo præsenti.

Not. 2. quod metus alius dicitur concussiuus, alius incussiuus alius reuerentialis; de quibus latè agunt Iuristæ, & Cononistæ. Insuper diuiditur metus in intrinsecum, & extrinsecum. Intrinsecus dici solet ille, qui non incutitur à causa libera, sed naturali, vt metus mortis proueniens ex periculosa infirmitate, vel ex alio graui periculo. Metus verò extrinsecus dicitur ille, qui procedit à causa extrinseca libera, idest ab homine ad extorquendum consensum alicuius rei, quod fieri potest; etsi aliquando non licitè: & hoc dupliciter talis metus incuti potest, vel iustè, vel iniustè; tunc iustè incutitur, quando v. g. Epis-

copus excommunicationem minatur Titio, nisi Bertam ducat, cum qua sponsalia valida contraxit; vel Iudex cogit ad ducendam fœminam ab ipso defloratam. Iniustè autem incutitur, si quis v. g. velit aliquem interficere, nisi pecuniam ei det, vel in Matrimonium consentiat, vel nisi fiat Religiosus, quæ omnia sunt illicita, & irrita, vt iura declarant.

Not. 3. Quòd metus ab extrinseco incussus, alius est metus cadens in virum constantem, alius cadens in virum inconstantem. Primus causatur à malo prudenter, & honestè præferendo illi malo, quod ob metum fit, nam vir constans, vt talis est, est vir probus, & agens secundum virtutem, quæ dictat præferendum esse malum maius malo minori, & hic metus dicitur grauis, ad quem reducuntur metus mortis, mutilationis, perpetui carceris, vel diuturni, seruitutis, stupri, amissionis status honorifici, & bonorum, nempe diuitiarum, vt habetur C. de ijs, quæ metu fiunt cap. cum dilectus; sic etiam metus infamiæ, metus reuerentialis tam in ordine ad se, quam Parentes: Secundus e contra est ille, quo maius malum, & maius inconueniens eligitur ad vitandum minus malum, & dicitur, metus leuis, & cadens in virum non fortem, & constantem. Cæterùm metus attendendus est etiam penes personam, cui incutitur, nam fœmina, & etiam aliqui homines fœminis similes in animi fortitudine, possunt interdum et iam à metu mali leuis, vel non tam grauis induci ad aliquod agendum, quod non agerent, de quo etiam in tract. de matrim. p. 4.

I. Concl. Ea, quæ fiunt ex metu, siue timore mali imminentis sunt per se loquendo absolutè, & simpliciter voluntaria, imò libera; sed inuoluntaria secundum quid.

Prob. conç. quoad 1. part. ex Doctrina communi, tam Scotistarum, quam Thomistarum, & D. Bonau. Illud remanet simpliciter voluntarium, quod examinatis omnibus circumstantijs, volumus, sed qui ex metu graui aliquid facit, quod tamen non faceret, si cessaret ille metus, vt patet de mercatore, qui ex vna parte suas considerans pretiosas merces, & ex alia videns periculum naufragij, non aliter euitabile, nisi illas in mare proijciendo, de facto volens eas proijcit, ergo quæ fiunt ex metu sunt simpli-

pli-

pliciter voluntaria. Hoc tamen est intelligendum hac conditione, quod talis metus non absorbeat omnem vsum rationis, quia in tali casu non essent voluntaria simpliciter. Prob. 2. pars, & confirmatur 1. Quod est volitum efficaciter, & absolutè, & est nolitum tantum inefficaciter, & conditionatè est voluntarium simpliciter, & inuoluntarium secundum quid; at opus factum ex metu est volitum efficaciter, & absolutè, quia fit de facto, & nolitum inefficaciter tantum, & conditione, vt patet in exemplo allato de proiectione mercium, ergo quæ fiunt ex metu sunt inuoluntaria secundum quid, & voluntaria simpliciter, ac proinde mixta ex voluntario, & inuoluntario.

II. Concl. Quando opus metu factum est inuoluntarium secundum quid, metus per se, & propriè loquendo non causat hoc inuoluntarium, sed tantum impropriè, & per accidens. Ratio est, quia metus potius est causa voluntarij, cum sit ratio, ob quam voluntas moueatur, & absolutè velit opus facere. Quare per accidens dici potest causa inuoluntarij, quatenus causat opus, quod, secluso metu, non causaret opus, quod est contra eius inclinationem.

Arg. cont. 1. conc. Quæ fiunt à principio extrinseco tollunt voluntarium, vt dictum est supra; sed quæ fiunt ex metu sunt à principio extrinseco, vt patet de mercatore &c. ergo metus tollit voluntarium simpliciter, ac proinde sunt simpliciter inuoluntaria. Resp. dist. mai. Quæ fiunt ex metu sunt à principio extrinseco comouente, conc. mai. eliciente, neg. mai. sola enim voluntas est principium eliciens, estò commoueatur à metu &c.

Arg. 2. Matrimonium, & votum solemne sunt inualida si fiant ex metu, ergo ea, quæ fiunt ex metu non sunt voluntaria simpliciter. Ant. est certum ex cap. Locum, & ex cap. Veniens de sponsalibus; & de voto solemni ex Trid. sess. 25. de regularibus; consequentia constat, nam omne matrimonium, & votum simpliciter voluntarium debet esse validum, ergo cum declarentur inualida, signum est, quod non sunt simpliciter voluntaria.

Resp. conc. ant. & neg. conf. ad probationem dist. ant. Omne matrimonium, & votum simpliciter voluntarium debet esse validum per se loquendo, & attento iure naturali, concedo; per accidens, & stando iuri positiuo Eccle-

ſiaſtico, nego; Poteſt enim Eccleſia conſtituere quaſdam conditiones, ſine quibus votum, vel matrimonium non ſint valida, eſtò ſint ſimpliciter voluntaria, inter quas vna eſt, quod non fiat ex metu graui profeſſio Religioſa, etſi fiat, ſit inualida, & ſic pariter de matrimonio.

Arg. 3. cont. 2. part. Quando quis metu pœnarum inferni legem obſeruat, talis obſeruantia nihil habet inuoluntarij, aut diſplicentiæ, alioquin eſſet mala, & vitioſa, quod repugnat Trid. ſeſſ. 6. Can. 8. ergo quæ fiunt ex metu non includunt inuoluntarium ſecundum quid, ſeu non ſunt mixta ex voluntario, & inuoluntario.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. & ratio eſt, quia metus cauſat quidem inuoluntarium ſecundùm quid, quando obiectum, quod per metum eligitur, eſt malum ſecundum ſe, & ſolum quoad vitandum maius malum habet rationem eligibilis, ſicut in exemplo de proiectione mercium. Si verò obiectum, quod per metum eligitur non eſt malum ſecundum ſe, ſed abſolutè bonum, voluntas non habet actum nolitionis circa ipſum. Vnde cum obſeruatio mandatorum Dei ſit per ſe bona, & nullo modo mala, etiam abſtrahendo à periculo gehennæ Inferni, hinc fit, quod talis obſeruantia ex metu pœnarum operata, nihil habet inuoluntarij, & diſplicentiæ iuxta doctrinam Trident. loc. cit. de quo in tract. de pœnit. p. 4.

QVÆSTIO IV.

Vtrum concupiſcentia cauſet inuoluntarium.

NOt. 1. Quod multipliciter poteſt accipi concupiſcentia, aliquando accipitur iuxta S. Scrip. ſenſum, non ſolum pro inordinatione appetitus ſenſitiui, ſed etiam intellectus, & voluntatis, quatenus per peccatum originale fuerunt deſtituti iuſtitia originali, ac proinde mouentur auerſiuè, vel conuerſiuè ad obiecta repugnantia, & diſconuenientia rectæ rationi, & legi æternæ. Aliquando ſumitur pro appetitu ſenſitiuo, & in hoc ſenſu ſic poteſt deſcribi; Eſt potentia animæ ſenſitiuæ proſequens bonum ſenſibile, & fugiens huiuſmodi malum; quæ quidem potentia non eſt in ſe vitioſa, ſed ſolum quatenus

ſpo-

ſpoliata iuſtitia originali dicit inordinationem, & pronitatem habitualem,aut actualem ad obiecta diſconuenientia rationi rectæ. Quare ſic accepta diuiditur in habitualem, & in actualem. Concupiſcentia habitualis eſt proxima diſpoſitio appetitus ſenſitiui ad actus rationi repugnantes; vnde pro appetitu ſenſitiuo intelligitur tam concupiſcibilis, quam iraſcibilis. Concupiſcentia verò actualis eſt motio actualis appetitus ſenſitiui rectæ rationi repugnans. Concupiſcentia autem actualis, alia eſt ant. alia conſ. Concupiſcentia ant. eſt motio appetitus ſenſitiui, alliciens voluntatem ad motionem conformem ſuæ motioni,& dicitur ant.quia antecedit omnem actum, tam internum, quam externum voluntatis, ad quem allicere intendit. Conſequens eſt motio inordinata appetitus ſenſitiui deliberata, orta ex præuio actu voluntatis, & de hac concupiſcentia actuali, tam antecedenti, quam conſequenti intelligenda venit quæſtio.

Not. 2. Quod Theologi conſiderantes diuerſas motiones concupiſcentiæ, & Animæ rationalis potentiarum docent operationes humanas alias eſſe plenè deliberatas, alias ſemiplenè deliberatas, alias penitùs indeliberatas; operatio prorſus indeliberata dicitur motus primò primus, in quo nullum eſt peccatum, nec quidem veniale; operatio ſemiplenè deliberata dicitur motus, ſeu actus ſecundò primus, & in hoc eſt peccatum veniale; ex quo colligitur, quod motus primò primi præueniunt omnimodam deliberationem voluntatis, tam plenam, quam ſemiplenam, actualem, ſcilicet, & virtualem; motus autem ſecundò primi præueniunt plenam deliberationem, non verò ſemiplenam. Cæterum deliberatio nil aliud eſt, quam rationis aduertentia ſuper qualitate actuum Animę ideſt bonitate, malitia, & indifferentia.

I. Concl. Concupiſcentia non facit inuoluntarium, ſed voluntarium auget. Prob. Si concupiſcentia faceret inuoluntarium, ergo quod fieret ex motu concupiſcentiæ non eſſet voluntarium, ſed multa fiunt ex motu concupiſcentiæ, quæ ſunt voluntaria, ergo ipſa non tollit rationem voluntarij, ſeu non cauſat inuoluntarium. Prob. min. Omne peccatum eſt voluntarium, & ita voluntarium, quod ſi non eſſet voluntarium, non eſſet peccatum, vt do-

cet D. Aug. sed multa peccata ex concupiscentia procedunt, vt patet ex S. Scrip. quæ passim prohibet, & damnat actiones ex concupiscentia peractas, tanquam peccaminosas, vt Eccles. 18. Post concupiscentias tuas non eas. Daniel. 13. Concupiscentia subuertit cor tuum, & ad Rom. cap. 9. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs vestris, ergo multa voluntaria fiunt ex concupiscentia.

Prob. 2. Quòd non tollit cognitionem finis, & inclinationem ad finem, vt finis est, non facit inuoluntarium, sed concupiscentia, de qua loquimur, neutrum tollit, non enim loquimur hic de concupiscentia, & irascentia, quæ ita est vehemens, vt absorbeat pænitùs vsum rationis; ergo &c. Prob. 2. pars. Voluntarium est id, in quod voluntas inclinatur, ergo illud est magis voluntarium, ad quod magis inclinatur voluntas, sed voluntas per concupiscentiam magis inclinatur ad obiectum prosequendum, ergo concupiscentia auget voluntarium, min. patet experientia, ideo &c.

II. Concl. Concupiscentia, estò augeat voluntarium, minuit tamen liberum. Prob. libertas consistit in indifferentia ad amplectendum obiectum ab intellectu propositum, adeout quantò maior sit indifferentia, tanto maior sit libertas, sed indifferentia minuitur per concupiscentiam, quia trahit taliter voluntatem ad amorem obiecti propositi, vt non nisi cum maxima difficultate resistere valeat, vt experientia comprobatur, quando quis tentationibus, & motibus concupiscentiæ agitatur. Quarè D. Paul. ad Romanos aiebat. Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, hoc facio, & ibidem. Video legem in membris meis repugnantem &c. ergo &c. Hinc meritò docent Theologi peccata commissa ex vi concupiscentiæ esse minus grauia, quam commissa ex malitia, quia concupiscentia perturbando rationem, minuit libertatem.

Arg. 1. cont. 1. conc. Quod minuit cognitionem, minuit etiam voluntarium, sed concupiscentia minuit cognitionem, ergo & voluntarium, ac proinde illud non auget. Resp. dist. min. Quod minuit cognitionem diminuit voluntarium ex parte conditionis concedo, ex parte inclinationis, & propensionis voluntatis, nego. Vnde

quan-

quando dicitur in concl. à concupiſcentia augeri voluntarium, non loquimur de voluntario magis perfecto, quod maiorem exigit cognitionem, ſed de volũtario prout dicit maiorem propenſionem voluntatis; & in hoc ſenſu explicata coincidit, cum ſententia dicente, à concupiſcentia minui voluntarium, quia diminuitur cognitio, non verò in ordine ad naturalem inclinationem, immo & ad actum elicitum ipſius voluntatis.

Arg. cont. 2. concl. Concupiſcentia auget voluntarium ex dictis, ergo auget liberum, & non diminuit. Prob. 1. conſ. quod auget genus, auget ſpeciem, quicquid eſt in genere eſt in ſpeciebus, in quibus genus includitur, ſed voluntarium eſt indifferens ad voluntarium neceſſarium, & contingens, ergo ſi concupiſcentia auget voluntarium, auget & liberum. Reſp. neg. 1. conſ. & min. probat. Quia voluntarium non diuiditur in voluntarium neceſſarium, & contingens, tanquam in duas ſpecies, ſed tanquam ſubiectum in diuerſa accidentia, ſicut ergo accidentia ſubiecti, ipſo immutato, poſſunt diminui, & augeri, ſic liberum, quod eſt accidens reſpectu voluntarij, poterit diminui, non diminuto voluntario.

Reſp. 2. Quod auget genus, auget ſpeciem, ſecundum rationem communem, & genericam concedo, ſecundum rationem ſpecificam, & propriam nego. Sicut ergo concupiſcentia auget voluntarium, quia auget ſpontaneitatem, & inclinationem voluntatis, in quo conſiſtit ratio voluntarij, ſic auget quoque voluntarium, ſeu ſpontaneitatem voluntatis in voluntario libero, non vero auget indifferentiam, quæ eſt ratio ſpecifica voluntarij liberi, imò aliqualiter lædit indifferentiam.

Quæres. An ea, quæ fiunt ex concupiſcentia ſint aliquando voluntaria ſecundum quid.

Reſp. affirmatiuè; & ratio eſt, quia etiam ſi concupiſcentia mirabili quadam ſympathia voluntatem ad amplectendum obiectum, tamquam per ſe amabile, trahat, nec ordinariè reperiatur affectus actualis in contrarium, prout ſæpè inuenitur in metu, nihilominus peccatores tali paſſione vehementi agitati ſentiunt magnas moleſtias, & conſcientiæ remorſus, ob quos deſiderant à concupiſcentijs, etiam dum illas ſequuntur, liberari, & maximè quando

ob concupiſcentiam expletam illis conuenit, grauia etiam huius vitæ mala tollerare. Ita Herincx part. 2. & idem cum communi ſententia Doctorum tradit, de habitibus prauis in peccatoribus, qui indubiè minuunt libertatem eius, in quo reperiuntur, vt experientia comprobatur &c.

QVÆSTIO V.

Vtrum ignorantia cauſet inuoluntarium.

NOt. 1. Quòd ignorantia quatuor modis accipi poteſt, & totidem diuidi. Primò ratione ſui. 2. ratione obiecti. 3. ratione ſubiecti. 4. ratione actus. Ignorantia in ſe conſiderata eſt triplex, nempe negatiua, poſitiua, & priuatiua; Ignorantia negatiua eſt quædam neſcientia de aliquo obiecto in ſubiecto non apto hic, & nunc: Talis eſt ignorantia Petri e. g. adhuc infantis; poſitiua eſt error quidam intellectus circa aliquod obiectum; talis eſt error hæreticorum oppoſitus contrariè veritati fidei catholicæ; priuatiua eſt carentia cognitionis debitæ; talis eſt ignorantia Chriſtiani adulti apti hic, & nunc ſcire myſteria fidei, & de hac ignorantia hic potiſſimum agitur; quæ rurſus diuiditur à Scoto in 4. diſt. 15. q. 2. & à iuriſtis in ignorantiam iuris, & facti, & hæc diuiſio ſe tenet ex parte obiecti. Prior eſt carentia ſcientiæ de ipſo iure, ſeu lege aliquod præcipiente, vel prohibente. Poſterior eſt carentia notitiæ de facto, vel alicuius facti particularis; vt ſi quis ſciens in die feſto eſſe audiendam miſſam, ſed ignorat eſſe hodie diem feſtum.

Not. 2. quod ignorantia priuatiua ratione ſubiecti diuiditur in vincibilem, & inuincibilem. Inuincibilis eſt illa, qua ignoramus aliquid, quod ſcire non tenemur, vel non poſſumus, etiam adhibita ad hoc morali diligentia. Vincibilis eſt illa, quæ adhibita morali diligentia de facili ſuperari, & vinci poteſt; & iſta iterum duplex eſt, affectata, & craſſa. Affectata eſt ea, qua aliquis vult ignorare ea, quæ hic, & nunc tenetur ſcire, vt liberius indulgere poſſit peccatis, & de hac loquitur Pſalmiſta. Noluit intelligere, vt bene ageret. Craſſa verò, & ſupina eſt illa, qua aliquis ex negligentia aliquid ignorat, nec ſcire cu-

rat, quæ ſcire poteſt, & tenetur; Vnde dicitur craſſa,quia eſt voluntaria ob negligentiam voluntatis, quæ tempore impinguatur, dicitur etiam Supina, quia, qui deſides, & negligentes ſunt, ſupini iacere ſolent.

Not. 3. Quod ignorantia ratione actus diuiditur,vt docet etiam Scotus in ſecundo diſt. 22. in antecedentem, concomitantem, & conſequentem. Antecedens eſt carentia notitiæ debitæ antecedens omnem actum, vel liberum conſenſum voluntatis, ideoquè eſt prorſus inculpata, & ſolet vocari à Doctoribus probabilis, & inuincibilis; Huiuſmodi ignorantia eſt in eo, qui ſagittam mittit in hominem,inuincibiliter ignorans eſſe hominem, & credens eſſe feram, alioquin non occidiſſet. Concomitans dicitur eſſe illa, quæ ſimul natura coincidit cum ipſo actu, ſeu libero conſenſu voluntatis,& qua non exiſtente tamen operans id feciſſet, quod ignoranter fecit: alij tamen volunt, quòd talis ignorantia faciat opus non eſſe voluntarium, etſi non cauſet poſitiuè inuoluntarium. Conſequens dicitur illa, quæ ſequitur liberum voluntatis conſenſum, & ſolet alias diù culpabilis, & vincibilis, quia potuit humana, & morali diligentia ſuperari, ſic ignorantia de die feſto, quo Petrus laborat, putans eſſe diem feriatam, potuiſſet tamen ſcire,ſi humanam diligentiam,& debitam feciſſet, vt ſciret ea, quæ hìc, & nunc ſcire tenetur.

I.Concl. Ignorantia ant. priuatiua in genere moris cauſat ſimpliciter inuoluntarium non poſitiuum, ſed negatiuum; Eſt Scoti in 4. diſt. 42. q. 1. D. Bonau. & eſt communis. Prob. Opus quod ſequitur ad ignorantiam antecedentem, quæ eſt eadem cum inuincibili, non eſt volitum in ſe, quia non eſt cognitum, imò ſi cognitum fuiſſet, id noluiſſet,nec eſt volitum in ſua cauſa, quia cauſa illius, nempe ignorantia antecedens eſt etiam inuoluntaria,ergo actus ex illa ignorantia procedens eſt ſimpliciter inuoluntarius negatiuè ideſt non voluntarius, non autem inuoluntarius poſitiuè, quia circa illud voluntas non elicit actum nolitionis, cum ab intellectu non fuerit præoſtenſum voluntati. Quarè ſic operari, etiam in materia moris, non peccaret &c.

II. Concl. Ignorantia concomitans cauſat inuoluntarium negatiuè. Prob. Quod fit ex tali ignorantia nullo

modo est volitum, neque in se, neque in sua causa, vt patet de occisione inimici pro fera, nam occidendo inimicum, non cogitat de inimico occidendo, sed tantum de fera, & sic talis occisio non est voluntaria in se, ad quod requiritur cognitio. Neque est volita in causa, quia illa ignorantia non est voluntaria, cum sit inuincibilis, ergo ignorantia concomitans facit inuoluntarium negatiuum, ac proinde excusat à culpa, quia, vt ignorantia à culpa excuset, non requiritur, vt opus sit positiuè nolitum, sed sufficit, quod non sit voluntarium, neque formaliter, neque interpretatiue, idest neque in se, neque in causa: Verùm huiusmodi rationes valent de ignorantia concomitanti inuincibili, non vero de vincibili, quia tunc causat voluntarium interpretatiuè, & in causa, vt recte obseruat Angles in 2. d. 22. q. 2. art. 3. diff. 2. ac proinde talis ignorantia non excusat à peccato; quicquid nonnulli dicant apud Mastrium disp. 15. de peccatis q. 6. art. 2. n. 101.

Cæterùm quando quis agnoscit, se occidisse inimicum, & in hoc sibi complacet, tunc reus fit homicidij interni tantum, non autem externi, ac proinde non subiacet pœnis à lege præscriptis: Immò etiamsi ante homicidium, desideraret hoc modo: occiderem, etsi scirem, inimicum esse; peccaret quidem affectu interno; non tamen actu externo homicidij, ac proinde nec pœnis subiaceret, ita Herincx p. 2. disp. 1. q. 5. de ignorantia.

III. Concl. Ignorantia consequens causat voluntarium saltem in causa. Prob. In moralibus talis est actus, qualis est causa, sed ignorantia consequens est voluntaria; ergo actus ex illa procedens est voluntarius. Prob. min. Illa ignorantia est voluntaria, quam possumus, & nolumus vincere, & expellere, sed ignorantiam consequentem possumus, & nolumus depellere, ergo &c. Ex quo fit, vt qui incautè emittit sagittam, qua homo occiditur, velle homicidium interpretatiuè, quia volens se exposuit ad tale homicidium, estò formaliter noluerit, ideoque est reus homicidij; & de hac ignorantia videtur loqui D. Paulus 1. ad Corint. cap. 14. Qui ignorat ignorabitur, negari tamen non potest, quin ignorantia consequens minuat aliquo modo voluntarium, ac proinde peccatum.

DIS-

DISPVTATIO III.

De actibus elicitis voluntatis in specie.

QVÆSTIO I.

Quid sit intentio, & an sit actus voluntatis distinctus ab amore, spe, & desiderio.

NOt. 1. Quòd intentio generaliter sumpta iuxta nominis etymologiam, est in aliud tentio, sicut intendere est in aliud tendere, & sic varias habet significationes, nam quælibet intentio in aliud à quauis virtute prouenienś, siue animata, siue inanimata, siue intentionali intellectiua, siue volitiua dicetur intentio. Verùm in præsenti Doctores nomine intentionis intelligunt voluntariam, & liberam tendentiam in aliquid. Quarè meritò D. Bonau. in 2. dist. 38. q. 2. existimat intentionem non esse actum vnius potentiæ, sed quasi mixtum ex vtraque potentia: & rationem addit, quia intentio dicit appetitionem. Desiderium autem est passio appetitus concupiscibilis ex bono absolutè spectato proueniens. Amor est passio appetitus concupiscibilis ex bono, vel pulchro absolutè spectato proueniens. Spes verò est passio irascibilis proueniens ex bono apprehenso, vt possibili acquisitu. His prænotatis sit.

Concl. Intentio, etsi præsupponat iudicium intellectus est simpliciter actus solius voluntatis: est communis. Prob. Intentio est actus, quo homo tendit in aliquid, quod sibi proponit tanquam in finem, sed voluntas est quę tendit in finem, velut in suum obiectum, & potentias sibi subditas determinat, vt tendant ad suos fines, ergo intentio est actus solius voluntatis. Vnde infertur, intentionem esse actum distinctum ab amore, & simplici complacentia, eo quia licèt voluntas, & intentio habeant idem obiectum, attamen differunt, nam in illo obiecto sunt duæ rationes, prima boni per se amabilis, quo sensu est obiectum voluntatis, seu amoris; secunda boni obtinendi per media, & sic est obiectum intentionis.

Infertur 2. intentionem esse distinctam à spe, & deside-

rio, quia, licèt ista tendant in obiectum absens, plerumq; tamen versantur non circa finem, sed circa media, etsi contingat versari circa finem sunt actus inefficaces; intentio autem semper est efficax volitio finis.

Arg. cont. concl. Intentio dicitur oculus, & lumen, vt habet Matth. c. 6. si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit, sed hæc ad intellectum pertinent. ergo &c. Resp. quod intentio vocatur oculus, & lumen metaphoricè, non autem formaliter.

Quæres 1. An voluntas eodam actu appetat finem, & media, quod quidem quæsitum sic est intelligendum. An possit esse idem actus, quo diligatur directè finis in se, & propter se, & insuper medium similiter diligatur directè, quia vtile est ad talem finem.

Resp. quando finis, & medium amantur propter proprias bonitates, & directè, non est vnus tantùm, sed duplex, scilicet intentionis respectu finis, & electionis respectu medij, adeout obiectum adæquatum intentionis sit finis propter bonitatem, quam habet, obiectum verò electionis sit medium propter vtilitatem. Et quidem hoc patet, quia voluntas, qua amamur efficaciter sanitatem, est causa eligendi media, sed non potest esse causa huius electionis sine diuersitate ex natura rei; Vnde D. Anselm. Dial. de libero arbitrio c. 5. docet, diuersam esse voluntatem, qua volumus aliquid propter se v. g. sanitatem, & qua volumus aliquid, vt sanetur; eò quia vna voluntas est causa alterius, quod sine aliqua distinctione esse nō potest.

Quæres 2. An intentio sit causa physicè effectiua electionis. Resp. neg. cum communiori sent. Doct. contra Vasquez, & quosdam alios, vt aduertit Herincx. Ratio: quia non est statuenda causalitas efficiens vnius actus, & præsertim eiusdem potentiæ in alium absque necessitate, quæ hic non apparet, cum voluntas sufficiat sola, non minus respectu electionis, quàm ipsius intentionis. Itaque intentio tantum mouet, & determinat moraliter voluntatem ad electionem; sicut obiectum, seu finis determinat voluntatem ad amorem absque physica efficientia.

Quæres 3. An intentio finis necessariò determinet ad electionem medij melioris.

Resp. neg. cum Scoto, & Scotistis contra Vasquez. Ratio

tio quia non necessitatur eligere medium vtilius, cum hoc non sit necessarium ad consecutionem finis; è contra verò medium minus vtile est sufficiens, & reuerà bonum, ergo potest hoc liberè acceptari, neglecto alio, ita Herincx disp. 2. q. 7. de actibus elicitis liberi arbitrij.

Quæres 4. An, supposita absoluta, & efficaci intentione finis, electio vnici medij ad consecutionem requisiti sit necessaria. Resp. affirmatiuè cum Doct. communiter contra nonnullos. Ratio quia talis intentio est præuia electioni, & ad hanc ita determinat voluntatem, vt sit impossibile ea carere, supposito, quod perseueret intentio, quæ proximè ad executionem non sufficiat, ergo ex hac suppositione necessaria est talis electio.

QVÆSTIO II.

Vtrum voluntas possit velle plures fines simul.

NOt. 1 Quòd præter ea, quæ tradita sunt in physica agendo de causa finali, aliqua alia remanent obseruanda pro præsenti quæst. Et quidem in primis, quod bonum, quod simpliciter est bonum reciprocantur inter se bonum, & finis, vt docet Arist. 2. Metaph. cap. 2. vbi ait. Qui è medio tollit finem, necessariò tollit omne bonum, & 2. phys. insinuat bonum, & finem esse idem, sed non sunt idem formaliter, ergo sunt idem conuertibiliter. Verum si loquamur de bono in communi, prout abstrahit ab honesto, vtili, & delectabili, & à bono simpliciter, & secundum quid non datur reciprocatio inter bonum, & finem; quia bonum vtile non est amabile propter se, sed propter alterum, bonum autem, quod fundat rationem finis debet esse bonum propter se; finis enim est id, cuius gratia aliquid fit. Præterea, licet plures Doct. finem cum causa finali promiscuè vsurpent, attamen, vt notat noster Frassen, aliquid discriminis inter vtrumque videtur intercedere; Finis enim præcisè dicitur respectu agentis; causa verò finalis respectu eorum, quæ fiunt propter finem; Vnde hæc est finis operis, ille autem est finis operantis; sic lucrum dicitur quidem finis Architecti, non verò eius causa finalis.

Not. 2. Quòd finis est duplex, nempe medius, qui ordinatur: ad alium, & vltimus, ad quem cęteri ordinantur, finis vltimus est, vel secundum quid, & in certo quodam genere; sic scientia est finis vltimus vigiliarum, studiorum, laborum &c. studentium. Vel est vltimus absolutè, & simpliciter, & in omni prorsus genere, ad quem omnia entia quot quot sunt ordinantur. Hic autem est apparens, aut verus, primus est qui, etsi reuerà non est finis vltimus tñ apparet, vel operans sibi talem finem præfigit, sic auarus præfigit sibi diuitias pro vltimo fine. Secundus est, qui habet veram rationem vltimi finis, & hic est Deus infinitus, principium, & finis omnium rerum. Insuper finis vltimus verus est naturalis, vel supernaturalis, primus est quem homo viribus naturæ assequi potest; secundus è contra, sed necessarium est auxilium Dei. Rursus vterque finis est, vel obiectiuus, qui scilicet agenti objicitur, & ab eo intenditur, vel formalis, qui est ipsamet animæ operatio, qua finem vltimum consequitur, vt vnio beatifica cum obiecto diuino.

Not. 3. Quòd finis alius est totalis, alius partialis, prior est, qui se solo totaliter mouet agens ad operandum, posterior est, qui partialiter tantum mouet appetitum, ita vt illa motio non sit adeo efficax ac si alter finis moueret v. g. Si quis pietatis, & curiositatis explendæ gratia Romam peteret, pietas, & curiositas essent duo fines partiales, ex quibus vnus totalis, & adæquatus integraretur. Quare in proposito præsentis quæst. certum est, duos fines simul intendi posse ab eodem appetitu. Certum pariter, duos fines totales successiuè ab eodem posse intendi; difficultas igitur solummodo est de duobus finibus totalibus, an simul ab eodem possint intendi, sit ergo.

Concl. Non potest voluntas eadem simul plures fines totales, & adæquatos velle, seu intendere: est communior, & verior. Prob. 1. auct. S. Scrip. Matth. 6. ***Nemo potest duobus Dominis seruire***, & rationē subdens idem. Christus ait, ***Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet***. Prob. ratione desumpta ex natura vltimi finis, & summi boni. De ratione vltimi finis est, vt non sit alterius gratia, & cætera omnia sint propter se ipsum; ergo implicat dari, aut concipi plures vltimos

fines, in quos feratur voluntas. Prob. ex ratione summi boni. De ratione summi, & essentialis boni est, quod per se ita sit perfectum, & sufficiens, vt se solo completè, & adęquatè satiet appetitum, trahens secum omnia bona, ergo ex ratione summi boni manifestè repugnat, posse eandem voluntatem simul appetere plures fines totales vltimos, & adæquatos; sequeretur enim neutrum esse sufficiens; quia neutrum secum haberet omne bonum per se appetibile; immò extra quodlibet illorum daretur bonum ex natura sua maximum, quod etiam in 1. part. Theologiæ ostensum fuit, repugnare euidenter.

Arg.1. Deus est finis simpliciter vltimus, sed aliquis proponere sibi potest plures Deos; ergo & plures fines vltimos.

Resp. dist. min. Plures Deos sibi proponere &c. absolutè supremos omnium dominatores, nego: quorum vnus sit inferior, & alter superior, vel qui in creaturas diuersa habeant dominia, vt somniarunt antiqui idolatræ, conc. min.

Contra. Aliquis potest fingere duo suprema numina, quorum vnum alteri non sit subditum, ergo poterit vtrique impendere suum amorem, ac proinde velle duos fines vltimos &c. ant. patet. Eò quia si talis fictio repugnat, maximè quia pluralitas Deorum est impossibilis, sed hoc non obstat, plura namque impossibilia per modum possibilium finguntur: consequentia est euidens, quia voluntas amare potest omne id, quod amandum ei intellectus ostendit.

Resp. conc. ant. & neg. conf. Etenim licet talis fictio ex parte intellectus concedi possit, nihilominus cum à fingente optimè cognoscatur non esse reuerà duo numina suprema, sed conficta, nunquam eius voluntas mouebitur ad illorum amorem absolutè; aliud namque est, posse fingi ab intellectu, aliud posse à voluntate amari, & esse obiecta appetibilia absolutè; sed, dato etiam, quod voluntas se ferret in duo numina ficta, tenderet tantum partialiter in vtrumque, ac proinde non in duos totales, & vltimos fines.

Arg.2. Si homo non posset operari propter duos fines totales, & adæquatos, ergo non posset desiderare duo aliqua bona sub disiunctione v. g. Doctoratum, vel Episcopatum tali voluntatis affectu, vt si alterum haberet, nihil amplius desiderandum superesset, & in hoc casu in quolibet illo-

rum vltimum finem constitueret, sed hoc non videtur impossibile, ergo non est impossibile, duos fines &c. Resp. neg. suppositũm, quia implicat concipere alterutrum, vt bonum sibi sufficiens, & vt vltimum finem.

Arg. vltimò. Non sæpè duos fines vltimos quis sibi constituit de facto; ergo & de possibili. Ant. probari posset multis exemplis, sed maximè duobus. Primo in eo, qui actu fertur in plura obiecta mortalia nullum inter se habentia subordinationem; hic enim duos fines vltimos actualiter sibi constituit. Secundo in iusto venialiter peccante, qui habet pro vltimo fine, & Deum, & creaturam absque vlla dependentia vnius ad alterum, ergo idem homo potest ferri simul in duos fines simpliciter vltimos.

Resp. neg. assumptum; Vnde ad primum de peccato mortali resp. eum, qui peccat mortaliter, non ponere vltimum finem in creatura formaliter, & propria intentione; non enim illum diligit sic, vt se, & sua omnia in illam referat, & expressè, & formaliter illam amet, vt obiectum sibi sufficiens, sed interpretatiuè tantùm, seu imputatiuè, quatenus propter bonum creatum deserit suum finem vltimum, & bonum illud præfert diuinæ amicitiæ, ac proinde interpretatiuè censetur diligere plus creaturam, quàm Deum &c. Quare dum dicimus voluntatem non posse appetere, seu velle duos fines &c. intelligendum est de propria, & formali ratione; interpretatiuè autem, & secundum moralem imputationem, id non apparet repugnare. Ex qua responsione patet, quid sit dicendum de peccato veniali; Nam qui peccat venialiter particularem finem constituit in creatura, quam diligit propter se, non verò vltimum finem humanæ vitæ; quia tunc, neque hunc finem constituit in creatura, explicitè apprehendendo illam esse summum bonum, immo nec interpretatiue, quia cum quis peccat venialiter non ob id se excludit ab amicitia Dei, ac proinde dici nequit operari ac si iudicasset vltimum suum finem non esse in Deo. Pro complemento huius disputationis superest, vt ponamus quædam quæsita ad hanc præsentem materiam spectantia.

Itaque queritur 1. Quid sit consilium.

Resp. Consilium est inquisitio rationis ante iudicium de eligendis. Explicatur: electio consequitur iudicium ra-

rationis de rebus agendis, in rebus autem agendis magna incertitudo inuenitur, quia actiones sunt circa singularia contingentia, quæ propter sui variabilitatem incerta sunt. Quare in rebus dubijs, & incertis ratio non profert iudicium absque inquisitione præcedente; vnde Arist. lib. 3. Eth. cap. 8. ait, electionem esse appetitum præconsiliati.

Quæres 2. Quid sit deliberatio.

Resp. est consilium de eligendis post inquisitionem eorum, quæ sunt ad finem, vel est iudicium determinatum consequens eligendorum inquisitionem de medio aptiori vsurpando ad finem obtinendum.

Quæres 3. Quid sit consensus. Resp. est actus voluntatis acceptantis, & approbantis medium ab intellectu sibi propositum, quatenus conueniens ad finem obtinendum. Duplex autem diuidi solet consensus, alius formalis, seu explicitus, seu expressus, & est actus expressus voluntatis, quo formaliter consentit iudicio intellectus. Alius tacitus, qui dicitur etiam interpretatiuus, & implicitus, & est quando intellectus sufficientèr aduertit aliquid boni, vel mali, nec tamen contradicit voluntas; vnde iuxta illud tritum axioma. Qui tacet consentire videtur; v. g. si insurgat in nobis aliquis motus iræ, vel vindictæ, quem tenemur reprimere, si non obstemus, imò delectemur, in huiusmodi appetitum consentire censemur.

Quæres 4. Quid sit electio. Resp. quod electio sumitur dupliciter; Primò impropriè pro receptione vnius alio relicto, & de hac hic non est sermo; Secundò propriè, vt supponit consilium, & deliberationem, quæ sic describitur; Est actus voluntatis acceptantis vnum medium ab intellectu propositum quatenus conueniens ad finem obtinendum. Hinc colligitur consensum, & electionem differre inter se secundum magis, & minus, omnis enim electio est consensus, non tamen consensus est electio. Quare differunt aliquando realiter, prout consensus est sine electione, aliquando formaliter prout vna, & eadem actio diuerso modo spectata, modo electio, modo consensus appellatur consensus quidem quatenus voluntas acceptat medium ab intellectu sibi propositum; electio verò quatenus vnum medium præ alijs amplectitur.

Quæ-

Quæres 5. Vtrum electio sit tantum eorum, quæ sunt ad finem, an etiam quandoque ipsius finis.

Resp. esse tantum de his quæ sunt ad finem, etsi quandoque finem concernat, non concernit vt finem vltimum, sed quatenus ad vlteriorem finem ordinari potest; Vnde Arist. lib. 3. Eth. dicit voluntatem esse finis, electionem verò eorum, quæ sunt ad finem.

Quæres 6. Vtrum in Brutis, & Pueris sit electio.

Resp. neg. ex Arist. 3. Eth. c. 2. colligitur pariter ex D. Gregorio Nisseno lib. 5. c. 4. dicente, *Pueros, & irrationalia voluntariè quidem agere, sed etiam spontaneè, & non coactè, non tamen esse eligentia*; & hoc patet, nam electio antecedit deliberationem, vt habetur 3. Eth. c. 3. & ibidem docet electionem esse eorum, quæ in nobis sunt consultatiua appetitio: sed in Brutis, & in pueris neque est consultatio, neque deliberatio, ergo nec electio.

Quæres 7. Quid sit imperium, & vsus, & an reperiantur in Brutis. Resp. 1. Imperium est actus voluntatis imperantis sibi ipsi, & alijs potentijs in executione mediorum ad finem, quæ quidem definitio patet ex dictis.

Resp. 2. Vsus est actus voluntatis alias potentias mouentis ad finem propositum efficaciter obtinendum; quæ descriptio, vt clarior fiat; obseruandum, quod sicut duplex est applicatio, altera actiua, quæ est à voluntate, altera passiua, quæ est in facultate; ita duplex est vsus actiuus, qui nil aliud est, quam actus voluntatis mouentis cæteras potentias sibi subditas ad agendum, & passiuus quia est ipsa facultatis electio prout à voluntate mouetur, quo supposito hic de actiuo solum est sermo, nam agitur tantùm de actibus elicitis voluntatis, qualis non est vsus passiuus. Resp. 3. In Brutis non est imperium, neq; vsus. Prob. respons. Ad imperium namque requiritur voluntas, quæ habeat dominium in cæteras potentias, & ad vsum requiritur applicatio libera aliarum potentiarum ad suas actiones cum dominio, quæ non reperiuntur in Brutis. Deinde imperium supponit electionem, vel consensnm; vsus pariter eadem postulat, cum sequatur imperium priùs enim est imperium, vt etiam habetur ex D. Damasc. lib. 2. Orthodoxæ Fidei cap. 23. dicente, *quod impetus ad operationem præcedit vsum*; sed impetus fit per imperium ergo &c.

Quæ-

Quæres denique. Quid sit fruitio, & quod nam eius obiectum. Resp. 1. Fruitio est actus voluntatis circa bonum possessum formaliter consistens in amore amicitiæ, non autem in assecutione obiecti, nec in delectatione, quæ percipitur ex ipso; nam talis delectatio, se habet velut passio profluens à fruitione ita Scotus in 1. dist. 1. q. 3.

Resp. 2. Obiectum fruitionis in communi est finis, vt communis est ad finem verum, qui est solus Deus, & ad finem apparentem, vt sunt diuitiæ, & voluptates, & ad finem præfixum, qualis est ille quem sibi peccator præfigit de quibus omnibus latè in p. 1. disp. de beatitudine.

DISPVTATIO IV.

De bonitate, & malitia morali actus humani.

QVÆSTIO I.

Quid sit bonitas, & malitia moralis.

NOt. ex Scoto in 2. dist. 40. q. 1. quod in actu humano duplex bonitas reperiri potest, altera naturalis, & est illa, quę importat integritatem, seu aggregationem eorum, quæ ei competunt secundum rationem, seu entitatem physicam: Altera moralis, & hæc importat integritatem, & aggregationem eorum, quæ secundùm rectam rationem eidem inesse debent. Similiter malitia, alia naturalis, alia moralis. Prior est, quæ dicit carentiam eorum, quæ actui competunt secundum entitatem physicam. Posterior est carentia eorum, quæ inesse debent actui secundum rectam rationem. Vnde bonitas moralis sic ex Scoto quolib. 18. & 2. dist. 7. & alibi describitur: Est integritas, & aggregatio omnium, quæ recta ratio dictat, actui debere inesse, & malitia è contra. Talis autem descriptio bonitatis, est bonitatis moralis fundamentalis; vt aduertit Mastrius: eo quia bonitas pro formali importat, vt docet Scotus in 1. dist. 17. decorem quemdam illius actus, qui includit illam integritatem, seu quod idem est, importat totalem conuenientiam, & integram conformitatem actus ad rectam rationem consurgentem ex eorum aggregatione; similiter de-

descriptio malitiæ intelligitur de fundamentali, nam pro formali importat defectum illius decoris, & conuenientiæ ad rectam rationem, quam præsefert bonitas.

I. Concl. Bonitas moralis est conuenientia actus liberi cum natura rationali, vt est talis, seu quatenus operatur ex ratione. Est Scoti loc. cit. & alibi D. Bonau. & aliorum, vt notat Herincx disp. 5. quæ sic eam probat. Bonum relatiuè sumptum idem est, quod alicui conueniens; ergo bonum morale actus idem est quod conueniens illi naturæ, quæ moralis denominationis est capax, qualis est sola natura rationalis vt talis, ac proinde bonitas moralis est conuenientia prædicta.

II. Concl. Malitia moralis est disconuenientia, seu repugnantia actus liberi cum natura rationali quatenus tali. Est Scoti quol. 18. & videtur communis. Prob. Malitia moralis est constituenda per ordinem ad eundem terminum ad quem opponitur ei bonitas: nam sic discurrendum est de malitia morali vti de bonitate, ergo est disconuenientia seu repugnantia actus liberi cum natura rationali. Quæ quidem disconuenientia statuitur in priuatione, seu quasi priuatione morali, vt docet Scot. in 2. dist. 37. q. 1. non est tamen consideranda carentia hæc instar priuationis physicæ, & strictè acceptæ, quæ est absentia formæ à subiecto capaci, nam actus potest esse malus, etsi oppositæ bonitatis non sit capax. Itaque est priuatio moralis consistens in hoc, quod bonitas, quæ deest, sit debita; debita, inquiunt, nonnulli, ipsi potentiæ, quæ deberet versari circa Deum v. g. amando, non odiendo, posito quod velit circa huiusmodi obiectum versari, velut alij docent, debita ipsi actui v. g. odij, cui etsi competere simpliciter nequeat conuenientia, seu bonitas amoris, debetur tamen ex suppositione, quod informare velit, vt ita dicam voluntatem liberam: Ita discurrit Herincx loco supracitato.



QVÆSTIO II.

Vtrum moralitas actus humani statuatur nedum in dirrectione, seu dirrigibilitate à recta ratione, sed etiam in libertate.

NOt. Quòd celebris est controuersia inter Theologos de hac quæst. quare diuersæ sunt sententiæ. Prima affirmat moralitatem importare solam regulabilitatem actus à recta ratione præscindendo à libertate: Ita Valent. cum quibusdam Thomistis opinari videtur disp. 2. q. 13. punct. 1. Altera sententia putat, moralitatem esse solam libertatem actus humani. Ita Durand. 2. dist. 28. q. 1. art. 1. quem sequuntur plures Recentiores, vt Suarez, Auersa, Selas, & alij, declarantes id esse intelligendum de libertate morali, & non physica tantum. Tertia sententia, quæ est communior, & verior, docet moralitatem actus humani formaliter importare directionem, seu dirrigibilitatem actus liberi à ratione consulente, & præcipiente, prohibente, vel permittente, connotare autem libertatem, seu includere in obliquo, vel tanquam fundamentum totius generis moris, vel tanquam rationem, seu conditionem fundandi; & hanc tenet Scotus pluribi, & signanter in tertio dist. 30. vbi docet, actum bonum cum deliberatione fieri debere, & à directione deliberationis dici humanum, & imputabilem; Idem docet D. Bonau. in 2. dist. 41. art. 1. q. 2. vbi dicit, actum esse moralem, quia est in potestate voluntatis præuia cognitione, quæ sit regula, quam quidem sententiam amplectuntur passim Recentiores, qui in eo solum discrepare videntur, quod quidam contendunt, moralitatem intrinsecè, & in recto vtramque illam habitudinem importare in actu humano, vt Zumel. p. 1. q. 14. art. 13. & Coninch. tract. de actibus humanis disp. 1. dub. 2. Alij verò volunt, quod actus humanus solam habitudinem ad rationem dirigentem includat in recto, libertatem verò tantum in obliquo, & pro connotato, seu pro fundamento moralitatis.

I. Concl. Moralitas in actu humano nec solam dirrigibilitatem à recta ratione importat, nec solam eius libertatem, sed vtramque simul, rationem quidem dirrigentem

in recto, libertatem autem iu obliquo, seu pro connotato. Est Scoti loc. cit. D. Bonau. & plurimorum extra nostram scholam. Prob. 1. pats. Dantur actus, qui regulantur, & regulabiles sunt à ratione, puta actus beatifici amoris Dei in Beatis, qui non habent moralitatem actus humani; ergo moralitas actus humani adæquatè non consistit in sola regulatione rationis: ant. pat. quia actus beatifici non sunt liberi proximè, sed necessarij, neque sunt præmio digni, ac proinde non sunt morales.

Prob. 2. pars. Si in sola libertate consisteret adequatè moralitas actus humani, non posset in aliquo actu variari ipsa moralitas quoad bonitatem, vel malitiam: sed consequens est falsum, ergo & ant. Prob. min. Demus Titium feria 5. paulò ante mediam noctem incipere manducare carnes, & hunc actum continuare vsque post mediam noctem; tunc sic discurro. Talis manducatio carnis ante mediam noctem potest habere moralitatem actus boni, si v. g. fiat ex obedientia, & ex indigentia: At post mediam noctem habet moralitatem actus mali; quia est contra præceptum Ecclesiæ; ergo potest variari moralitas in aliquo actu humano absque variatione libertatis: ergo &c Præterea existente vna sola libertate idem actus potest habere plures species bonitatis, & malitiæ ex obiecto, & circumstantijs, vt patet de furto commisso in loco sacro; at si ratio communis, & generica moralitatis esset posita in sola libertate, variata vna specie moralitatis, variaretur sine dubio libertas, quæ vt ratio generica esset essentialiter inclusa in qualibet specie moralitatis, ergo &c.

Prob. concl. quoad 3. part. Non est sola regula rationis, nec sola libertas, ergo sequitur, quod sit vtraque, & probatur sic. Ratio moralitatis in communi, seu generica diuiditur tanquam in duas species diuersas moralitatis, nempe in bonitatem, & malitiam, sed bonitas, & malitia dicunt habitudinem peculiarem ad rationem, prout ratio comprehendit & regulam rationis, & libertatem: ergo moralitas, quæ est ratio communis, & generica ad illas debet esse posita in habitudine ad principia moralitatis, hoc est ad regulam rationis, ac voluntatis libertatem: quod insinuat Arist. 2. Eth. c. 4. vbi docet, quod inter cætera, quæ postulantur, vt actus sit moralis, vnum est, quod fiat

cx

ex electione; qui enim operatur ſtudiosè debet operari ſciens, eligens, & propter ipſum; ergo vtraque requiritur ad moralitatem.

Verùm hæc ratio concludit de vtraque in recto potius, & ex æquo, quam in recto, & in obliquo; vnde ſi velimus tenere, vtramque exigi in recto, non recedimus à Scoto, quia de hac re eius mens non eſt certa. Confirmatur conc. ex Scoti doctrina, docentis in 4. diſt. 14. q. 3. quod actus dicuntur morales à conſuetudine, ſiue à more, quatenus per eos aſſueſcimus ſic, vel ſic operari; ſed poſſe aſſueſcere nobis competit tantùm ſecundùm actus liberos, non vero naturales, qua ratione lapis ob iteratum deſcenſum non dicitur aſſueſcere; ergo moralitas actus humani non ſolum importat dirrigibilitatem, vel ſolam libertatem, ſed vtramque, vel ex æquo, vel ſaltem vnam in recto, ideſt rationem, & aliam in obliquo ideſt libertatem, tanquam fundamentum præuium, ad cuius poſitionem ſequitur adæquata ratio moralitatis.

II. Concl. Libertas actualis ſiue directa, ſiue indirecta, ſiue expreſſa, ſiue interpretatiua eſt neceſſaria ad moralitatem, tanquam fundamentum; libertas autem aptitudinalis non ſufficit. Prob. 1. pars. Nam omnis moralitas actualis eſt meritoria, vel demeritoria, laudabilis, vel vituperabilis, ſed hæc conſiſtere nequeunt ſine actuali libertate; ergo libertas actualis eſt neceſſaria &c. Prob. 2. pars. Quia ſi ſufficeret libertas aptitudinalis, ergo actus ex eo quod eſſet moralis, eſſet etiam bonus, vel malus; ſed hoc eſt abſurdum, vt patet de homicidio facto ab ebrio, & ab ipſo non præuiſum, ergo &c.

Arg. cont. 1. concl. probando moralitatem in ſola libertate conſiſtere ex Scot. in 2. d. 40. ſ. de 2. dico, docente actum dici moralem, quia liberè elicitum, & quol 18. actum eſſe imputabilem, quia eſt in poteſtate voluntatis; ergo &c. Reſp. Scot. non excludere dirigibilitatem à ratione, imò illam præſupponere, quia libertas conſiſtere nequit ſine cognitione eius, quod operatur. Vnde amentes, ſicut ſunt vſu rationis priuati, ſic nec habere poſſunt vſum libertatis, quæ præexigit rationem regulantem. Itaque ſola libertas non eſt ſufficiens, ſed requiritur etiam regula rationis.

Con-

Contra. Actus eo ipso, quòd est liber, est moralis; ergo moralitas, & imputabilitas formaliter consistit in sola libertate: Prob. ant. Actus liber quatenus liber distinguitur ab actu necessario: sed actus necessarius quà talis non est moralis, nec imputabilis; ergo actus liber quatenus liber erit moralis, ac proinde in sola libertate stat moralitas.

Resp. conc. ant. & neg. conf ad probat. dist. mai. actus eo ipso, quòd est liber, est moralis, & imputabilis ratione solius libertatis voluntatis, adeout eius libertas sit totale principium moralitatis, nego, simul cum recta ratione regulante, & ostendente, quid agendum, & non agendum, conc. mai. Vnde quando dicitur moralitatem consistere in libertate includitur etiam regula rationis, alioquin non esset libertas sufficiens ad moralitatem.

Arg. probando non requiri libertatem necessariò ad ponendum actum moralem. Actiones Christi etiam præceptæ fuerunt morales, quia moritoriæ, non tamen fuerunt liberæ, aliàs peccare potuisset eas omittendo: similiter visio beata, & fruitio sunt actus morales, & tamen sunt actus necessarij; ergo &c. Resp. quod Christus ex priuilegio fuit simul viator, & comprehensor, ac proinde speciali modo merebatur, & operabatur; regulariter tamen loquendo, seu de lege ordinaria est necessaria libertas proxima exercitij in actu ad fundandam bonitatem, & malitiam moralem; esto in Christo ex priuilegio fuerit tantum libertas remota, quia non erat simpliciter viator, sed etiam comprehensor. Ad illud de actibus beatificicis dicitur non reperiri in eis bonitatem moralem, de qua hìc loquimur, sed rectitudinem quandam natualem: immò quia Beati sunt aliquo modo liberi saltem libertate intrinseca, & remota, concedi potest ipsis actibus beatificis aliqua bonitas tali libertati proportionata; qua ratione docuit Scot. loc. cit. actum beatificum v. g. Michaelis posse à Deo acceptari velut meritorium, ac proinde eadem ratione dici potest maxima laude dignus.



QVÆSTIO III.

Vtrum bonitas, & malitia sint differentiæ essentiales actus humani.

NOt. 1. Quòd moralitas, vt sic, se habet veluti genus ad bonitatem, & malitiam moralem, ac proinde istæ sunt species ipsius generis moralis. Vnde cum bonitas sit species moralitatis debet ex parte generis importare id, quod importat moralitas, ideſt modum illum habitudinis, in quo moralitatis essentia collocatur; ex parte autem differentiæ nil aliud potest addere, nisi quod talis habitudo sit ad obiectum, vt consonum regulis morum, & maximè, quia per hoc distinguitur à malitia, quæ respicit obiectum dissonum. Verùm si bonitas, & malitia comparentur ad actum humanum; tunc non se habent, nisi tanquam quid extrinsecum, & velut accidentia ad subiectum, quod afficiunt, vt clarius patebit infra &c.

Not. 2. Quod, vt supra significatum fuit, moralitas actuum humanorum consistit formaliter in habitudine, seu relatione actus liberi ad regulas morum; hæc autem relatio non est rationis, vt quidem non rectè sentiunt, sed est realis; conuenit enim actibus humanis independenter ab omni operatione, & fictione intellectus, cum reuerà, & à parte rei actus humani sint boni, vel mali, meritorij, vel demeritorij, laude, vel vituperio digni. Cæterùm huiusmodi relatio non est prædicamentalis, sed transcendentalis, quia relatio prędicamentalis respicit terminum, vt purè terminum, habitudo autem ad obiectum vt regulabile, in qua moralitas actus humani consistit, non respicit illum, vt purum terminum, sed vt specificatiuum, & causam formalem extrinsecam. Tum quia relatio prædicamentalis dependet ab existentia termini, quo deficiente euanescit, moralitas autem non sic, potest namque dari actus complacentiæ de bono præterito, bonus, & delectatio morosa de actu præterito malo, peruersa.

Not. 3. quod præsens quæstio mouetur præsertim de actibus ab ipsa voluntate elicitis, nam de imperatis, qui ab alijs potentijs fiunt, satis patet distinctio moralitatis ab entitate physica. Vnde experientia constat, vnum, &

eundem actum externum in esse naturæ per diuersas moralitatis species vagari, propria entitate inuariata, & ab vna in aliam transire, & consequenter non possunt bonitas, & malitia se haberi ad tales actus, nisi vt quid accidentale. Circa quam quæstionem sic explicatam sunt tres opiniones. Prima putat, moralitatem esse actui libero essentialem, adeout ille actus, qui non est moralis, non possit manens idem essentialiter aquirere aliquam moralitatem, siue bonitatis, siue malitiæ ità Granad. p. 2. tract. 9. disp. 2. citans pro sua opinione plures Doctores. Secunda admittit in actibus, qui versantur circa obiecta delectabilia, quà talia præcisè, moralitatem esse accidentalem, quibusdam tamen asserit esse essentialem: & sunt ij actus, qui bonitatem, vel malitiam ex obiecto desumunt ita Arioga. Tertia sententia est D. Bonau. in 2. & Scoti in 1. dist. 17. q. 3. & Scotistarum, quam passim Doctores amplectuntur; ideo sit iuxta mentem Scoti.

Concl. Bonitas, & malitia non sunt differentiæ essentiales actus humani, neq; secundum eius entitatem physicam, neque in genere moris; Prima pars, vt notat Herincx, est contra quosdam Thomistas; Secunda est contra superiùs recensitos. Prob. 1. pars. Bonitas, & malitia possunt ab actu separari, manente eadem entitate actus, si videlicet actus desinat esse liber, sed quod potest separari ab aliquo nequit esse essentiale respectu eius: ergo bonitas, & malitia non sunt differentiæ essentiales actus humani, nec proprietates, sed accidentia communia actus humani in esse physico; potest namque idem actus specie, & numero de necessario fieri liber, & è contra, vel ex defectu attentionis circa obiectum, vel ex defectu aliarum circumstantiarum, puta inaduertentiæ, inconsideratio- nis, motus primi &c. Prob. 2. pars. Actus etiam moralis potest de bono fieri indifferens, aut malus, vt de actu externo est certum; comestio namque carnis incæpta ante mediam noctem feriæ sextæ non est mortalis, & continuata post mediam noctem est mala mortaliter; ergo bonitas, & malitia nec quidem actus humani in genere moris sunt differentiæ essentiales.

Confirm. esse morale actus constituitur ex dictis per libertatem, sed libertati prout consistit in ipsa voluntate

accidit bonitas, & malitia, ergo & actui spectato in esse morali; quod enim accidit formæ constitutiuæ actus in esse morali, etiam accidit actui ita constituto; sicut sequitur; albedinem accidere homini, vt sic, quia accidit rationali, quod est differentia hominis constitutiua.

Arg. 1. Veritas, & falsitas sunt differentiæ per se actus intellectus, ergo similiter bonitas, & malitia respectu actus voluntatis. Resp. neg. ant. quia etiam veritas, & falsitas sunt accidentia actus iudicatiui, vt sic, qui probabilius potest de vero transire in falsum, & è contra.

Resp. 2. conc. ant. & neg. conf. Quia veritas, & falsitas ex solo obiecto, bonitas autem, & malitia insuper ex libertate, & conscientia operantis, & alijs circumstantijs pendet.

Dices, etiam malitia, & maximè bonitas actus humani desumitur ab obiecto. Resp. non desumi à solo obiecto, sed etiam ab operante, & ab alijs circumstantijs; & dato etiam, quod bonitas ex obiecto competeret essentialiter, attamen quia ab illa sola non dependet bonitas moralis, hinc fit, bonitatem, & malitiam secundum omnia ad ipsas concurrentia accidere actui humano.

Contra. Aliqui actus humani sunt essentialiter, & intrinsecè boni, vt actus virtutum Theologicarum, alij intrinsecè, & essentialiter mali, vt odium Dei, blasphemia &c. ergo &c. Resp. neg. assumptum. Quia neque actus supradicti sunt ita necessariò boni, vel mali, vt nequeant bonitate carere, vel malitia morali, cum possint desinere esse liberi. Dicuntur tamen esse boni priores actus intrinsecè ob bonitatem illorum obiectiuam, ex qua fit, vt eo ipso, quod liberè exercentur, sint conformes rectæ rationi, nulla circumstantia extrinseca requisita v. g. lege positiua eos præcipiente. Posteriores autem dicuntur intrinsecè mali, quia eo ipso, quod exercentur liberè, sunt necessariò moraliter mali, etiam seclusa lege positiua, qua prohibentur. An autem respectu talium actuum, si considerentur in genere moris, possit dici bonitatem, & malitiam esse conditiones essentiales, aut saltem necessariò consequentes, parum refert, nec de hoc est inter nos, & alios Auctores specialis controuersia; ita discurrit noster Herincx p. 2. disp. 3. q. 2.

Quæres 1. Vtrum idem actus humanus, tam internus, quàm externus bonus possit successiuè affici malitia morali. Resp. affirmatiuè quoad vtramque partem ex Scoto quol. 17. quem sequuntur Scotistæ, & plures Recentiores extra nostram Scholam. Prob. 1. pars, & 2. simul. Ex dictis bonitas, & malitia non sunt differentiæ essentiales actus humani, ergo idem actus entitatiuè affici potest modo bonitate, & modo malitia morali.

Prob. etiam specialiter 1. pars. Potest quis habere actum elicitum per ignorantiam, seu inaduertentiam circa obiectum in se malum, & eundem actum continuare, accedente iam ignorantia vincibili. Demus e. g. sacerdotem missam celebrantem ignorare inuincibiliter hanc Ecclesiam esse interdictam, postea verò aliquid audit de interdicto, negligit tamen de eo inquirere, & perseuerat in eadem prima volitione; in tali casu idem numero actus entitatiuè erit successiuè bonus, & malus, ergo &c. dixi successiuè, eò quia fieri non potest, vt idem actus humanus internus, seu elicitus possit simul, & semel affici bonitate, & malitia morali intrinseca; *bonum namque ex integra causa*, vt docet D. Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus.

Prob. 2. pars. Nam, vt supra tactum fuit, potest quis incipere carnes manducare ante mediam noctem feriæ sextæ, & continuare talem manducationem etiam post mediam noctem, sed in tali casu idem actus externus, nempe comestio, qui erat bonus, accedente tempore, quo lex prohibet carnis comestionem, euadit malus, ergo idem actus externus &c.

Quæres 2. An eidem actui externo competere possit bonitas, & malitia respectu diuersorum operantium, immò & eiusdem operantis. Resp. quod 1. pars quæsiti videtur certa. Donatio enim eleemosynæ, quatenus procedit à domino ex fine vanæ gloriæ, vel fornicationis, est mala, quatenus autem procedit à famulo ex pio affectu misericordię est bona; similiter passio Christi erat mala respectu Crucifigentium, & bona respectu Christi patientis, ergo &c.

Prob. 2. pars; quæ videtur esse contra communem sententiam, eam tamen docuit Almainus, & sequitur Arriaga dicens inter Recentiores esse communissimam, vt refert noster Herincx, qui sic eam probat. Potest idem actus exter-

ternus imperari per diuersos actus internos, quorum vnus est bonus, & alter malus; ergo in isto opere externo simul erit bonitas extrinseca, & malitia extrinseca alterius actus interni mali, ac proinde erit idem actus externus bonus, & malus etiam respectu eiusdem operantis, vt patet de eleemosyna imperata principaliter ob subleuationem, & pietatem pauperis, & secundariò etiam ob vanam gloriam.

QVÆSTIO IV.

Vtrum actus humani desumant bonitatem, vel malitiam ex obiecto.

NOt. 1. Quòd bonitas moralis duplex est, vna dicitur formalis, seu actualis, quæ reperitur in ipso actu, & qua actus dicitur formaliter bonus; altera dicitur obiectiua, quæ reperitur in obiecto, & constituit rem, in qua est, obiectum bonæ actionis moralis. Verùm obiecta sunt in triplici differentia; alia sunt obiecta ex sui natura bona, & honesta, alia ex sui natura mala, & inhonesta, alia denique ex sui natura neque bona, neque mala, sed indifferentia ad bonitatem, & malitiam. Prima sunt amare Deum, dare eleemosynam, amare parentes &c. Secunda sunt odire parentes, furari, fornicari &c. Tertia sunt ambulare, spuere, leuare festucam, & similia.

Not. 2. Quod bonitas obiecti, nec in vtilitate, nec in delectabilitate, sed in honestate consistit, ac proinde obiectum non dicitur bonum moraliter, quia est vtile, & delectabile, sed quia honestum. Bonum enim vtile, & delectabile possunt esse obiectum bonæ, & malæ actionis, quia non amantur propter se, sed propter aliud: quare si est vtile ad assequendum finem honestum, tunc erit bonum, si ad finem inhonestum, & turpem, erit malus. Similiter delectabile, nequit per se dare actui bonitatem moralem, quia sæpè, quod delectat, non est honestum, sed turpe; vnde bonum vtile, & delectabile reuocantur, vel ad bonum honestum, vel ad bonum inhonestum, & turpe.

I. Concl. Bonitas, & malitia actus humani desumitur ex obiecto. Prob. hæc communis conc. 1. auct. S. Script. Et signanter Oseæ cap. 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ di-*

lexerunt, ergo ex obiectis dilectis deriuatur actio humana abominabilis, vel laudabilis, quæ quidem rationes præsupponunt in actu, vel bonitatem vel malitiam, ex quibus oritur laus, vel vituperium, ergo &c.

Prob. ratione. Sicut in naturalibus prima, & specifica bonitas rei naturalis sumitur à forma, quæ dat illis speciem; ita in moralibus prima, & specifica bonitas moralis attendi debet à forma, quæ dat speciem actui humano; sed obiectum se habet vt forma dans speciem actui morali; ergo ab eo sumitur prima, & specifica bonitas moralis. Maior patet, min. prob. Omnis motus, & via ad terminum respicit ipsum tamquam propriam formam, quia comparatur ad eum veluti potentia ad actum, & sicut determinabile ad determinatiuum, sed actus est essentialiter via, seu tendentia in obiectum, ergo illud se habet vt forma dans illi speciem. Tum quia actus humanus tam in esse moris, quàm in esse physico consideratus est essentialiter respectiuus; ergo debet sumere primam suæ moralitatis speciem ab eo, quod primariò respicit, quod est obiectum: hoc autem est intelligendum de obiectis ex natura sua; vel bonis, vel malis, non autem de obiectis indifferentibus.

II. Concl. Ad hoc vt obiectum tribuat actui humano causaliter specialem bonitatem, vel malitiam debet ipsum per se, & citra conceptum alterius conditionis obiectiuæ habere specialem ordinem conuenientiæ, aut disconuenientiæ cum natura rationali quà tali. Hæc est communis. Ratio est, quia vt ostensum est in prima Conclusione; Nequit obiectum tribuere bonitatem, vel malitiam, nisi in se ipso illas radicaliter contineat, quatenus est vel honestum, vel turpe, ac proinde radicaliter conueniens, vel disconueniens rationi; alioquin nequit concipi, quomodo obiectum specialem bonitatem, vel militiam actui tribueret. Hinc actui adulterij accedit specialis malitia iniustitiæ, ex eo quod mulier non sit propria, sed aliena.

Arg. 1. cont. 1. concl. Actus humanus sumit primam moralitatis speciem ab eo, quod primò respicit, sed primum, quod respicit est finis, obiectum autem est volitum propter finem; ergo actus humanus primam suæ moralitatis speciem non ab obiecto, sed à fine desumit.

Resp.

Resp. conc. mai. & dist. min. Est finis, qui coincidit cum ipso obiecto, conc. min. est finis, qui habet rationem circumstantiæ, nego.

Arg. 2. Vna, & eadem res potest esse obiectum boni, & mali actus; Deus namq; potest esse obiectũ amoris, & odij, pecunia potest esse obiectum liberalitatis, & auaritiæ; ergo bonitas, & malitia actus nequit desumi ex obiecto. Confirm. Nam actus exterior v.g. largitio eleemosynæ est actus humanus, & bonus, sed huiusmodi actus non desumit suam bonitatem ex obiecto, quia nullum habet obiectum, sed ipsum potius est obiectũ actus interni, ergo &c.

Resp. veram non esse maiorem de obiecto sumpto in genere entitatiuo, sed in genere moris, & secundum diuersas moralitates obiectiuas, quas vnum, & idem obiectum materiale habere potest ratione conuenientiæ, vel disconuenientiæ ad regulas morum. Aliud enim est obiectum materiale, & aliud formale in genere moris, vt infra patebit. Ad Confirm. negatur assumptum, eo quia obiectum actus exterioris, vniuersaliter loquendo, est illa materia circa quam versatur, quatenus subest regulæ rationis, puta largitionis eleemosynæ obiectum est pecunia, obiectum furti est res &c.

Arg. 3. Hic actus (Volo honestè viuere) est singularis, & determinatus in genere moris, & tamen eius obiectum non est determinatum, sed communissimum, ergo moralitas specifica actus humani non desumitur ex obiecto.

Resp. dist. ant. in esse rei est commune, & genericum, conc. ant. quatenus respicitur sub vno motiuo consonanantiæ ad rationem, neg. ant. in hoc enim sensu acceptot Volo honestè viuere, est vnũ in ratione obiecti, sicut obiecta scientiarum, habituum, & potentiarum, estò ampla, & diffusa, tamen, vt comprehenduntur sub vna ratione formali, ad vnitatem specificam in ratione obiecti pertinent.



QVÆSTIO V.

Vtrum actus humani aliquam bonitatem, vel malitiam desumant a circumstantijs.

NOt. 1. Quòd circumstantia est accidens, seu conditio actus humani moralis, ipsum moraliter afficiens: actus autem humani circumstantię septem solent numerari, quæ hoc versiculo continetur. Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Quis: significat qualitatem, seu conditionem personæ agentis, conferentem aliquid bonitatis, vel malitiæ ipsi actui per accidens coniuncti v. g. Quod operans sit Religiosus, coniugatus, ex officio, aut iustitia obligatus. Quid: denotat non rem seu obiectum, sed obiecti qualitatem conferentem aliquid bonitatis, & malitiæ &c. v. g. quod res furtiua sit sacra, quod percussus sit pater, aut clericus, quod ex furto sit damnum secutum &c. Vbi: denotat loci accidentariam conditionem conferentem &c. v. g. Quod in loco sacro fusus sit sanguis, vel semen; quod in loco publico sit scandolosè peccatum &c. Quibus auxilijs denotat accidentaria media, & instrumenta actus humani, v. g. quod aliquid sit patratum ope Dæmonis, aut malefici, veneno &c. quod missa sit celebrata absque calice consecrato. Cur: denotat non intrinsecum finem operis, sed extrinsecum operantis conferentem &c. v. g. Quod eleemosyna data sit ad vanam gloriam, quod verba iocosa directa fuerint ad luxuriam, quod furtum sit commissum ad fornicandum. Quomodo: denotat modum accidentarium &c. v. g. quod actus sit commissus intensè, remissè, spontè, coactè, scienter, ignoranter, motu primo, vel secundo &c. Quando: significat accidentariam temporis conditionem conferentem &c. v. g. quod aliquid sit omissum, vel commissum tempore festi, interdicti, prohibitionis &c. Aliqui addunt octauam circumstantiam, nempe quoties, sed reuerà numerus non est indiuidui actus humani circumstantia, quasi similis actus secundus foret circumstantia primi, sed est multiplicatio similium actuum.

Not. 2. Quòd circumstantiæ sunt duplicis generis, aliæ dicuntur formales, quæ se tenent ex parte actus, vt intensio,

ſio, remiſſio actus, maior, vel minor libertas, facilitas, vel difficilitas in operando, duratio &c. Aliæ dicuntur obiectiuæ, quæ ſe tenent ex parte obiecti, vt maior, vel minor quantitas eleemoſynæ, & huiuſmodi ſunt circumſtantiæ loci, temporis, perſonæ. Vnde circumſtantiæ priores augent bonitatem, vel malitiam in eadem ſpecie, at poſteriores, augent bonitatem, & malitiam in eadem ſpecie ſolùm, quando pertinent ad idem obiectum virtutis, vel vitij.

Not. 3. Quòd circumſtantiæ ſe tenentes ex parte obiecti, aliæ dicuntur mutantes ſpeciem actus, aliæ augentes eius bonitatem, vel diminuentes. Primæ ſunt illæ, quæ ſpectant ad ſpecialem virtutem, vel ſi ſpectent ad eandem virtutem quaſi genericam, important tamen aliam, & aliam difformitatem, eo quia ſub vna virtute, puta religionis ſunt plures virtutes, veluti ſpecies ſub genere, vt e. g. circumſtantia Perſonæ ſacræ, loci ſacri, voti, iuramenti &c. Secundæ verò augent bonitatem, vel malitiam actus intra eandem ſpeciem, quia non ſpectant ad diuerſam virtutem; ſic qui furatur decem nummos peiorem actum elicit, quam qui quinque tantum, licet non eliciat actum ſpecie diuerſum, & è contra de actu bono.

Cæterùm placet adnotare, quod noſter Doctiſſimus Marchant. in 1. tom. ſui Tribunalis tract. tit. 3. q. 4. tradit diuiſionem circumſtantiarum in eas, quæ ſunt meræ circumſtantiæ, & ſunt, quæ ita actum, vel opus circumſtans, vt ad ſubſtantiam operis, vel actus nullatenus pertineant e. g. circumſtantia Perſonæ ſacræ &c. & in eas, quę ab ipſo appellantur mixtæ, quæ aliqua quidem ratione opus, vel actum circumſtant; at ſub alia ratione conſideratæ verè ad ſubſtantiam operis, vel actus pertinent e. g. furtum mille aureorum, vel concubitus ſacrilegus, quem cum moniali haberet religioſus; etſi enim vnum ſacrilegium ſpecie, ac numero ſit ob circumſtantiam voti; iniuria tamen, & violatio caſtitatis Deo promiſſæ, quæ eſt tam ex parte religioſi, ac monialis, pertinet, imò complet totam ſubſtantiam actus, ſiue operis, quatenus malum eſt, adeout ex duabus partialibus iniurijs vna totalis cooaleſcat, & vtraque confitenda eſt in Sacramento pœnitentiæ: ſed latius de hoc agetur, Deo adiuuante, in tractatu de peccatis.

I. Concl.

I. Concl. Omnis actus humanus siue externus, siue internus habet aliquas circumstantias, à quibus desumit quandam bonitatem, vel malitiam diuersam ab ea, quam ab obiecto habet. Hæc constat ex Concil. Trid. sess. 14. c. 5. & Can. 7. vbi definitur: In confessione explicandas esse circumstantias, quæ peccati speciem mutant, sine quibus à pœnitentibus peccata integrè explicari nequeunt. Quare etsi Trid. loquatur de peccatis, & actibus malis, tamen ob paritatem rationis tenet à contrario de actibus bonis. Hanc eandem veritatem tradiderunt D. Thomas part. 2. q. 18. art. 3. & Scotus in 2. dist. 7. q. vnica §. ad solutionem, & quolib. 18. §. de 1. Prob. euidenti ratione. Nulla videtur esse actio humana, tam externa, quam interna, quæ vltra bonitatem, & malitiam primariam, & essentialem, quam habet ex obiecto, non habeat etiam aliquam accidentalem, & secundariam ex adiunctis, quæ adesse, & abesse potest, salua specifica bonitate, & malitia ex obiecto desumpta, vt experientia ipsa testatur; nam actus humanus ratione circumstantiarum redditur magis conformis, vel difformis regulis morum, ac proinde magis dignus laude vel vituperio; ergo &c.

Confirm. ex analogia ad res naturales, in quibus bonitas, & perfectio rei naturalis non solum à forma substantiali desumitur, sed etiam ex accidentibus; ergo à pari in genere moris, bonitas, & perfectio actus non solum sumitur ex obiecto, quod se habet instar formæ substantialis, sed etiam à circumstantijs, quæ sunt quædam accidentia ei adiuncta. Ratio autem a priori est, quia tales circumstantiæ possunt importare ordinem conuenientiæ, seu conformitatis, vel disconuenientiæ, seu difformitatis ad rationem diuersum ab eo, quem importat obiectum; non solum enim est disconueniens rationi furari, sed etiam furari in loco sacro &c.

II. Concl. Dantur circumstantiæ non solum aggrauantes bonitatē, vel malitiam intra eadem speciem, sed etiam nouam speciem addentes. Prob. quia circumstantia interdum dicit nouam, & specialem conformitatem, vel difformitatem ad rationem, interdum non; sed tantum auget, & perficit actum præexistentem, ergo &c. Cæterum, quoad circumstantias mutantes speciem, compertum est

ex Trident. plures reperiri in peccatis, vt etiam supra tactum fuit ideo &c.

III. Concl. Ad hoc vt circumstantiæ formales dent bonitatem, vel malitiam non est necesse, quod intendantur, neq; quod prænoscantur. Prob. Quemadmodũ actus ipse voluntatis, vt sit voluntarius, non est necesse quod præcognoscatur, neque alio actu distincto sit formaliter, & expresse volitus, ita etiam ad hoc, vt circumstantia se tenens ex parte eiusdem actus, e. g. remissio, duratio &c. sit voluntaria, sufficit vt sit volita vt quo, sicut ipse actus, licet non sit volita, vt quod: Et hic modus voluntarij sufficit, vt tales circumstantiæ bonitatem, vel malitiam in actum refundant: ita Mastrius disp. 5. de actibus humanis q. 4. art. 4. Concl. 4.

IV. Concl. Vt circumstantia obiectiua tribuat actui bonitatem, vel malitiam debet esse aliquo modo cognita, & insuper debet esse volita, bonitas quidem directè, malitia saltem interpretatiuè; ita communis sententia Theologorum, teste Poncio. Prob. 1. pars. Nam bonitas, vel malitia obiecti, vt influat in actũ, debet esse cognita; alioquin, qui furaretur rem in loco Sacro, committeret sacrilegium, estò ignoraret, quod locus, vel res esset Sacra.

Prob. 2. pars. A paritate bonitatis obiecti, quæ debet esse directè volita ad hoc vt influat in actum, ergo similiter bonitas circumstantiæ. Prob. 3. pars; nam sufficit, quod malitia obiecti sit indirectè, & interpretatiuè volita; ergo idem dicendum est de malitia circumstantiæ, quę quidem malitia in praxi nequit præscindi; quia moraliter est necessariò annexa obiecto: e. g. nequit præscindi, neque ab actu interno malo, vel externo, circumstantia adulterij; adeout possit quis velle habere copulam cum tali muliere vxorata, & voluntate delectari de tali copula; ac si non esset vxorata; & tanto minus in actu ipsius copulæ. Cæterum licèt generaliter sit verum nempe vt circumstantiæ obiectiuæ dent speciem, per se non requiri, quod intendantur; in aliquibus tamen per accidens euenire potest, quod debeant esse per se volitę, & intentę saltem materialiter. Quarè pro maiori intelligentia obseruanda est doctrina, quam tradit Scotus in 4. dist. 22. q. 1. de circumstantijs aggrauantibus peccatum. Docet igitur quędam

dam esse generales, quæ nimirum in omni peccato inclùduntur, vt inobedientia, ingratitudo, contemptus aliqualis Dei, & similes; quasdam verò esse speciales, quæ non in quolibet peccato reperiuntur, sed speciali prohibitione, qua prohibetur obiectum, cui per accidens adiunguntur. Itaque doctrina superius adducta venit intelligenda de circumstantijs specialibus, nam qui occidit Clericum, vel furatur rem Sacram, esset Sacrilegus, etsi nollet adesse tales circumstantias, non verò de circumstantijs generalibus, quæ ad hoc vt tribuant specialem malitiam actui, oportet, quod sint per se volitæ, & intentæ saltem materialiter, & ratio est, dicit Scotus, quia generaliter includuntur in omni peccato, vel tamquam passiones, vel tamquam gradus generici, nam eo ipso, quod aliquis agnoscit actum hunc esse peccatum, & adhuc illud perpetrat, implicitè, & indirectè vult omnes præfatas circumstantias, ac proinde non obligatur in confessione illas explicare. Verùm si peccator esset tantæ peruersæ voluntatis, vt intenderet ex motiuo Deum offendendendi, vel legi eius non subijciendi, tunc peccatum speciales contraheret malitias distinctè in confessione aperiendas, nempè iniuriæ Dei, inobedientiæ, superbiæ, contemptus diuinæ legis, & sic de alijs.

Dices. Quarè si aliquis occidens Clericum, & agnoscens huiusmodi homicidium esse contra legem communem, contra legem gratitudinis non contraheret specialem malitiam ingratitudinis inobedientię, contemptus &c. nisi deliberatè intendat agere contra istas leges? Resp. ex Scot. in 4. dist. 17. q. 1. hanc esse rationem, eò quia circumstantia non dat specialem malitiam diuersam ab ea, quam dat obiectum, cui accidit, nisi speciali, ac diuersa prohibitione sit vetita, diuersamque dicat difformitatem ad rationem; cum igitur hanc specialem prohibitionem, ac difformitatem non habeant huiusmodi circumstantiæ generales, nisi quatenus sibi adiungi potest ab operante expressa intentio contemnendi beneficium acceptum, obuiandi præcepto, qua præceptum est, hinc fit, quod refundere nequeunt specialem malitiam, nisi earum inhonestas specialiter intendatur.

V. Concl. Circumstantiæ interdum conferre possunt primam, & essentialem bonitatem, vel malitiæ speciem; tunc autem desinunt esse circumstantiæ, & transeunt in

ra-

rationem obiecti. Hæc pariter eſt communis, quæ ſolet explicari varijs exemplis; etenim ſi quis faciat eleemoſynam per vanamgloriam, tanquam finem totalem, & particularem, tunc talis actio ex obiecto bona, euadit mala eſſentialiter ex circumſtantia finis, non amplius retinens rationem circumſtantiæ, ſed tranſiens in rationem obiecti.

Similiter in actione indifferenti idem contingit, dum fit ex bono, vel malo fine, vt ſi quis ſtudeat ob vanamgloriam, vel gloriam Dei, in his enim caſibus finis extrinſecus (de quo in quæſtione ſequenti magis patebit) confert actui primam ſpeciem bonitatis, vel malitiæ, ac proinde rationem habet non circumſtantiæ, ſed obiecti.

QVÆSTIO VI.

Vtrum actus interior ſumat bonitatem à fine extrinſeco.

NOt. 1. Quòd duplex finis poteſt intendi à voluntate, vnus intrinſecus, & proximus, qui eſt idem cum obiecto, & vocari ſolet finis operis; vt dare eleemoſynam ob ſubleuationem pauperis, alius extrinſecus, & remotus, qui differt ab obiecto, & eſt precipuè inter circumſtantias, & vocatur finis operantis, vt docet Scotus in 2. diſt. 30. vt ſi quis det eleemoſynam ex fine pœnitentiæ, vel vanæ gloriæ; qui quidem finis non competit tali actui ex ſui natura, ſed ſolum ex intentione operantis. Hic autem nos loquimur non de fine intrinſeco, ſed extrinſeco.

Not. 2. quod obiectum actus humani eſt id, in quod natura ſua tendit, ſeu circa quod verſatur, & dicitur materiale; formale autem obiectum eſt ratio, ſub qua in obiectum materiale tendit actus, potentia, & habitus. Vtrumque autem hoc obiectum partiale efficit vnum totale, & vtriuſque bonitas adeſſe debet, vt illam det ipſi actui. Quare ſi actus obiectum materiale ſit bonum, formale autem malum, actus erit malus v. g. eleemoſyna, & ſubleuatio miſeriæ alienæ facta ad fornicandum. Idem eſt dicendum, ſi obiectum formale ſit bonum, materiale verò malum v. g. furtum commiſſum cum intentione dandi eleemoſynam. Verùm ſi obiectum materiale actus foret indifferens moris,

& formale bonum, tunc actus esset bonus, vt dictum est supra; & è contra. Quare omnes actus humani habentes idem obiectum formale sunt eiusdem speciei: estò habeant diuersa obiecta materialia, e. g. duo actus charitatis, quibus diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum: è diuersò actus habentes idem obiectum materiale, & formale diuersum, distinguuntur specie, e. g. actus fidei, spei, & charitatis habentes idem obiectum materiale Deum sub diuersa ratione formali, nempe fides Deum vt primam veritatem reuelantem, spes vt summum bonum nostrum, charitas vt summum bonum per se idest ipsius Dei.

I. Concl. quando actus voluntatis ex obiecto est indifferens, & refertur ad finem bonum sub ratione boni honesti, tunc sumit ab illo bonitatem in aliqua specie. Ratio desumitur ab opposito. Quando actus refertur ad finem malum, seu turpem, tunc sumit ab illo malitiam in aliqua specie peccati; ergo si actus indifferens ex obiecto refertur ad finem bonum, seu honestum recipiet ab illo bonitatem in aliqua specie moris. Confirm. Nam electio medij est eiusdem speciei cum intentione finis; ergo si finis est bonus, etiam medium indifferens sumet ab illo suam bonitatem.

II. Concl. Quando actus humanus ex obiecto est bonus, & refertur ab operante in bonum finem, adeout bonitas finis sit diuersæ speciei à bonitate obiecti, tunc sumit nouam speciem bonitatis ab ipso fine. Est Scoti quolib. 18. & in 4. dist. 14. q. 2. §. si quæratur, vbi docet, actum vnius virtutis sæpè imperari ex motiuo alterius, & opus melioris virtutis factum propter eundem finem esse magis meritorium.

Prob. ratione. Actus ex obiecto indifferens, vt mox dicebamus, sumit bonitatem à fine, ergo etiam actus ex obiecto bonus, sumit à fine nouam bonitatem, bonitas namque obiecti non obstat, quin à fine possit nouam bonitatem participare.

Confirmatur à contrario: Actus ex obiecto malo sumit nouam malitiam à fine malo iuxta illud Eth. 5. c. 2. Qui furatur propter adulterium, magis adulter est, quam fur; ergo etiam actus ex obiecto bonus accipiet à fine bono nouam speciem bonitatis; non enim minus efficax est intentio finis boni circa bonam electionem, quam intentio mali finis circa malum electionem.

III. Concl.

III. Concl. Quando obiectum electionis est per se bonum, & proximè amatur propter eandem bonitatem, cum relatione ad alium finem extrinsecum habentem bonitatem formaliter distinctam, tunc species bonitatis ex obiecto desumpta est essentialis illi actui, desumpta verò ex fine est accidentalis. Ita Mastrius disp. 5. q. 4. art. 5. n. 237. de actibus humanis, eamque sic probat. Bonitas obiecti ex se sufficiens est dare actui speciem virtutis; ergo si actus proximè, & immediatè tendit in obiectum propter propriam ipsius honestatem, sumet ab eo primam, & essentialem virtutis speciem.

Confirmatur. Nam in tali casu applicari potest regula, quæ traditur de malitia, quia hæc species ex obiecto desumpta est inuariabilis in tali actu; voluntas enim dandi eleemosynam propter illius honestatem, semper est in specie misericordiæ, siue referatur in finem pœnitentiæ, siue religionis, siue in quodcumque aliud bonum: è diuerso, quando quis furatur ad mechandum, cum actus furti nequeat esse sine malitia iniustitiæ, bene tamen sine malitia mechiæ, dicendum est illam ex medio desumptam esse essentialem actui in genere moris, hanc verò ex fine desumptam esse accidentalem.

Dices: cum quis vult ieiunare, vel tribuere eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis, non intendit tale opus propter se, sed tanquam medium ad pęnitentiam; at medium, quà tale, non habet rationem boni honesti, quæ soli fini conuenit, sed tantum boni vtilis; ergo talis actus non habet bonitatem moralem ab obiecto, quod immediatè respicit, sed à fine extrinseco tantum, ad quem ordinatur, ac proinde bonitas tunc non erit essentialis obiecto in genere moris, sed potius à fine recipiet &c.

Resp. neg. mai. & ratio est, quia ieiunium, vel eleemosyna facta, vel volita ad satisfaciendum pro peccatis simul intenditur, & propter se proximè, & propter aliud, nempe propter pœnitentiam, ad quam ab operante ordinatur. Vnde non habet rationem puri medij, nec puri finis, sed finis simul, & medij, seu finis intermedij, cum sit bonum honestum ratione sui, & bonum vtile ratione ordinationis ad pœnitentiam, veluti ad finem extrinsecum, ac proinde prima bonitas erit actui essentialis.

Vtrum idem actus voluntatis possit simul, & eodem tempore habere diuersas species moralitatis, & esse bonus ex obiecto, & esse malus ex fine, vel è contra, malus ex obiecto, & bonus ex fine.

NOt. Quòd in hac quæstione sunt duæ sententiæ vna affirmat posse simul consistere malitiam ex fine, & bonitatem ex obiecto in eodem actu voluntatis, ita Almai. tract. 1. moral. cap. 12. Caiet. part. 2. quæst. 18. art. 9. Corduba in quæst. lib. 2. quæst. 23. & alij. Altera negat, & est communis inter Recentiores, eamque videtur docere Scotus quolib. 18. vbi ait iuxta sententiam D. Dionys. *Bonum ex integra causa* &c. bonitatem moralem consurgere debere ex integritate omnium, quæ ad actionem humanam requiruntur, ita vt vna sola circumstantia deficiente, totus actus deturpetur, & malus dicatur; sit ergo.

Concl. negatiua ad mentem Scoti, Mastrij loc. cit. num. 253. & aliorum extra nostram scholam. Prob. conc. 1. auct. D. Thomæ, qui consonat Scoto in 2. dist. 48. q. 1. art. 4. vbi sic docet. Cum quis dare vult eleemosynam propter inanem gloriam, hic est vnus actus voluntatis, & hic actus totus malus est, licet non ab omni eo, quod in eo est, malitiam habere, & ratio ipsa id clarè suadet; nam licèt obiectum huius actus: Volo dare eleemosynam propter inanem gloriam materialiter, & in esse entis sit bonum, formaliter tamen, & in esse obiecti, & vt actum illum terminat, & specificat, non est bonum, sed malum. Tum quia habet rationem medij ordinati ad malum finem, idest vanam gloriam, ac proinde non est conforme, sed difforme dictamini rectæ rationis, & prudentiæ. Tum etiam, quia tunc circumstantia finis mali transit in rationem obiecti specificantis, & finalizzantis, ergo actus non potest simul esse bonus ex obiecto, & malus ex fine, & è contra. Vnde qui furatur ad bonum finem, nempe ad dandam eleemosynam, non habet bonum finem, sed malum, quia est causa furandi, & ratio eligendi malum medium, à quo vitiatur finis, & ad eius speciem trahit.

Arg.

Arg. 1. cont. concl. In naturalibus bonitas naturalis alicuius rei consistere potest cum aliquo eius defectu, vt patet de homine, cui deest aliquis oculus; ergo etiam in moralibus bonitas essentialis, quæ sumitur ex obiecto poterit consistere cum malitia ex fine, vel alia circumstantia.

Confirmatur ex illa reg. iuris. Vtile per inutile non vitiatur l. 1. ff. de verb. oblig. ergo si actus electionis ex parte medij est bonus, per malitiam finis non vitiabitur.

Præterea est maxima Theologorum: Posse actum excusari à tanto, & non à toto, ergo dari potest actus partim bonus ex obiecto, & partim malus, nempe ex fine, ac próinde actus erit bonus, & malus simul. Resp. ex Scoto quol. 18. duplicem esse bonitatem naturalem, aliam primariam, quæ dicitur entitatiua, & éssentialis, & est passio entis, aliam secundariam, & accidentalem, si in assumpto antecedenti intelligatur de bonitate secundaria negatur, quia etiam in naturalibus dicitur turpis illa facies, cuius vna sola pars est deformis; si verò de bonitate primaria conceditur assumptum, & negatur paritas, quia cum perfectione essentiali stat defectus accidentalis; illa enim sumitur præcisè ab eo, quod est à parte rei, at bonitas moralis non sumitur ex obiecto, vt est à parte rei, sed vt est conforme, vel difforme regulis morum. Ad confirmat. resp. ex Alciato nobili Iurista in d. l. illud axioma veritatem habere in his, quæ separationem accipere possunt, qualis est actus constans ex pluribus partibus; falsum autem in indiuiduis, idest in opere, quod non accipit diuisionem sine corruptione.

Ad vlt. neg. conf. Ex eo enim, quod actus excusatur à tanto, & non à toto, non sequitur aliquem actum moralem partim esse bonum, & partim malum, sed esse simpliciter bonum, vel malum, & totaliter; minoris tamen malitiæ potest esse ob aliquam circumstantiam diminuentem, vt fornicatio ex graui tentatione commissa.

Arg. 2. Circumstantia mala finis adiuncta obiecto honesto non tollit intrinsecam honestatem ipsius; ergo nec tollit, quin illam possit actui humano communicare in ipsum tendenti. Resp. dist. ant. Non tollit intrinsecam honestatem illius in actu primo conc. in actu secundo neg. ant. tollit itaque in actu secundo honestatem, quatenus impedit finis malus, ne refundatur in actum; obiectum namq, ho-

nestum non communicat honestatem suam actui, vt cumque in ipsum tendenti, sed eo modo, quo proponitur, ac præscribitur à prudentia, nempe, quod actus tendat in obiectum bene circumstantionatum, vt honestatem ab eo sumere possit.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum actus externus addat aliquid bonitatis, vel malitiæ actui interno.

NOt. 1. Quòd quando quærimus, an actus externus addat bonitatem, vel malitiam interiori, simul quærimus, an sit maioris meriti, vel demeriti actus internus simul cum externo, quam solus internus; nec loquimur de merito ex opere operato, quia sic certum est opus externum e. g. suscipiendi Sacramentum addere ex opere operato aliquid bonitatis actualis gratiæ, & virtutum, quæ propter solum actum voluntatis Personæ cupientis suscipere tale Sacramentum non confertur; sed loquimur de merito operantis. Insuper hæc quæstio intelligenda est de voluntate efficaci, quæ tamen non operatur, quia ab extrinseco impeditur; Si enim oblata occasione operandi, non operatur, & voluntas est inefficax, aut imperfecta, sine dubio tali bonitati actus adderetur aliqua bonitas ratione operis externi; cum certum sit, quod maioris valoris est elargitio eleemosynæ propter Deum, quam sola voluntas inefficax elargitionis. Itaque quæstio est de actu perfecto, & efficaci, cui succedit actus externus velut effectus voluntatis efficacis.

Not. 2. quod non est hic sermo de bonitatis intensiuæ additione, vt etiam aduertit Scot. quolib. 18. sed de extensiua; siquidem si de intensiua loquamur compertum est actum exteriorem regulariter addere aliquid bonitatis, vel malitiæ actui interiori causaliter, vel occasionaliter, quia eo posito intenditur actus internus, vt ipsa experientia constat, nam qui reipsa martyrium patitur, regulariter ex hoc capite plus meretur, quam qui illud efficaciter optat; cum ille occasionem habeat eliciendi nouos, ac plures, & intensiores actus. Idem cæteris paribus dicendum de per-

petrante fornicationem, ac de cupiente fornicari. Igitur tota difficultas est de extensiua, itaut sensus quęsiti sit, inquit Scotus. An actus exterior, quando in eodem supposito coniunctus est cum interiori, habeat propriam, ac distinctam bonitatem, vel malitiam, quæ superaddatur bonitati, vel malitiæ actus interioris.

Not. 3. quod circa hanc quæstionem in hoc sensu explicatam celebris est controuersia; Etenim Thomistæ cum omnibus ferè recentioribus negant, actum externum aliquid bonitatis, vel malitiæ addere actui interno. Ita D. Thomas p. 2. q. 20. art. 3. Ex aduerso Scot. cum suis, affirmat, quæ sententia est etiam Alens. part. 2. q. 107. memb. 8. art. 2. & p. 4. q. 77. memb. 3. art. 3. & D. Bonau. 2. d. 40. art. 2. q. 1. & dist. 42. art. 1. q. 2. qui falsò pro sententia opposita adducitur à Recentioribus. Cæterum nonnulli sententiæ oppositæ fortè rationibus pressi (inquit Mastrius in hac quæstione) suam opinionem ita explicant; Quod cum dicunt actum externum nil bonitatis, vel malitiæ addere actui interno, id debere intelligi tantùm in ordine ad præmium, vel pœnam essentialem, non verò de pœna accidentali, vel præmio; in hoc enim sensu fatentur aliquid pluris addere externum, ac proinde concludunt actum exteriorem solum secundùm quid facere hominem meliorem, vel peiorem.

Concl. Actus exterior habet distinctam bonitatem, vel malitiam; ac proinde aliquid bonitatis, & malitiæ essentialis addit actui interno. Est Scoti loc. cit. & aliorum. Prob. 1. auct. D. Aug. qua vtitur ipsemet Scot. dicentis lib. 13. de Trinit. c. 5. *Mala voluntate, vel sola, quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis adimpletur*. Hoc autem intelligi nequit de miseria pœnæ, quia desiderans, & non potens habere, quod desiderat, plus habet de pœna, quam ille, cuius desiderium impletur; ergo intelligitur, inquit Scotus, de malitia culpæ.

Resp. Suarez, Pallauicinus, Serra ex Ricard. & alij augeri malitiam actus interni per externum, & intensiuè, & extensiuè, sed tantum in ordine ad præmium, & pœnam accidentalem; ac proinde non simpliciter, sed tantum secundum quid hominem meliorem, vel peiorem efficere, vt supra indicaui ex eodem Mastrio.

 Ve-

Verùm hæc responsio vel non soluit vel incidit in nostram sententiam, quia præmium, vt præmium, fundatur super bonitate, & merito, sicut è diuerso pœna fundatur super malitia, & demerito; ergo si actui interno secundum se coniuncto cum externo, correspondet proprium præmium, vel pœna siue essentiale, siue accidentale, correspondet etiam propria bonitas, vel malitia, ideoque Thomistæ sic respondentes incidunt in nostram sententiam, vt latè discurrit Mastrius tom. 2. disp. 5. q. 5. de actibus humanis.

Prob. 2. nostra concl. Si sententia Thomistarum admitteretur, sequeretur, quod actus externus non necessariò in confessione esset explicandus, quia fatendo quis voluntatem efficacem furandi, fornicandi &c. in eorum sententia explicaret totam peccati malitiam, sed consequens est contra communem ecclesiæ praxim, ergo &c.

Resp. neg. seq. mai. sed non omnes eandem assignant rationem: Aliqui dicunt confitendum esse actum externum, quia aliter nequit explicari voluntas efficax patrandi peccatum: sed hæc responsio ex dictis est falsa &c. Resp. Suarez disp. 10. sect. 1. Arriaga, Auersa, ad rationem superius adductam, sed ne quæstio nimis excrescat, ommissis omnibus alijs responsionibus, affero solam responsionem Salas ad eandem rationem, dicentis, actum externum facere vnum peccatum cum interno, quatenus est obiectum actus interni, ac proinde in confessione explicandum, quia ab eo deriuatur malitia in actum internum.

Contra. Etiam si admittatur, quod actus exterior faciat vnum totale peccatum cum interno; adhuc tamen redit eadem difficultas, nam quando actus exterior ponitur, vel grauiùs peccatur extensiuè, vel non: si primum adhuc habemus intentum, non obstante tali vnitate peccati; si secundum, ergo non est opus illud explicare in confessione; licet faciat vnum per se pecccatum cum interno; sicut circumstantiæ aggrauantes intra eandem speciem, faciunt etiam vnum cum actibus internis: Sufficienter enim explicaretur in confessione, dicendo, quod quis habuerit efficacem voluntatem e. g. furandi, cum non magis deriuetur malitia ab actu externo in internum per hoc, quod ponatur in esse, quam si solum efficaciter sit volitum absque positione in esse. Itaque vt etiam ait noster Baronius in Eth. actione

ne 2. actus exterior est formaliter bonus, vel malus. Prob. deniquè ex Scot. à priori. Bonitas moralis est integritas omnium eorum, quę secundum rectam rationem debentur actui, è contra malitia; sed alia est integritas actus externi, & alia interni, quia actus externi sunt subordinati, legi, & regulis morum quibus conformari possunt, vel difformari; ergo habent aliam moralitatem ab illis distinctam; sicut vnus actus internus, ab alio, actio namque externa potest cadere per se sub præcepto, ac proinde supponitur in ipsa aliqua propria bonitas, vel malitia.

Arg. cont. concl. & 1. auct. S. Scrip. & SS. PP. & signanter Gen. 22. *Quia fecisti* (idest facere paratus fuisti) *hanc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi.* Quibus verbis Deus voluntatem Abrahæ pro facto, non minus gratam habuit, quam si opere, quod Deus impediebat, fecisset, & compleuisset. Et ad Corinth. Epist. 2. D. Paulus dicit; *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet a cepta est, non secundum id, quod non habet*: Vbi Apost. videtur docere, quod voluntas efficax sit eiusdem meriti apud Deum, se sola, ac cum opere externo coniuncta, ergo &c.

Resp. quod ex 1. auct. solum habetur, Abraham sua bona voluntate, qua voluit immolare Isaac, sufficienter promeruisse præmium aliquod, non tamen habetur, quod præmium tam excellens promeruerit, quale accepisset, si actum externum immolationis addidisset actui interno. Resp. a 2. Ex Textu adducto solum inferri potest, quod voluntas efficax sit eiusdem meriti quoad sufficientiam, nempe, vt ei tribuatur præmium essentiale, non vero quod sit eiusdem meriti quoad excellentiam, nimirum, vt ei tam excellens tribuatur præmium, ac si actus externus propter bonam voluntatem positus fuisset.

Arg. 2. obijciendo PP. qui videntur docere voluntatem pro facto reputari, & signanter D. Aug. lib. 1. de libero arb. c. 3. de eo, qui cupit adulterari, quod non exequitur ob carentiam occasionis, vel impedimenti; *Non minus Reus est, quam si ipso facto deprehenderetur*, sic etiam Bernard. Epist. 77. & cæteri. Resp. Patres in hoc sensu locutos fuisse, videlicet, quod voluntas reputatur pro facto quoad culpam, non verò quoad quantitatem culpæ.

Arg. 3. ratione. Actus externus est solum bonus, vel ma-

lus denominatione extrinseca, desumpta à bonitate, vel malitia actus interni imperantis, ergo &c. Resp. neg. ant. & ratio est, vt supra indicauimus, quia vt Scotus docet quol. 18. non solum actus internus est natus habere conuenientiam, vel disconuenientiam ad rationem, sed etiam actus imperatus exterior, mediante actu interno, à quo in ipsum redundat bonitas, vel malitia, ac proinde habet propriam, & intrinsecam bonitatem, vel malitiam.

Arg. 4. Vbi non est noua, ac distincta libertas, neque est noua, & distincta bonitas, vel malitia, quæ in libertate fundantur, sed in actu externo non est distincta libertas ab interno, quia externa necessariò sequitur ex efficaci voluntate, ergo &c. Resp. neg. mai. Nam moraliter potest dici distinctas esse libertates in actu interno, & externo coniunctis, quatenus voluntas habet distinctum dominium, & imperium reuocatorium in vtrumque; quousque perfectus sit, vt significat Scotus quolib. 18. ad 1. principale. Itaque quando libertas actus interni externo communicatur, eum imperando; quandam libertatem distinctam participatam in illum transfundere censetur, quę sufficiens est ad inducendam aliam bonitatem, vel malitiam.

Dices libertas actus imperati dependet à libertate imperantis, immò videtur esse eadem libertas imperati, & imperantis, ergo est eadem libertas, & non distincta.

Resp. ex Scot. loc. cit. neg. cons. & ratio negationis est, quia interdum dicitur libertas imperati dependere à libertate imperantis, in quantum non potest effectus posterior denominari liber, nisi prior actus denominetur talis; & quàmuis posterior necessarius videatur ex suppositione, suppositio tamen libera est, & non est liberè volita, nisi vt habet connexionem cum posteriori.

Arg. vltimò. Qui voluntate efficaci vuult furari, & non furatur; solùm, quia non inuenit quod furetur, non minori supplicio est apud Deum, ac si furatus fuisset, ergo &c. Tum quia aliàs sequeretur aliquem posse priuari merito sola appositione extrinseci impedimenti; vt si quis volenti dare eleemosynam ligaret manus; sed hoc est falsum, quia potius enim duplicaretur ei premium, vt de se ipsa dixit S Lucia Pascasio. Si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.

Resp.

Resp. Furem in tali casu non esse minori supplicio digno apud Deum, si de essentiali loquatur; Secus autem de accidentali, quod ei adderetur per furtum reuerà patratum. Ad illud de volente elargiri eleemosynam similiter resp. quod non haberet meritum, & præmium accidentale; licèt haberet essentiale; Quare duplicaretur ei præmium non ratione omissionis actus externi, sed ex alio capite, nempe ex patientia, vel ex intensione actus, sicut euenisset etiam in S. Lucia quæ, si esset violata, occasionem habuisset resistendi inclinationi naturalis appetitus, delectationis &c.

Quæres 1. An bonitas, vel malitia competat priùs actui interiori, vel exteriori.

Resp. bonitatem primariò conuenire actui interiori voluntatis, exteriori autem per denominationem extrinsecam ab interiori; Ita videntur sentire Theologi antiquiores; vt D. Bonau. in 2. dist. 42. art. 1. q. 1. & Scotus eadem dist. in solutione 2. & 3. q. Verum Scot. quol. 17. vbi de hoc ex professo agit indicat contrarium tenere, cum doceat, actum exteriorem, non tantum denominatiuè, sed etiam intrinsecè participare bonitatem, & malitiam moralem, vt superius ostensum fuit. Quare censeo esse respondendum cum distinctione etiam de mente Scoti. Bonitas, & malitia formalis priùs conueniunt actui interiori, per quem deriuatur in exteriorem actum; Bonitas autem obiectiua priùs competit actui externo, & deinde actui interno, & prob. hæc 2. pars auct. D. Aug. quæ passim affertur: *Non ideo furari esse malum, quia velle furari est malum, sed potiùs ideo velle furari est malum. quia furari est malum*, ergo bonitas, & malitia obiectiua priùs competunt actui externo, quàm interno. Prob. etiam ratione. Illa actio primariò, & ratione sui est bona, aut mala, quæ primariò, & ratione sui est conueniens, vel disconueniens naturæ rationali; illa verò secundariò est talis, quæ ratione alterius est conueniens, & disconueniens, sed actio exterior bona, aut mala ex obiecto, & circumstantijs primariò, & ratione sui talis est, & interior solum ratione exterioris; ergo &c. In hac eadem Sententia videtur esse etiam D. Thom. p. 1. q. 20. in qua expresè docet, vt aduertit Caspensis, bonitatem, vel malitiam ex obiecto, & circumstantijs priùs competere

 actui

actui exteriori, & ab ipso deriuari ad interiorem; quamuis idem Caspens. contendat cum nonnullis Recentioribus, qui volunt D. Thom. loqui solum de bonitate, & malitia obiectiua, non verò de formali, vt putat Caspensis.

Quæres 2. An actus internus, & externus sint vnum peccatum, vel duo peccata. Resp. ex nostro Bassolio in 2. dist. 42. dici posse vnum peccatum, & plura; vnum quidem vnitate ordinis, non autem simplicitatis, & indiuisibilitatis, quo sensu actus exterior, & interior censetur esse vnus actus humanus; quando enim vnum est propter aliud, est tantum vnum in hoc sensu, vt & Scot. indicat quol. 18. a. 3.

Vel resp. metaphysicè, & considerando naturam vtriusque actus, in vtroque esse duas malitias, ac proinde esse duo peccata; at secundum moralem æstimationem, considerando nimirum actum, vt imputabilis est, qua ratione illi debetur laus, vel vituperium, pœna, vel præmium, sic vnam esse malitiam, & vnum peccatum, sicut vna est libertas deriuata ab actu interiori ad exteriorem, & vna malitia in genere moris, & sic ex vtroque consurgit vna integra actio moralis, quæ coalescit ex illis duabus malitijs partialibus.

QVÆSTIO IX.

Vtrum dentur actus indifferentes, tam in specie, quam in indiuiduo, qui nec boni sint, nec mali.

NOt. 1. Quòd in hac celebri quæstione grauis est controuersia inter Thomistas, & Scotistas; nam Thomistæ cum D. Thom. in p. 2. q. 17. art. 5. concedunt dari actus indifferentes in specie, sed non in indiuiduo; sic enim docet. D. Thom. Dicendum, quod contingit quandoque aliquem actum esse indifferentem secundum speciem, qui tamen est bonus, vel malus in indiuiduo consideratus, & hoc ideo, quia actus moralis, sicut dictum est, non solum habet bonitatem ex obiecto, à quo habet speciem, sed etiam ex circumstantijs, quæ sunt quasi quædam accidentia, & mox subdit, oportet, quod quidam indiuidualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum, vel malum, ad minus ex parte intentionis finis; quia ne-

necesse est, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem; vnde necesse est omnem actum hominis à deliberatiua ratione procedentem, in indiuiduo consideratum, bonum esse, vel malum; hactenus D. Thomas. Scotistæ è contra cum Scoto in 2. dist. 41. ad cuius claritatem, & ad tollendam omnem contradictionem, quæ videtur esse in Scoti doctrina, qua de re etiam Scotistæ inter se pugnant, non omnes in eodem sensu Scotum intelligentes, & explicantes; ponuntur sequentia notabilia.

Not. 2. Quòd in hac quæstione non est sermo de actibus, qui ratione ignorantiæ inuincibilis, inaduertentiæ indeliberationis non sunt boni, nec mali; sed loquimur de actibus liberis, & deliberatis: Vnde quando quæritur: An detur actus indifferens secundum speciem; sensus est, an detur actus, qui moraliter nec sit bonus, nec malus ex obiecto, & fine intrinseco: similiter de a[illegible]u indifferenti in indiuiduo, sensus est; an detur actus indifferens in indiuiduo, idest spectatis etiam circumstantijs, à quibus saltem extrinsecè, & in genere moris dicuntur indiuiduari, quatenus à parte rei nunquàm datur actus humanus, nisi cum his, vel illis circumstantijs.

Not. 3. Quòd in doctrina Scoti tria actuum genera distinguenda sunt. Primum purè naturalium, prouenientium à natura secundùm gradum communem brutis citra deliberationem voluntatis, & dictamen rationis, quales sunt quos affert Scotus loc. cit. fricatio barbæ, & leuatio festucæ: secundùm est purè moralium, & prorsus humanorum, qui à ratione imperantur cum deliberatione, quales sunt eleemosyna, abstinentia, iustitia &c. quorum bruta non sunt capacia. Tertium, quod mediat inter extrema explicata, est illorum actuum, qui partim naturales sunt, partim morales; ac proinde ita procedunt à facultate naturali, vt pariter admittant moralem; quales sunt actus generandi, piscandi, ambulandi, imperandi seruo, vt domum ornet &c. qui quidem actus, vt dicit Scotus fieri nequeunt sola imaginatione, quemadmodum fricatio barbæ. Quare Scotus admisit actus indifferentes explicatos in hoc tertio genere, non autem in primo genere, cum illi procedant, vt testatur etiam ipse Scotus ex sola imaginatione, non ex libero arbitrio impellente. Actus namque tertij generis sunt

in-

indifferentes quocumque modo sumantur, cum sint extra genus actus virtuosi, & intra genus actus deliberati, & humani, capaces quidem circumstantiæ bonæ, & malæ, sed non illam exigentes.

Not. 4. Ex D. Bonau. in 2. dist. 41. cui consonat Scotus, quod aliquid ordinari potest ad Deum tribus modis, idest actualiter, virtualiter, & habitualiter. Actualiter, quando quis de fine vltimo, hoc est de Deo cogitans illum amat, ac proinde omnia in Deum ordinat. Virtualiter, est, quando quis refert aliquod opus in Deum, adeout opus sequens habeat directam ordinationem, & consequentiam ad primum e. g. si quis intendat dare pro Deo centum nummos, & incipiat dare, & cogitat de Deo in primo nummo, in alijs autem non, sed distrahitur. Si autem opus alterius generis inciperet, oporteret, vt intentio remaneret ad hoc, quod opus esset meritorium. Per hunc modum, inquit D. Bonau. intelligitur esse in viris Religiosis, qui principio ex charitate deuouerunt portare Religionis pondus; quicquid enim faciunt, quod ad suæ Religionis obseruantiam spectat, ex prima intentione est eis meritorium ad salutem, nisi forte, quod absit, superueniat contraria intentio, vel maneat in peccato mortali. Habitualiter, quando non præcogitato fine vltimo, siue Deo, ex sola boni operis consideratione ipsa charitas, vel aliqua alia virtus charitate inferior inclinat ad ipsum opus bonum, sicut vir obediens meretur obediendo Prælato sibi præcipienti, etiam si nihil de Deo cogitet, sed solum consideret, quod bonum est obedire. Ideoque Scot. loc. cit. ad rem nostram sic docet. Non tenetur homo, nec tentione necessitatis, contra quam sit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam sit peccatum veniale, referre semper actum suum in Deum actualiter, vel virtualiter, quia Deus non obligauit nos ad hoc.

Concl. Dantur actus indifferentes non solum in specie, sed etiam in indiuiduo. Prima pars est communis; secunpars est Scoti loc. cit. & Scotistarum, & plurimorum extra nostram Scholam; eamque primò docuerunt D. Bonau. & Alens. p. 3. q. 35. memb. 3. Prob. 1. auct. D. Hieron. Epist. 89. vbi docet obseruantiam legis antiquæ non licere, neque esse indifferentem post mortem Christi, sed malam, & subdit.

dit. *Sunt namque differentiæ inter bonum, & malum, sicut Philosophi disputant; est enim bonum continentia, & malum luxuria, & inter vtrumque indifferens ambulare; hoc neque bonum, neque malum est, siue enim feceris, siue non feceris, neque iustitiam habebis, neque iniustitiam.* Quid clariùs pro nostra sententia.

Neque valet dicere, quod Hieron. loquitur ex specie, & ex obiecto, non verò in exercitio, & in indiuiduo; eo quia illa verba, siue feceris, siue non feceris, apertè indicant effectum, seu actum in exercitio, & in indiuiduo. Prob. 2. ratione à priori ex D. Bonau. & Scot. Nullum datur præceptum obligans nos dirigere omnes nostros actus liberos in bonum finem moraliter; ergo possunt dari actus indifferentes; etiamsi si sint deliberati, quales sunt ambulare ad expellendum frigus; vel ad sanitatem conseruandam, vel sedere, vel habere aliquam delectationem non prohibitam; antecedens patet, quia non tenemur ad opera indifferentia ex obiecto; ergo &c.

Confirm. Quia quando opera nostra ex obiecto, & specie sua sunt indifferentia, & fiunt ex indigentia aliqua naturæ, ut mox dicebamus, non sunt bona moraliter, neque mala; ergo sunt indifferentia. Ant. prob. Quod non sint bona patet manifestè, quia iam essent digna laude, & meritoria vitæ eternæ, & materia voti, & iuramenti, quod est ridiculum asserere. Cæterum quod non sint mala, nisi eis addatur aliqua mala circumstantia probatur. Quia non sunt otiosa, fiunt enim ex indigentia aliqua naturæ ad eam subleuandam. Et certè si mala essent, & peccata, essent materia sufficiens sacramenti, & absolutionis. Quis enim dicet, quod deliberatè lauare faciem, expurgare corpus, calefacere &c. sint actus, qui de necessitate referenda sint ad finem moralem, alioquin peccata committi. Ingenue Ariaga de se ipso inquit. *Ego de me fateor, quousque hanc quæstionem primò agitare audiui, nil de tali obligatione vnquam cogitaui, nec putaui, me aliquid mereri vel demereri in huiusmodi actibus.* Neque ullus confessor esset, inquit Montesinos una cum Caspensi, qui talem materiam admitteret veluti sufficientem materiam absolutionis Sacramentalis.

Prob. 2. ad hominem. Nulla species esse potest, quæ non existat in aliquibus indiuiduis, sed dantur actus in sua specie indifferentes, etiam per Aduersarios, ut sedere

ambulare, ſcribere qui ſecundum ſe, neque bonitatem, neque honeſtatem, neque malitiam, ſeu turpitudinem habent; ergo dantur etiam indiuidua indifferentia, in quibus eſse poſſit prædicta ſpecies, quia ſicut dantur actus ex obiecto indifferentes; ita etiam circumſtantiæ ſunt indifferentes, & præſertim circumſtantia finis extrinſeci, vt conſtat de actu, nec præcepto, nec prohibito. Prob. 3. Non repugnat eſse omiſſionem voluntariam in indiuiduo indifferentem, e. g. quando aliquis ceſsat ab aliquo opere bono non præcepto, quod ſi vellet, poſset proſequi, & tamen ceſsatio voluntaria nequit dici mala, nec bona, quia non eſt omiſſio operis præcepti; ergo &c.

Prob. denique. Poteſt quis prudenter ſequi hanc noſtram ſententiam, quæ propter auctoritatem, & rationem eſt probabilior, quia magis fauet conſcientiæ, ſuccurrit humanæ imbecillitati, ac proinde vitantur quam plurima peccata venialia, quæ ſi admittatur oppoſita ſententia, non euitantur; tum quia eſt in fauorem libertatis humanæ, non enim debemus, inquit D. Bonau. obligationem aliquam ei imponere ſine graui fundamento rationis, vel auctoritatis. Si quis, inquam, ſecundũ noſtram ſentẽtiam operetur, tunc actus eius non erit bonus, nec malus, ſed indifferens; non quidem malus, quia prudenter iudicat, talem modum operandi ſibi eſse licitum; nec bonus, quia non ordinat illum ad finem honeſtum: ergo ſaltem per accidens datur actus indifferens, ergo dari poteſt &c.

Arg. 1. auct. in qua præcipuè fundatur opinio oppoſita. Patres explicando illud dictum Chriſti de verbo otioſo. Matth. c. 12. *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de illo in die iudicij*: conueniunt per verbum otioſum intelligi, quod fruſtra profertur, ſine honeſto, & rationabili fine, ergo nequit dari actus indifferens in indiuiduo. Reſp. comuniter. Verbum, & opus indifferens factum ex aliqua indigentia naturali non eſse otioſum, eſtò ſine careat honeſto, non tamen rationabili cauſa, cum fiat ad naturam ſubleuandam. Cæterum doctiſſimus Macedo in 2. collat. 10. Different. 4 ponderat naturam verbi otioſi, & explicat, illud dici otioſum, quod deſtituitur ſuo fine, ad quem eſt inſtitutum, verba autem ſunt inſtituta ad manifeſtanda ſenſa interna hominibus, & ad ciuilem ſocietatem;

tem; Vndè verba ſic inſtituta, & ordinata, ſi careant debito fine, ſunt otioſa. Secùs autem ſi ſint voces naturales, quales ſunt exclamationes, admirationes, & interiectiones; hæ enim nec ſunt bonæ, nec malæ in genere moris.

Arg. 2. auct. SS. PP. qui, vt videre eſt apud doctores Recentiores ſtant pro oppoſita ſententia, & ſignanter D. Aug. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. ait. *Voluntatem in medio non poſſe conſiſtere, vt neque bona, neque mala ſit. Si enim diligatur iuſtitia bona eſt; ſi verò non diligatur, non eſt bona*: ergo &c.

Reſp. ex Macedo; quod Patres in hunc ſenſum ſunt interpretandi; nempe de actionibus propriè, & rigoroſè moralibus, & de ijs, quæ finem exigunt honeſtum, & virtuoſum, non verò de alijs, quæ intra latitudinem naturalem continentur. Quod attinet ad auct. D. Aug. dicendum, non loqui in eo ſenſu, quo adducitur, ideoque dicit, voluntatem non poſſe conſiſtere &c. non enim datur ſtatus medius inter iuſtitiam, & iniuſtitiam; ac proinde voluntas vel eſt in iuſtitia, ideſt gratia, vel non, & ſic eſt in culpa; non verò excludit dari aliquas actiones indifferentes.

Arg. vltimò. Si darentur actus indifferentes in indiuiduo per ipſos generari poſſet habitus, ſed talis habitus nequit admitti, ergo &c. Prob. min. Quia omnis habitus eſt determinatus ad certos actus, & etiam determinat potentiam ad eoſdem actus eliciendos; at iſte eſſet indeterminatus. Reſp. conc. quod generatur habitùs indifferens ex actibus indifferentibus, ſed negatur probatio; fit enim tranſitus ab vna ſignificatione ad aliam; eſſet ſiquidem determinatus ad conſimiles actus, eſſet autem indeterminatus in genere moris. Cæterùm hæc dicta ſint diſputationis gratia, & ad veritatem inueſtigandam. Quilibet enim Chriſtianus, & præſertim Religioſus amplecti debet conſilium D. Pauli, ſic nos monentis. *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.*



QVÆ-

Vtrum bonitas moralis dependeat à conformitate cum voluntate diuina. Vel sub alio titulo. An voluntas humana, vt sit recta, debeat conformari cum voluntate diuina in volito.

NOt. 1. Quòd voluntas Dei, alia est beneplaciti, quæ verè, & formaliter est in Deo, alia est signi, quæ est signum alicuius voluntatis existentis in Deo, cuiusmodi est præceptum, prohibitio, permissio, consilium, & operatio. Voluntas beneplaciti, alia est simplex omninò complacentia respiciens obiectum sine ordine ad existentiam; alia verò cum ordine siue absoluto, siue conditionato tendens ad existentiam obiecti; & quidem si voluntas diuina, omnibus consideratis aliquid absolutè velit, dicitur consequens, & ista semper impletur. Si autem solum velit, quantum est de se, vel considerata una ratione boni, & non omnibus, dicitur ant, ut etiam dictum est in part, 1. in disp. de D. voluntate.

Not. 2. Quòd tribus modis intelligi potest, nostram voluntatem debere conformari voluntati D. primò in obiecto materiali; quatenus voluntas creata vult idem, quod diuina. Secundò in obiecto formali, quatenus voluntas creata vult idem ob eandem rationem, & finem ac diuina. Tertio. in quantum licet voluntas creata non velit, quod Deus vúlt, vult tamen id, quod Deus vult ipsam voluntatem hominis velle. Profectò voluntas creata non obligatur semper se conformare voluntati diuinæ in volito formali positiuè; non enim obligatur positiuè velle omnia, quæ vult Deus, & multo minus sub eadem ratione; cum possit quandoque ab omni actu se abstinere. Immò etiam si aliquid velit, non est necesse, ut id velit sub eodem motiuo, quo vult Deus, tum quia particulares rationes, quas habet Deus sunt homini ignotæ: Tum quia Deus omnia vult propter suam bonitatem, & tamen voluntas creata non peccat, si non operetur ex motiuo charitatis. Tum quia nullibi extat huiusmodi præceptum, seu obligatio, Nam voluntas creata

potest esse recta etiam si non habeat præfatam conformitatem; cum ad honestatem sufficiat motiuum quodcumque honestum, etsi diuersum ab eo, quod habet Deus. Itaque sufficit, quod voluntas creata habeat sub ratione aliqua generali ad bonitatem honestam conformationẽ in volito formali. Quare voluntati creatæ non debet displicere ratio sub qua Deus vult obiectum (estò sit laudabile se ei conformare) siue voluntate antecedenti, siue consequenti; cum diuina voluntas sit iustissima &c.

Not. 3. Quòd certissimum est, nostram voluntatem teneri velle id, quod Deus præcipit, ut velimus; nam per voluntatem diuinam præcipientem ponitur humanæ voluntati obligatio, ac proinde non se conformando ei peccat. Quarè ad hoc, ut voluntas creata non peccet, debet conari ad id, quod diuina voluntas præcipit, etiamsi id faceret tentando, nec volendo, ut opus sequatur, prout Abraham ex voluntate diuina erat obligatus ad volendum occidere Isaac; quàmuis Deus noluerit occisionem sequi, sed noluerit solum Abrahę voluntatem, obedientiam, & conatum.

I. Concl. Homo tenetur se conformare in omnibus diuinæ voluntati in volito formali, non tamen in volito materiali. Est Scoti D. Thomæ, & omnium Theologorum.

Prob. 1. pars. Conformari voluntati diuinæ in volito formali est ipsi conformari in ratione communi, & generali, propter quam Deus operatur, quæ est bonum commune totius uniuersi, quatenus tale bonum ad Deum, & eius gloriam, ut ad finem ordinatur; sed voluntas humana nequit in hoc rationabiliter, & rectè discordare à diuina voluntate, ut patet ex dictis, ergo homo tenetur conformari voluntati diuinæ in volito formali, saltem negatiuè, hoc est non discordare positiuè ab illa, ut supra tactum est.

Prob. 2. pars nempe, quod non teneatur semper ei conformari in volito materiali, seu in obiecto à Deo volito; Siquidem id constat ex eo, quod Deus voluntate generali primæ causæ, & uniuersalis prouisoris, plura vult, quæ non est laudabile nos velle, puta bella, pestes, mortem Parentum &c. ergo non semper tenemur in volito materiali nos conformare: Ant. patet, quia illa si referantur, & considerentur, ut spectant ad communem ordinem uniuersi, vel ad ostensionem Diuinæ Prouidentiæ, eiusque iustitiæ, sunt

bona;

bona, mala verò respectiuè ad nos: cum ad nos non pertineat communis ordo uniuersi, aut diuinæ iustitiæ, undè D. Aug. in Enchirid. c. 101. *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult Tanquam si bonus filius Patrem vellet vivere quem Deus bona voluntate vult mori;* ut magis patebit in sequenti conclusione.

II. Concl. Voluntas nostra potest tristari, imò potest ei inefficaciter displicere volitum materiale à Deo, siue quod Deo placet, siue quod facit, vel facere præcipit, sub alia tamen ratione, quatenus nimirum est malum disconueniens, aut molestum naturę nostrę personæ affini &c. prout nobis displicent ærumnes, egritudinæ, & similia mala propria, & Amicorum. Patet conc. exemplo Dauid, & D. Pauli, qui scientes esse voluntatem Dei, ut adhuc viuerent, dicebant: Dauid Psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* & Paulus ad Philippens 1. *Coarctor autem ex duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo &c.* Immò, & ipsi Christo inefficaciter, seu voluntate conditionata, cum qua tamen stat voluntas absoluta, ut patet de proijciente merces in Mare, displicuit mors à Patre ei præcepta, ut habetur Matth. 26. *Tristis est Anima mea usque ad mortem: & transeat à me calix iste.* Ratio est, quia talis voluntas inefficax ex nullo capite est prohibita; tum quia non est contraria diuinæ, cum etiam ipse Deus, in quo nulla reperitur contrarietas voluntatis, sæpè efficaciter aliquid velit, cuius oppositum ob aliam rationem inefficaciter desiderat.

Ex qua Doctrina infertur, quod filius ex charitate, seu pietate filiali rectè, siue ignoras dispositionis diuinæ, siue non, desiderat Parenti vitam, sub tacita tamen submissione ad Dei voluntatem, atque de morte parentis, quatenus ei mala, tristatur.


III. Concl. Voluntas humana discordare nequit à diuina, vel eidem aduersari in volito materiali, quando Deus noscitur aliquid absolutè velle independenter ab arbitrio hominis, adeout nequeat efficaciter velle oppositum, aut ad illud conari. Huiusmodi autem obiecta à Deo volita sunt creatio mundi, variatio temporum, anni, prima vocatio, & similia, quæ Deus ex se absolutè vult independenter à causa secunda. Similiter illa, quæ quidem vult occasione ex creaturis accepta, hac tamen supposita vult absolutè,

lutè, & ineuitabiliter; puta mortem hominum corporalem, resurrectionem mortuorum, pœnæ æternitatem &c. Vnde non possumus in oppositum conari orando pro salute damnatorum, pro tollenda pœnæ æternitate &c. hoc enim esset impium, & stultum. Ita discurrit Herincx p.2. disp. 3. q.10. Quod si voluntas Dei non sit nobis nota, possumus in oppositum conari; si loquamur de pœnis, & flagellis, egritudinibus à Deo nobis in hac vita immissis; immo etiamsi sit nobis nota diuina voluntas. Quia non constat, Deum absolutè velle, ut illa patiamur, sed præsumere possumus, hæc velle tantum sub conditione, nisi hominum industria, præcibus, aut emendatione vitæ auertantur, qua conditione posita etiam ipse Deus ea non vult, ac proinde ab eis nos liberat.

Pari ratione voluntas humana non potest se conformare diuinæ voluntati, quæ vult efficaciter concurrere ad materiale peccati: eo quia licèt Deus possit velle materiale peccati, & permissionem ipsius absque eo, quod velit peccatum ipsum; nihilominus ego non possum velle eandem permissionem mihi contingere, quin mihi velim peccatum ipsum; nam talis voluntas Dei non est ante præuisionem dispositionis voluntatis creatæ ad consentiendum, si non negetur auxilium necessarium ex parte primæ causæ, ac proinde conari, ut non sit noster consensus, non est facere irritum Dei voluntatem, sed est facere, ut non sit conditio sine qua diuina voluntas non tenderet ad tale obiectum creatum. Hinc D. Petrus, cui fuit reuelata trina negatio, debebat conari, ne in peccaaum negationis ipsius Christi caderet.

Arg. cont. 2. concl. In oratione Dominica à nobis petitur, ut fiat voluntas Dei in Terra, sicut in Cœlo, sed in Cœlo Beati conformantur voluntati Diuinæ non solum in volito formali, sed etiam in materiali, ergo idem nos viatores præstare debemus. Resp. præfata verba, vel esse intelligenda de voluntate præceptiua Dei, & per eam nos petere à Deo, ut in omnibus hic in terris obtemperemus diuinis præceptis, sicut Beati in Cœlo semper obediunt Deo in omnibus, ut ex Aug. exponit D. Thomas, & alij. Vel si fiat sermo de voluntate Dei respectu cuiuscumque voliti, solùm denotatur nos debere conformari diuinæ voluntati in quo-

cumque volito, non quidem secundum se, & absolutè, sed prout stat sub ordine ad finem, ad quem Deus illud ordinat, & velle, ut ordo diuinæ voluntatis in omnibus impleatur. Cæterum, quod in Patria omnes conformentur diuino volito, etiam materiali, est propter illius status perfectionem, ubi, cognita Dei voluntate, operantur solum secundum rationes æternas, & superiores, & sub illo motiuo, quo Deus vult res illas. Vnde in Psal. 57. dicitur. *Latabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris*. Quomodo autem letentur innui de mente Scoti in p. 1. q. 9. in disp. de visione beatifica. Verùm nobis operantibus secundum rationes particulares, & temporales licitum est velle oppositum, immò ad id sæpè tenemur, ut constat ex supra dictis.



TRACTATVS QVARTVS DE CONSCIENTIA.

DISPVTATIO I.

QVÆSTIO I.

Quid sit conscientia.

NOt. 1. Quòd ea est humanæ naturæ supra beluas, dignitas, & præcellentia, ut homo rationis compos ad suum finem ultimum assequendum, qualis est beatitudo, indigeat regula, qua ad huiusmodi finem eius actus ordinentur. Hæc autem regula est vel innata, & nobiscum genita, vel exteriùs proposita, vel interiùs acquisita; prior est ipsamet ratio, seu lumen naturale nostris cordibus insita, dictans quid agendum, & quid fugiendum; posterior est lex tum à Deo, tum ab hominibus præscripta. Tertia denique sunt omnes illi habitus ex frequentatis actibus in nobis geniti, quibus non solùm dirigimur in nostris operationibus, sed etiam ad promptè, & expeditè actus eliciendos adiuuamur. In præsentiarum agendum nobis est de regula interius posita, hoc est de conscientia, quæ videtur esse prima, cum sit nobis proximior.

Not. 2. Quòd conscientiæ vocabulum varijs, & præsertim tribus modis usurpari solet: primò communiter, quatenus est complexio causarum concurrentium ad actum, qui specialiter conscientia dicitur, huiusmodi sunt synderesis, lex naturalis, habitus fidei infusæ, intellectus discurrens, iudicium approbans bonum, & reprobans malum; quo sensu à D. Basil. nominatur: **Rationale iudicatorium**, à D. Damasc. ***Lex nostri intellectus***, & ab aliquibus habitus mentis boni, & mali discretiuus. Secundò sumitur strictius, nempe pro illis specialibus causis, quæ præcisè concurrunt ad formandum, & eliciendum conscientiæ actum, qualiter sunt synderesis, lex naturalis, intellectus discurrens &c. Conscientia non nunquam vocatur eo modo, quo causa

effectus sui appellationem aliquando obtinet, ut sol dicitur calidus, quia calorem efficit. Tertiò accipitur strictissimè, nempe pro illo actu intellectus, quo bonum approbat, & malum reprobat, atque voluntatem mouet, & moraliter impellit ad id prosequendum, & ad illud fugiendum.

Not. 3. Quòd quemadmodum in scientijs speculatiuis aliqua sunt prima principia hominibus per lumen naturale nota, & cognita, qualia sunt. Impossibile est idem esse, & non esse: Totum est maius sua parte &c. sic in scientijs practicis aliqua sunt generalia principia omnibus naturaliter nota, e. g. Deus est colendus, bonum faciendum, malum vitandum, nemini faciendum, quod nobis fieri nolumus, & huiusmodi &c. Insuper sicut potentia, quæ versatur circà prima principia speculatiua dicitur intelligentia, seù intellectus primorum principiorum, ita pariter potentia, qua generalia principia morum, & agibilium apprehenduntur dicitur habitus primorum agibilium, seu Synderesis.

I. Concl. Conscientia non est Synderesis, neque lex naturalis. Hæc est communis paucis exceptis, nimirum Henrico putante esse quamdam inclinationem voluntatis ad bonum, aut ad malum, & Durando dicente, conscientiam coalescere ex duobus habitibus altero intellectus, altero voluntatis. Prob. nostra concl. quod 1. p. Synderesis propriè sumpta est habitus primorum principiorum practicorum dictans in genere bonum esse faciendum, malum fugiendum; sed conscientia non solùm in genere, sed etiam in particulari, & in specie dictat, & incitat ad hoc bonum faciendum, & hoc malum fugiendum: ergo Synderesis à conscientia distinguitur. Quare Theologi explicationis gratia proponunt huiusmodi practicum Sylogismum, cuius maior est à Synderesi minor à ratione, siuè à potentia ratiocinante, & alijs notitijs innatis, infusis, vel acquisitis; conclusio verò à conscientia propriè sumpta, & ut facilius id percipiatur ponamus sylogismum practicum. Synderesis proponit. Omne bonum semper est amplectendum, ratio naturalis subdit minorem; sed temperantia est bona; conscientia infert hanc conclusionem: ergo temperantia semper est amplectenda.

II. Concl. Conscientia strictè sumpta est actus intellectus, quo practicè judicat aliquod in singulari faciendum,

vel

vel fugiendum, laude, vel pœna dignum: hæc est communis, & signanter traditur à Doctissimo Petro Marchantio t. 1. tribunal. Sacram. Prob. & simul explicatur conclusio. Primò dicitur actus, ut distinguatur à Synderesi, à lege, vel à lumine naturali, & alijs principijs, à quibus conscientia tanquàm effectus à suis causis procedit. Secundò dicitur intellectus, nàm conscientia iuxtà nominis ethymologiam appellatur cum alio scientia, vel concursus scientiæ, & conferentiæ ad iudicium formandum, siuè ad practicè concludendum, sit ne, vel fuerit ne hoc faciendum, vel fugiendum; ex quo constat conscientiam esse actum iudicij, ac proindè non ad voluntatem, sed ad intellectum pertinere: dicitur in singulari, ut iterum conscientia distinguatur à Synderesi, dicitur faciendum, vel fugiendum laude, vel pœna dignum, ut conscientia extendatur tàm ad facta, quàm ad facienda: siquidem post factum sæpè remordet conscientia ostendens pœna dignum opus, quod in faciendo aliquando non aduertit, dicitur etiam practicè, quo indicatur conscientiam non consistere in prima intellectus operatione, neque in secunda, sed in tertia, non quidem speculatiua, sed practica; ordinatur enim ad operationem, ut eleganter aduertit D. Bonau. in compendio Theologico.

Cæterum Marchantius cit. addit has particulas, nempè ex eo quod facultas ratiocinatiua ex nonnullis principijs illud cum aliqua credulitate proponat ut bonum, vel malum; & hæc addit definitioni ad includendam omnem conscientiam, siuè sit facultatis ratiocinantis recta, siuè erronea, dubia, vel opinosa. Talis enim formatur conscientia, qualia sunt principia, ex quibus formatur; vnde si sint principia recta formatur conscientia recta, si erronea, erronea &c. Ponitur cum aliqua credulitate, quia omnis conscientia, habere debet quandam adhesionem credulitatis ad principia, ex quibus procedit; nàm huiusmodi adhæsio dat vim iudicio, & actui conscientiæ iudicantis. Hinc Apostolus ad Roman. c. 14. conscientiam nomine fidei appellat dicens. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.*

Quæres. Quotuplex est conscientia.

Resp. conscientia superiùs descripta diuidi solet à Theologis in rectam, siuè infallibilem, erroneam, probabilem, dubiam, & scrupulosam, quibus addit Marchantius con-

ſcientiam hypocondriacam, ſiuè fatuam. Conſcientia recta, ſeù infallibilis eſt, quæ ex rectis, & infallibilibus principijs rectè dictat, quid ſit agendum, vel fugiendum. Probabilis ex probabilibus, dubia ex principijs practicè dubijs, erronea ex principijs erroneis apprehenſis ut veris, practicè iudicans bonum malum, malum bonum &c. Scrupuloſa ex leuibus principijs, & motiuis abſque rationabili fundamento: & deniquè conſcientia hypocondriaca, quæ ex humore malancholico, & fatuitatem inducente, potiùs, quam ex aliquibus principijs intellectus procedit.

Cæterum nonnulli diuidunt conſcientiam in bonam, & malam; verùm theologicè diſcurrendo conſcientia mala non meretur conſcientiæ nomen, ſed potiùs anticonſcientia, cum contraria ſit conſcientiæ; nec etiam poteſt nominari conſcientia erronea cum etiam, credulitatem quandam includat aſſentiendo iudicio formato ex principio erroneo.

Quæres 2. Quot, & qui ſint actus conſcientiæ.

Reſp. Quod actus conſcientię tum iuxta differentias temporis, tum iuxta rationem obiecti, & modum, quo illum reſpicit ſunt multiplices, quos ſic explicat noſter Petrus Marchantius tom. 1. Tribunal. Sacramental. tract. de conſcientiæ: Etenim aut conſcientia reſpicit bonum, aut malum, ſi reſpicit bonum, aut illud reſpicit ut factum, aut in fieri, aut ut faciendum eſt. Conſcientia quatenus verſatur circa bonum faciendum, & futurum, approbat, conſulit, ſuadet; quatenus reſpicit bonum, ut præſens ſit, inclinat, incitat, confortat; quatenus verò reſpicit bonum pręteritum, & factum, approbat, complacet, & blanditur. Similiter conſcientia quatenus reſpicit malum diuerſos etiam habet actus, quatenus reſpicit malum futurum, & faciendum retrahit, terret, dirigit; dum reſpicit malum, ut fit in præſenti, obmurmurat, redarguit, reſiſtit; dum verſatur circa malum iam commiſſum, remordet, iudicat, caſtigat &c.




QVÆ-

Quotuplex est conſcientia recta, & infallibilis, & vnde habeat ſuam infallibilitatem.

NOt. Quòd conſcientia recta, & infallibilis, ut ſupra indicauimus, dicitur illa, quæ ex rectis, & infallibilibus principijs procedit, & formatur, dictans hoc eſſe faciendum, & illud fugiendum.

I. Concl. Conſcientia recta, ſeu infallibilis rectè diuiditur in naturalem, & acquiſitam. Naturalis dicitur, quæ ex principijs naturæ primæuæ à Deo inſitis procedit: talis eſt, quæ ex ſynderesi, lege naturali, ſeu lumine mentis, & generaliter ex lege Diuina naturali ortum habet, unde ſicut hæc lex apud omnes eadem eſt, ſic conſcientia ex ipſa formata omnibus eſt communis iuxta illud Pauli ad Roman. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, huiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex*. Conſcientia recta, ſeu infallibilis acquiſita dicitur illa, quæ ex principijs poſitiuis rectis, & infallibilibus acquiſitis procedit, huiuſmodi ſunt S. Scrip. traditiones, conſuetudines probatæ &c. ſiuè illa, voce, ſiuè ſcripto fuerint propoſita; talis eſt conſcientia, quæ formatur ex lege fidei, vel morum, prout ex S. Scrip. vel legitima traditione ad nos peruenit. Item, quæ ex lege Eccleſiaſt. ex Petri Cathedra, vel Concil. Apoſt. promulgata procedit; ſimiliter, quæ ex principijs naturæ per ius gentium eſt deducta.

II. Concl. Tria ſunt principia infallibilia, ex quibus conſcientia recta formatur. Primum eſt ſynderesis, & lex Diuina naturalis omnibus nota; vix enim contingere poteſt, ut quis inculpabiliter prima legis naturæ præcepta ignoret, tum ex parte legislatoris, qui eſt Deus, tum ex parte obiecti, quod infallibili veritate naturali innititur; tum ex parte operantis, cui talis vis à Deo naturæ conditore inſita eſt. Secundum prouenit à lege Diuina poſitiua, vt ſupra innuimus. Tertium prouenit ex legibus humanis, vel ex principijs naturalibus: Quarè primum principium obtinet primum gradum infallibilitatis ex parte obiecti, ſubiecti, operantis, & legislatoris. Secundum, & tertium habent infallibilitatem ex parte quidem obiecti, ſeu principiorum de-

deductorum,non tamen semper ex parte deducentis,& operantis, etsi enim principia illa primæ veritati innitantur,ac proindè omnimodam infallibilitatem habeant; quia tamen aliquando contingit illa ignorare, aut varijs disputationibus inuolui consequenter fit, ut conscientia operantis ob intellectus humani imbecillitatem etiam inculpabiliter, aut in errorem, aut in dubietatem, aut in opinionem incidat.

QVÆSTIO III.

Quid sit opinio.

NOt. Quòd quàmuis opinio,quæ est assensus intellectus alicui propositioni, non sæpè confundatur cum conscientia probabili, attamen in rigore discrimen est inter opinionem, & conscientiam probabilem; eo quia opinio versatur circa aliquod se tenens ex parte præcedentis syllogismi practici, de quo supra &c. Verùm conscientia probabilis est concl. deducta ex ipso syllogismo practico, quæ est regula immediata hic, & nunc aliquid agendi. Itaque conscientia formatur, & deducitur ab examine duarum opinionum resoluendo in casu particulari posse vnam, vel alteram eligi.

Concl. Opinio est assensus rationis alteri parti propositionis contrariæ, vel contradictoriæ ex principijs tantum probabilibus cum aliquali formidine partis oppositæ. Hæc conclusio videtur communis, & sic explicatur. Dicitur primò assensus, quia quamdiù ratio non assentitur opinio dici nequit, sed vel argumentatio, vel ratiocinatio, vel potius dubium dici potest: dicitur rationis, etenim siue ab extrinseca auctoritate,siuè à principijs, & argumentis assensus procedat, ad hoc ut opinio vocetur rationis, inclinationem requirit, aliàs potiùs vocari deberet resignatio, quàm opinio e. g. Regularis credit se non teneri ad ieiunium, idquè non ob aliud quàm, quia superior dicit, & sic cum formidine oppositi, si ratiocinatiuè concludat simili argumento: quod superior asserit, possum licitè sequi, vocari debet opinio, etsi fundamentum sit ab extrinseco: nam ratio non mouetur ad assentiendum, nisi ex aliquo fun-

fundamento intrinſeco, ſecùs autem ſi laicus ſimplex, & idiota ex iſtimat ſe non teneri ad ieiunium, quia ſuperior dicit, & ſic potius reſignatio, non opinio appellanda eſt; dicitur alteri parti propoſitionis contrariæ, vel contradictoriæ, nàm ſi ratio neutri parti aſſentiatur, non opinio, ſed dubium vocatur: ſi propoſitiones ſint diſparatæ, non vocatur opinio, ſed ſimplex reſolutio. Vnde proprietas opinionis, eſt, quod ea ſubſit ſemper formidini de oppoſito, quia nimirum oppoſitum ſemper habet: dicitur ex principijs tantum probabilibus, ut opinio diſcernatur à ſcientia: deniquè dicitur cum aliquali formidine partis oppoſitæ; Nàm duplex eſt formido, alia intrinſeca, alia extrinſeca: intrinſeca dici ſolet etiam practica, extrinſeca ſpeculatiua. Prima eſt, quæ ipſum operantem reddit anxium in iudicio practico rationis eo tempore, quo operatur, itaut nequaquàm apud ſe ipſum ſtatuat, quod hic, & nunc hoc, vel illud agere, vel omittere licitè poſſit. Secunda eſt, quæ etſi operans intrinſecè, ſeù iudicio practico ſit ſufficienter reſolutus, quod hic, & nunc agere, vel omittere licitè poſſit, ab extrinſeco tamen timet, ne iudicio ſuo ſpeculatiuo de tali re, vel actione ſubeſſe poſſit aliqua falſitas. Itaque opinio ad hoc, ut ſit verè probabilis, excludere debet ab operante primam formidinem, nempe intrinſecam, & practicam, tamen non eſt neceſſe, quod excludat formidinem ſpeculatiuam, & intrinſecam.

Quæres. Quotuplex ſit opinio.

Reſp. Prima diuiſio opinionis eſt in ſpeculatiuam, & practicam. Speculatiua eſt illa, quæ tantùm gratia ſciendi eſt, & nullatenus refertur ad actionem, dixi nullatenus; ſi enim aliquo modo ad actionem, vel operationem referatur, tunc debet dici practica e. g. opinio ſpeculatiua: An aliquid ſit peccatum, vel non, & huiuſmodi &c. etſi excitentur primò ratione diſcendi, attamen quia multarum practicarum notitia ab illis dependet, reuerà dicendæ ſunt practicæ.

Secunda diuiſio eſt in opinionem probabilem, & improbabilem. Prima dicitur, quæ ex principijs probabilibus opinanti, ſiuè ex ea operanti naſcitur, notanter dicitur opinanti, ſeù ex ea operanti, non enim ſufficit, ut principia alteri ſint probabilia, ſed debent eſſe probabilia

etiam respectu eius, qui ex ea operatur, quia opinio est directiua operationis; ut autem operatio censeatur honesta, & prudens, eius principia debent esse probabilia ipsi operanti. Probabilitas autem alia est intrinseca, alia extrinseca, prior dicitur, quæ innititur rationibus fundamentalibus desumptis, vel ex obiecto, vel ex circumstantijs, & conditionibus, vel ex alijs adiacentibus; posterior est illa, quæ oritur ex principijs probabilibus extrinsecis, qualia sunt auctoritas, & probitas, & doctrina auctorum, interpretatio communis, & usus proborum &c. Insuper datur etiam opinio probabilis utraque probabilitate, nempè intrinseca, & extrinseca. Opinio improbabilis dicitur, quæ nec à sufficienti auctoritate, nec à ratione probabili saltem respectu operantis, & opinantis originem ducit, huiusmodi sunt quædam opiniones, quæ à modernis Theologis circumferuntur, quæ potius speculatiuè probantur, non practicè.

Tertia diuisio, quæ desumitur à materia, vel obiecto, est in opinionem Iuris,& in opinionem rei, seu facti. Opinio iuris est, quæ versatur circa ius prohibens, vel præcipiens, videlicet, quando altercantur Doctores. An aliquis actus sit prohibitus, nec ne, præceptus, vel non. Opinio rei est, quæ versatur circa rei substantiam, aut internam qualitatem, ex qua dependet effectus bonus, vel eius substantia, & moralitas; tales sunt opiniones de materia, & forma Sacramentorum, de potestate, & iurisdictione Ministrorum in Sacramentis; de materia, & forma contractuum, ad hoc ut subsistant, & apud Medicos de pernicie, vel bonitate pharmacorum, & Medicinarum.

Opinionum probabilium alia est probabilior, alia minus probabilis; prima dicitur, quæ videtur, seù apparet niti maioribus, & firmioribus rationibus, aut quæ maiori auctoritate fulcitur. Secunda est, quæ minoribus, seù minus firmis rationibus, & minori auctoritate niti censetur; denique opinionum probabilium alia dicitur tutior, alia minus tuta: Tutior est, quæ magis remouet à peccato, eiusque periculo, perpensis omnibus circumstantijs, vel quæ ad finem, seù effectum est magis utilis, & secura, siquidem ratio magis tuti, siuè securi non semper ab ipsa re mensuranda est, sed frequentius à circumstantijs, seu ab effectu, vel utilitate rei.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrum liceat operari ex quacumque opinione probabili.

NOt. Quod in lege Diuina naturali, vel positiua non datur per se opinionum probabilitas quoad substantiam præcepti, eo quia vel constat legem esse Diuinam, vel non constat; si constat esse iam datam absque dubio obligat, nec opinionibus humanis subijci potest, si non constat, tunc melior est conditio possidentis, ac proindè non obligat, & licet nulla dari possit opinio quoad substantiam præcepti, seu legis, ut indicauimus, attamen dari potest quoad aliquas circumstantias, quæ quidem circumstantiæ potiùs afficiunt actum, seu factum, quàm ipsam legem: e.g. An Machabæi in sabbato nolentes pugnare, quia festum erat, & se permittentes occidi, peccauerint, vel meritoriè egerint. Cæterùm est receptissima sententia Theologorum dari opinionum probabilitatem in lege humana tam Ecclesiastica, quam ciuili, seu politica, quia intellectus noster natura sua fallibilis est, & in multis ignorans, & obscurus, ex quo fit, ut quæ per se, & simpliciter dependent à lege humana, Epicheia, interpretationi, & varijs dubitationibus, ac proinde Doctorum opinionibus subiaceant.

I. Concl. Nunquam licet uti aliqua opinione probabili cum formidine intrinseca, & practica oppositi. Hæc est communis sententia Theologorum. Prob. concl. unica ratione. Formido intrinseca, & practica oppositi reddit operantem anxium, & irresolutum in iudicio rationis; sed nulli licet cum tali anxietate, & indeterminatione agere, quia imprudenter se gereret: ergo nunquam licet uti aliqua opinione probabili cum formidine intrinseca, & practica oppositi; secus autem est discurrendum de opinione probabili cum formidine extrinseca, & speculatiua oppositi; nam talis formido non tollit certitudinem practicam, & moralem, qua quis moraliter certò scit posse operari, & ad agnoscendam talem opinionem probabilem habentem certitudinem moralem, & practicam aduertit Marchantius plura desiderari: Primò operantem respicere debere rem, quæ controuertitur, ut certò concludat opinionem

non

non continere aliquam manifestam falsitatem, sed siuè in se, siuè ab extrinseco in illa apparere aliquam veritatem. Secundò certitudinem in opinione morali practica requisitam maximè respicere actionis moralitatem, & honestatem; itaut quamuis sit altercatio de re apud Doctores, tamen operans iudicat se certò, & tutè operari, & certitudo operationis non tam refertur ad rem, quæ controuertitur, quàm ad ipsam operationem, seu actionem, quæ, etsi ex obiecto non omninò certa, ex natura tamen moralitatis humanæ certè tuta est, quia in operando ad plura non tenetur homo, quam, ut adhibita ordinaria vigilantia, bona fide credat se honestè agere ex rationabili motiuo, quod semper in opinione probabili inuenitur. Neque enim semper magis apparentia sunt magis vera, neque quod multitudinem Doctorum pro se habens, certiorem habet veritatem, sed interdum in concilio seniorum præualet Daniel, & quàmuis loquendum sæpè ut multi, sapiendum tamen ut pauci, & cum paucis: hæc Marchantius.

II. Concl. In materia, & forma Sacramentorum nunquàm licet uti, opinione probabili, quamdiù possumus uti certa à Christo instituta, vel ab Ecclesia usurpata; hæc est Scoti in 4. d. 3. q. 2. quem preter Scotistas sequuntur quam plures Recentiores, vbi habet, quod Sacramenta non validantur ratione nostræ existimationis, & opinionis, sed prout in re, & iuxta Christi institutionem; quare cum Sacramenta sint mysteria omnimodæ veritatis nullam prorsus fallibilitatem admittere possunt, nec quidem materialiter sumptam: ergo non licet uti opinione probabili, quamdiù possumus uti certa &c.

Confirmatur. Etenim, si quis posset in Sacramentis uti opinione probabili, relicta certa, se exponeret periculo nihil faciendi; cum effectus Sacramentalis non possit suppleri per quamcumque probabilem rationem, sed alligatus sit signis Sacramentalibus à Christo institutis, & ab Ecclesia usurpatis; sed ille, qui periculo se exponit non agit prudenter: ergo non licet uti opinione probabili relicta certa. Hæc doctrina explicari potest huiusmodi exemplo: Etsi apud Auctores sit probabilis opinio, quod liceat in lixiuio, vel tenui brodio aquæ, in quo decocta est caro, baptizzare, tamen ubi adest aqua pura, non potest quis uti lixiuio.

Idem

Idem dicendum est de nonnullis formis, quæ ut probabiles assignantur ab aliquibus auctoribus e. g. Baptizzo te in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati. Immò oppositum conclusionis videtur damnatum ab Innoc. XI. in propositione quæ inter damnatas est prima.

Dices. In necessitate licet uti huiusmodi materia, nempè lixiuio, deficiente aqua: ergo censetur fieri verum Sacramentum cum tali materia; ac proindè qui utitur eadem materia extrà necessitatem, non se exponit periculo nihil faciendi. Resp. neg. cons. ratio est, quia in necessitate iudicatur potius esse baptizandum in lixiuio, quàm relinquere hominem absque Baptismo, etsi talis Baptismus non sit omnino certus, sed tantum licitus, nàm quæcumque materia speculatiuè probabilis in casu necessitatis assumi potest, ut secundum charitatem subueniamus proximo ob periculum damnationis.

III. Concl. nunquàm licet absque peccato uti opinione probabili etiam extra Sacramenta, relicta sententia certa, & infallibili; hæc pariter videtur comunis.

Prob. ubi datur sententia certa, & infallibilis, non censetur illa opinio absolutè, & per se probabilis, cum omnis opinio semper aliquid fallibilitatis, & formidinis oppositi includat, qua ratione censetur potiùs temeraria, & periculosa; imò & falsa, quia oppositum, seù contradictorium sententiæ certæ, & infallibilis non potest esse nisi falsum, aliter oppositum, & contradictorium alicuius propositionis infallibilis veritatis, possent aliqualiter simul esse vera, quod nulla ratione potest dici: ergo non licet uti opinione probabili relicta sententia certa.

Confirm. quia opiniones, quæ, data certa, & infallibili contraria, dicuntur probabiles, non censentur probabiles simpliciter, & per se, sed respectu perplexitatis, aut impossibilitatis utendi contraria certa, aut respectu alicuius alterius præcepti concurrentis, & earum promouentis, ut dictum est de Baptismate in lixiuio.

IIII. Concl. Opinio probabilis consequens non iustificat factum præcedens, sed ad conscientiam probabilem saluandam requiritur, ut assensus vel antecesserit, vel fuerit actum ipsum commitatus. Explicatur concl. Quidam Presbyter diuersas conuentiones fecit siuè cum Collatore

Be-

Beneficij, siuè cum Beneficiario resignante, aut commutante, adhibita debita reflexione, & deliberatione ad id, quod agebat, post factum occurrunt ei variæ anxietates, ne Simonia aliqua interuenerit: examinat diuersas opiniones, reperit unam ex illis probabilem sibi fauentem, eamque applicat; ista postrema applicatio opinionis non sufficit ad iustificandas conuentiones priores factas à peccato præterito; ratio est, quia Presbiter imprudenter egit, & periculo peccati manifestè se exposuit in materia, quam debebat priùs examinare, & de illa inquirere antè factum, ut prudenter in huiusmodi re se gereret. Quare aduertant, qui post actus commissos, vel omissos, antequàm vadant ad Confessionem, auctores reuoluunt, ut aliquem sibi fauentem reperiant, & ut opinionem aliquam probabilem suo facto applicare possint, nam studium posteà factum, & opinio applicata facto præterito nequit iustificare actionem; ut eleganter discurrit Petrus Marchant.

Arg. cont. 1. concl. unico arg. Esse certum, & incertum sunt contradictoria, sed opinio habet certitudinem, & incertitudinem ergo opinio non potest esse sufficiens ad prudenter operandum etiamsi sit probabilis.

Resp. dist. mai. Certum & incertum sunt contradictoria si dicantur de eodem respectu eiusdem, & eodem modo, conc. mai. si diuerso modo, neg. mai. ad min. opinio probabilis habet certitudinem, & incertitudinem eodem modo, neg. min. diuerso modo conc. min. nam etsi respectu prudentis iudicij, ac cuiusdam possibilitatis in genere posset esse quædam incertitudo, tamen respectu actionis hic, & nunc, est sufficiens certitudo ad operandum, ut etiam deduci potest ex suprà notatis de certitudine practica, & speculatiua.

QVÆSTIO V.

Vtrum in concursu duarum opinionum, quarum vna est probabilis, altera est probabilior possit quis, relicta probabiliori, vti minus probabili.

NOt. 1. quod opinio præter formidinem speculatiuam, & practicam includit etiam formidinem aptitudinalem,

lem, seù virtualem, quatenus opinio est talis cognitio ex genere suo, ut si non actu semper annexam habeat formidinem, eam tamen habere potest, quia tum ex obiecto suo, quod est contingens, tum ex medio ad illud procedendi, quod est probabile tantùm, potest illi subesse falsitas; neque ex hoc sequitur tolli in opinione determinationem ad alteram partem, etiam quando interuenit actualis ipsa formido, hoc enim est proprium solius dubitationis, & suspicionis, ut infrà dicemus; Quare formido solum efficit, ut assensus determinatus alterius partis non sit cum euidentia, & certitudine; siquidem intellectus determinatè sic assentitur illi parti, ut iudicet formaliter, vel virtualiter obiectum illud probabile posse aliter se habere; itaquè propriè loquendo formido tollit firmitatem assensus, non verò determinationem.

Not. 2. Quòd maior, vel min. probabilitas, ut docet Scotus in Reportatis prouenit ex mai. vel min. acumine intellectus inuenientis, seu inuestigantis rationes, quibus prob. mai. vel min. probabilitatem alicui propositioni inesse: Vnde non est maximum discrimen inter opinionem minus probabilem, & probabiliorem, quia nec maior probabilitas attingit perfectam certitudinem, & veritatem, nec minor probabilitas declinat in dubium; sed vtraque aliqualiter accedit ad veritatem, & certitudinem saltem moralem; ita tamen, ut tam opinio probabilior, quàm minùs probabilis possit esse falsa: ex quo fit, ut successu temporis plures opiniones, quæ apud antiquiores Doctores erant probabiliores, apud Recentiores modo sint minùs probabiles: Exemplum esse potest de recitatione officij; nam non pauci Doctores antiqui docuerunt Sacerdotem teneri sub pœna peccati mortalis recitare matutinum ante celebrationem Missæ, quæ quidem opinio à Recentioribus validissimis rationibus est reiecta, sic etiam in speculatiuis eadem ratio currit.

Not. 3. Quòd in hac famosa controuersia tres afferuntur sententiæ. Prima asserit non esse licitum sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori, & hæc, ut notat Amicus disp. 15. sect. 4. est ferè omnium antiquorum Theologorum, pro qua citari solent Adrianus, Henricus, Gerson, Gabriel, Maior, & alij.

Ex.

Ex Recentioribus verò eam ex professo tuentur Comitolus, Philetus, Prosper Fagnanus, & Merenda iuris peritus, qui duo ultimi acerrimè contendunt, nunquam licitum esse operari cum opinione minus probabili, relicta probabiliori. Secunda sententia ex diametro opposita priori concedit licitum esse usum opinionis probabilis in omni casu, & materia, estò adsit altera opinio probabilior, & tutior, ita Marcus Vidalis, Ouiedo, & alij. Tertia sententia media via incedit asserendo licere sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori, non tamen in omni casu, & materia. Quare excipit casus valdè graues, ut de Sacerdote Sacramenta administrante, de medico remedium applicante, de iudice sententiam ferente, de aduocato causam patrocinante, de rege bellum gerente, in his enim, & similibus casibus, in quibus sequendo opinionem minus tutam, ac minus pro. bilem grauia damna emergere possunt, docent opinionem tutam esse amplectendam, vel saltem probabiliorem, si tuta nō sit obuia, ita quàmplures Scotist. signanter Villalobos, Vulpes, Portel, Herincx, Marchantius Bonauentura Baronus in Eth. act. 2. Mastrius, & alij, & est sententia communior, & magis recepta à Recentioribus.

I. Concl. Potest quis in concursu duarum opinionum, quarum una est probabilior, & tutior, altera minus probabilis, & minus tuta, relicta probabiliori, sequi minus probabilem, & minus tutam, non tamen in omnibus, ut supra indicauimus, & ostendetur in 2. concl.

Prob. 1. auct. Scoti in 4. dist. 15. q. 2. ubi docet furantem in extrema necessitate, non teneri ad restitutionem, etiam cum ad pinguiorem aduenerit fortunam, quàmuis opposita opinio sit tutior, & secundùm aliquos etiam probabilior, & q. 2. Prologi videtur docere, quod in rebus dubijs locum habet labor Doctorum, & expositorum, ex quo sequitur inquit Mastrius in Theologia morali disp. 1. q. 4. art. 1. quod quando Doctores docent aliquam opinionem esse probabilem, etsi sit minus tuta, potest quilibet eam sequi absque ullo periculo peccandi, alioquin si semper pars tutior esset amplectenda, non liceret unquam ad consilium peritorum recurrere; unusquisque enim per se noscit, quę sit tutior, & minus tuta, cum in lege Christi non detur

per-

perplexitas; hæc tamen ultima verba Mastrij pace tanti viri non mihi satis probantur, nam manifestum apparet, non omnibus recurrentibus ad peritos innotescere, quæ opinio sit probabilior, vel minus probabilis, & minus tuta.

Prob. nostra assertio à priori. Qui operatur secundùm opinionem minus probabilem, & minus tutam non imprudenter, sed prudenter operatur, ergo potest quis sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori. Prob. ant. Adhoc, ut aliquis prudenter operetur non requiritur, ut operetur cum certitudine, & sine periculo violandi aliquod præceptum, quia si talis obligatio esset, non sufficeret sequi opinionem probabiliorem, in qua sæpè potest esse huiusmodi periculum, cum experiamur, opiniones, quæ aliquo tempore censebantur probabiliores, ut supra notauimus, deprehensas fuisse falsas à Doctoribus recentioribus: ergo non est obligatio operandi sine tali periculo, sed sufficit operari ea ratione, ut prudenter existimetur non esse peccatum in tali opere: ergo operando quis iuxta opinionem probabilem prudenter operatur.

Confirmatur auct. Arist. lib. 2. Ethicorum cap. 6. vbi tradit, prudenter operari illum, qui sequitur opinionem hominis sapientis, & probi: ergo &c. Prob. 3. Sententia de probabilitate asserta in conclusione est magis consona legi Diuinæ, & humanæ; humanæ quidem, quia Iuristæ, & alij Doctores affirmant in rebus humanis præferendas esse opiniones benigniores iuxta legem benignius ʃ. de lege, & iuxta cap. fin. de transl. Diuinæ etiam, quia benigna est, ut dicitur Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est*; & Ioan. 5. *Mandata eius grauia non sunt*; ergo sententia de usu probabilitatis rectè, & tutè amplecti potest, non enim tenemur ad illud, quod perfectius est, & securius, sed satis est, quod in praxi est rectum, & securum, alioquin teneremur consilijs euangelicis. Accedit etiam auctoritas non solùm primorum Theologorum nempè, Alensis, D.Bonau. D. Thomæ, Scoti, & aliorum, qui in diuersis materijs tam speculatiuis, quàm moralibus amplexati sunt opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori, verùm etiam summorum Pontificum, qui in facti contingentia secuti sunt opinionem minus proba-

bilem, vt patet de Honorio XI. qui in diſpenſatione profeſſionis Religioſæ ad Matrimonium contrahendum, ſequutus eſt opinionem Ricardi minus probabilem; de Greg. VII. Martino V. Eugenio IV. Greg. XIII. qui in Matrimonio rato illud diſſoluendo operati ſunt contra opinionem communem probabiliorem, & tutiorem, D. Bonau. Scoti, & aliorum Theologorum, ut videre eſt apud Recentiores, qui hanc materiam latè pertractant; ergo &c.

II. Concl. Non tamen eſt licitus uſus opinionis probabilis relicta probabiliori, & tutiori in caſibus grauioribus, qui verſantur circà validitatem actus, ſeu in quæſtionibus facti, huiuſmodi ſunt, adminiſtratio Sacramentorum, ſententia iudicialis, Porrectio Medicinæ, Aduocatio, Bellum, & ſimilia; hæc eſt Villalobos, Layman, Portel. Salonij, Herincx, Maſtrij, & aliorum. Prob. concluſio quoad 1. p. nimirùm de adminiſtratione Sacramentorum. Præceptum Charitatis obligat, ut caueamus graue damnum, aut periculum proximi, neque indigenti adhibeamus remedia incerta, & periculoſa, dum poſſumus uti certis: ergo non poteſt quis in adminiſtratione Sacramentorum ſequi opinionem probabilem relicta certa, & probabiliori; hinc meritò oppoſitam ſententiam tanquam ſcandoloſam, & pernicioſam damnauit Innocentius XI. in prima propoſitione, quæ ſic ſonat. ***Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, niſi id vetet lex conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi: hinc ſententia probabili tantum vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*** Prob. 2. pars de ſententia iudiciali, nam oppoſitum damnatur ab eodem Pontifice tanquam doctrina ſcandaloſa, & pernicioſa in propoſitione ſecunda his verbis. ***Probabiliter exiſtimo Iudicem poſſe iudicare iuxtà opinionem etiam minus probabilem.***

Prob. denique concl: quoad omnes partes unica ratione; ſed validiſſima. Valor Sacramentorum, Ius tertij in res liti ſubiectas, expulſio morbi, & vita, aut facultates ſubditorum in regno non pendent ex iudicio magis, vel minus probabili; ſed aliundè videlicet Sacramenta ex inſtitutione Chriſti, ſententia ferenda ex legum diſpoſitio-

ne, & iustitia causæ publicæ in actis deducta, quoad iudcem, ex efficacia medicinæ, quoad Medicum, & maioris iuris apparentia quoad Aduocatum, & ex dominio intrinseco vitæ, ac facultatum quoad Regem: ergo in his casibus non licet uti opinione probabili, & minus tuta, relicta probabiliori, & tutiori.

Arg. cont. 1. concl. & primò auctoritate desumpta ex lege Canonica. Ex cap. de Clerico excom. & cap. Si quis autem de pœnitentia distinct. 7. habetur hæc regula generalis. *In dubijs tutior pars est eligenda;* ergo non potest quis sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

Resp. allegata capita Iuris solum statuere regulam, quæ opinio, stante dubio, sit amplexanda, nempè tutior, cum non liceat cum dubio practico operari; imò quando operans se determinat ad alteram partem dubij, tunc non ampliùs habet rationem dubij, sed opinionis, & sic tutiorem partem sequitur.

Arg. 2. auct. D. Aug. libro de utilitate credendi, ubi indicat, opinionem, seù opinari non esse sine vitio; ergo opinio minus probabilis non potest amplecti sine vitio.

Resp. quod argumentum nimis probans, nihil probat, quia auctoritas adducta probat, neque opinionem minus probabilem, neque magis probabilem esse licitam, dicente D. Aug. simpliciter, & absolutè opinari non esse sine vitio; quarè interpretes expendunt ly opinari, seù opinionem pro falsa persuasione scientiæ de re, quæ ignoratur, ut infrà ipsemet Aug. se explicat dicendo. *Proprium est opinantium idest eorum, qui arbitrantur scire, quod nesciunt.*

Arg. Iurisperitus Merenda propugnator opinionis probabilioris. Virtutis operationes sunt firmæ, & solidæ: ergo cum prudentia sit virtus intellectualis debet in suo obiecto, & in suo actu infallibilitatem, & certitudinem rectitudinis inuoluere, & ob id Aristotiles lib. 6. Eth. c.3. exclusit opinionem à numero virtutum, cum careat certitudine, & opinionem honesti nō esse iudicium prudentiæ; quia non ita fertur in suum obiectum, ut non possit esse falsa: ergo cum iudicium conscientiæ debeat esse actus prudentialis nequit deduci ex opinione probabili.

Resp. etiam aduersarium teneri soluere huiusmodi argumentum, cum etiam opinioni probabiliori possit subesse

se falsum; quarè dicimus, quod prudentia, cum sit virtus practica, & non speculatiua postulat certitudinem moralem, & practicam, ac proindè, etsi eius obiectum sit interdum speculatiuè falsum, practicè tamen est semper verum, & sic iudicium conscientiæ est certum de honestate actionis.

Contra. Si iudicium conscientiæ probabilis est certum, sequitur, quod talis conscientia non est dicenda probabilis, sed certa: at hoc non est admittendum: ergo &c.

Resp. neg. sequelam; ratio est quia conscientia non dicitur à DD. probabilis ratione proprij ministerij, seù intrinsecè, sed ratione antecedentis, seù extrinsecè quatenus ad illius formationem cõcurrit opinio incerta circà antecedens sylogismi practici ita Herincx p.2. disp.4. q.3. n.24.

Arg. Si esset licitum sequi opinionem minus probabilem, sequeretur, quod unusquisque pro suo arbitrio posset operari, cum omnia sint posita sub opinione, maximè in nostra tempestate, quod est manifesta pernicies disciplinæ Christianæ; ergo &c. Resp. neg. sequelam, dicimus enim posse quis sequi opinionem minus probabilem, verè tamen probabilem, idest rationibus sufficientibus, & auctoritate fulcitam, & sic non dicitur unusquisque operari pro suo arbitrio.

Arg. cont. 2. concl. In prima conclusione asseritur vsus opinionis minus probabilis: ergo consequenter talis usus admittendus est in omnibus casibus absque ulla exceptione. Conseq. patet, quia nulla adduci potest euidens ratio disparitatis. Resp. neg. conseq. & ratio est, quia in 1. concl. agitur tantùm de honestate actus, honestas autem actus, & conformitas ad legem præcipientem totaliter pendet ex prudenti iudicio, & existimatione operantis, per quam ei proximè proponitur lex præcipiens. Verùm in 2. concl. agitur de valore actus, qui non dependet à iudicio nostro, sed aliundè, ut in concl. indicauimus. Itaque ratio disparitatis est euidens, ac manifesta, cum 1. concl. versetur circa honestatem actus, seu quæst. iuris, & secunda circa valorem actus, & quæst. facti.

Quæres 1. An possit esse aliqua opinio magis tuta, sed minus probabilis. Resp. cum Mastrio ex doct. Scoti posse aliquam opinionem esse magis tutam, quatenus remouet

omne

omne peccatum, & adhuc esse minus probabilem, ex eò quod intellectus minores rationes pro ea habeat; ad rem Scotus in 4. d. 15. d. 2. §. ad argumentum quærit. An furtum in extrema necessitate factum obliget postea ad restitutionem in pinguiori fortuna. Certè, quod tutius esset restituere, nam sic; remouetur omne periculum peccati tamen efficaciores sunt rationes, quod non teneatur hic, & nunc ad restitutionem, quia res ablata in extrema necessitate censetur iure poli fieri propria. Hinc colligitur aliud esse unam opinionem esse altera probabiliorem, aliud esse tutiorem; siquidem maior securitas sumitur ex ordine ad obseruantiam legis, quæ maior semper est in opinione affirmante actum esse prohibitum, quia eam sequendo nemo malè agit; maior autem probabilitas opinionis sumitur ex ordine ad veritatem magis, vel minus ostensam rationibus, & testimonijs, quæ maior probabilitas equè benè potest esse in ea opinione, quæ dicit actum esse licitum, & in opposito actum esse illicitum; cum ergo dicitur ex opinionibus probabilibus unam esse altera tutiorem, id explicant recentiores de peccato materialiter sumpto esse intelligendum, non autem de peccato formaliter sumpto, eo quia loquendo de peccato formaliter sumpto una non debet dici tutior altera; cum aliqua opinio dicatur tuta, eo quia utens illa in operando non peccat; est enim recta regula honestè operandi, ac proindè una opinio nequit esse tutior altera formaliter, sed tantum materialiter, quia sequens opinionem probabilem relicta tutiori, ad summum se exponit periculo faciendi rem materialiter malam, sicut si quis ignorans inuincibiliter esse feriam sextam carnes comedat.

Quæres 2. An inter opiniones verè probabiles teneatur quis per se tutiorem sequi. Resp. inter opiniones verè probabiles neminem per se teneri sequi tutiorem: ratio est manifesta ex dictis, quia supponitur omnes opiniones verè probabiles esse in operando tutas, cum omnes excludant periculum peccati eo ipso, quod veritatem probabilem dictant, notanter dicitur per se non teneri, nam per accidens interdum tenetur, eo quia, etsi manendo in precisa actione, quæ fit ex opinione probabili, tutè operatur, nec possit peccare; attamen quia ex occasione ad operationes

illius sequitur peccatum, vel proximum peccandi periculum tenebitur abstinere, non tam ab opinione, quàm ab operatione consequente opinionem, non quia opinio minus tuta est, sed quia operatio periculum annexum habet: ita ex communi discurrit Marchantius, qui subdit hanc regulam. Quandocunque sequitur ex aliqua opinione grauamen operanti, vel alicui tertio, preferri semper potest alia opinio, & aliquando consultius est sequi illam, quæ à grauamine absoluit: hæc enim vocatur ab aliquibus tutior propter obligationem charitatis, quia quis tenetur suæ libertati, vel alienæ utilitati consulere e. g. Est opinio probabilis asserens legem ieiunij esse latam, vel obligare: alia autem similiter probabilis negat aut legem latam esse, aut obligare, in tali casu potest quis, & aliquando consultius est præferre opinionem asserentem legem ieiunij non esse latam, aut non obligare iuxta regulam iuris: *Melior est conditio possidentis*

Quæres 3. Quæ opinio censetur verè probabilis.

Resp. Petrus Marchantius hoc opus, hic labor; quot enim capita, tot sensus, & qui alicuius opinionis assertor est, illi veram probabilitatem assignat, & iam cruda illa assertio incipit in auribus prurire, quod unius, aut alterius auctoris dictum fundet opinionem probabilem, quod, quàm sit periculosum sentire, appello ad solum sapiẽtis iudicium. Vndè asserit idem Marchantius, illam solam existimari debere opinionem probabilem, quæ principijs legis Diuinæ, naturalis, & positiuæ, & præceptis charitatis est conformis, siuè non repugnat; ex qua doctrina infert, periculosum esse sequi quorumlibet Auctorum, & Doctorum opinionem ex sola auctoritate, quod illas suis libris referant, & permittantur; neque enim prælum, neque impressio, aut etiam censura euulgari permittens librum, dat auctoritatem singulis opinionibus, & Auctoris sententijs, quæ in libro reperiuntur; neque liber ipse eo quod approbatus est, indicat omnes opiniones approbatas, sed sufficit, quod liber, siuè Auctor nihil contra fidem, aut bonos mores apertè docet, aut apertè errores seminat: hinc meritò ab Alexand. VII. damnata fuit hæc propositio, quæ in ordine est 27. *Si liber sit alicuius Iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse à Sede Apostolica*

licatanquam improbabilem : Et ab Innoc. XI. damnata fuit hęc alia propoſitio, quæ in ordine eſt tertia. *Generatim dum probabilitate ſinè intrinſeca, ſiuè extrinſeca quantumuis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus* : quæ quidem propoſito eſt eque temeraria, & ſcandaloſa, ac prima; non enim ſola auctoritas Doctorum fundare poteſt opinionem vere probabilem, cum vera probabilitas ſumenda ſit primò, & principaliter à ratione, non ab auctoritate dicentium, quia ſola probabilitas extrinſeca non ſufficit ad prudenter operandum: itaque imprudenter quis agit ſemper, qui leui ratione ductus, & tenui operatur, nec quælibet tenuis probabilitas intrinſeca eſt ſufficiens ad rectè operandum.

Quæres 4. Vtrum ſententia unius Doctoris poſſit facere opinionem verè probabilem.

Reſp. Nolo hic reticere, quid ſentiat Caramuel circa præſens quæſitum, dicit ipſe t. 1. ſuæ Theologiæ fundamental. tres, vel quatuor Doctores facere poſſe opinionem probabilem, imò & unicum Doctorem, eò quia unus Doctor, qui librum edidit docendo aliquam opinionem nouam, habet pro ſe ſui libri Cenſores, quatenus approbantes librum approbant etiam omnem doctrinam in eo contentam, quaſi Cenſores examinantes librum addant ei quandam auctoritatem, imò & opiniones auctoris approbando faciant ſuas, & ſic opinio noua alicuius Doctoris erit verè probabilis, cum aplectatur etiam ab ijſdem Cenſoribus. Verùm apparet, Caramuelem in hac materia minus rectè loqui; ſiquidem approbatio Cenſorum, ut ſuprà notauimus, non tribuit maiorem probabilitatem opinionibus in libro inſertis, quam in ſe habeant, ac proindè opinio Caramuelis viri alioquin doctiſſimi non eſt tenenda, ſed dicendum cum Valentia q. 24. Vaſquez. d. 62. c. 4, Sanchez lib. 1. ſum. c. 9. & comuniter cum Recentioribus, ut refert, & ſequitur Caſpenſis diſp. 3. de Conſcientia, quod opinio unius viri docti, ac probi, & in materijs moralibus benè verſati eſt probabilis in praxi; ratio eſt, quia opinio probabilis eſt, quæ non leui, ſed graui fundamento nititur, auctoritas autem unius viri probi, docti, & verſati in moralibus non eſt leue fundamentum in re, aliàs incerta, & obſcura: ergo reddit opinionem probabilem in praxi.

Insuper opinio singularis, quam contra communem sequitur vir Doctus optima ratione ductus, postquam partis oppositæ fundamenta examinauit, censetur probabilis in praxi à præcitatis Doctoribus, qui hac ratione ducuntur. Probabilitas opinionis in re morali non tàm ex numero auctorum, quàm ex præstantia, & grauitate ratione pensanda est; ergo quando opinio aliqua singularis fulcitur graui auctoritate, & optima ratione post diligens examen fundamentorum partis oppositæ, & post manifestam solutionem rationum eiusdem, meritò censeri debet non temeraria, non improbabilis, sed verè probabilis, quam doctrinam docuit etiam Scotus; & tantò magis huiusmodi doctrina militat in aliquo casu particulari non examinato ab alijs ex professo; quare, si contingat contractum aliquem facere, de quo Doctore non scripserint, vel saltem de aliqua particulari circumstantia, sed solus Doctor iunior, & modernus, qui quod liceat de tali contractu, vel de alio casu particulari, resoluit, in tali casu opinio moderni Doctoris censeri potest probabilis, nisi ratio euidens contrarium suaderet. Ita post alios tradit Fagnanus de opinione probabili, & Gabriel à S. Vincentio de remedio ignorantiæ disp. 12. ubi aduertit ex communi Doctorum consensu, quod licitum est sequi auctoritatem viri clarissimi, & in moralibus versatissimi, idquè habetur etiam l. Si pater ff. de solutione, & lege sept. Mense de statu hominum, quæ quidem doctrina intelligenda venit de Doctore, qui scripsit, & etiam de eo, qui consulit oretenus.

Quæres 5. Vtrum iudex, quando rationes hinc inde sunt æquè ptobabiles, possit arbitrari, ferendo sententiam in fauorem illius partis, quæ sibi placuerit.

Resp. certum esse non posse iudicem ob pecuniam acceptam sententiam dicere in fauorem unius præ alio, quando opiniones sunt æquè probabiles; oppositum enim damnatur ab Alexand. VII in propositione 26. quæ sic habet: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex accipere pecuniam proferenda sententia in fauorem vnius præ alio*. Dubium tamen moueri potest: An iudex habeat in sua potestate arbitrari inter opiniones æquè probabiles nulla accepta pecunia, vel alio munere, nam nomine pecuniæ non solùm veniunt nummi, sed etiam omne id, quod est pretio æstimabile.

Resp.

Resp. Quàmuis Alexander non damnauerit arbitrium iudicis, nisi pecunia accepta, nihilominus videtur damnatũ ab Innoc. XI. in illa propositione paulò superiùs allata, in qua dicitur: *Iudicem non posse ferre sententiam iuxta opinionem, minus probabilem*, videlicet in ciuilibus quia in criminalibus ab omibus pro certo habetur; sed opinio minùs probabilis est, quod iudex possit ferre sententiam in fauorem unius præ alio, quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles: ergo ex hac rectè infertur non posse iudicem, etiam pecunia non accepta, inter litigantes arbitrari. Quod autem opinio minus probabilis sit illa, quam dicimus in minori, clarè constat; nam compertum est iudicem rationabilius, & æquiùs iudicare rem diuidendo, aut partes componendo eo ipso, quod in iure sint æquales, quàm si uni parti ferret sententiam fauorabilem: ergo etiam non accepta pecunia iniustè iudex potiùs uni, quàm alteri parti sententiam fauorabilem ferret: quod autem probabilius sit, iudicem teneri rem diuidere, aut partes componere, traditur à Diana in summa verbo iudex, & notat Mastrius cum Laiman tract. 5. de conscientia capite 5. & ratio potissima est, quia iudex non est dominus iuris, sed interpres, ac proinde ius suum cuique tribuere tenetur, quod non faceret, si ex duobus æquale ius ad aliquod habentibus totum uni tribueret; nàm sic personarum acceptionem committeret contra regulam Iuris. *In iudicijs personarum acceptio habenda non est*; itaque in tali casu, vel aliqua iusta compositio in partes litigantes facienda est, ad quam compelli possunt, vel uni dimidium, & alteri alterum dimidium Iuris, aut rei, de qualis, est adiudicari debet.

Queres 6. An licitum sit ex probabilibus opinionibus alterutram ad placitum, immò & minus probabilem contra propriam opinionem sequi.

Resp. breuiter. Ad hoc, ut quis in actionibus humanis prudenter operetur, exigitur, ut opinionem, quam in praxi amplectitur, faciat suam, nempè, ut, perpensis rationibus talis opinionis, formet probabilem conscientiam. Vnde non apparet aliqua difficultas de opinionibus æquè probabilibus respectu operantis, quò minus possit operari modo iuxta unam, modò iuxtà aliam opinionem. Remanet igitur difficultas de opinione minus probabili. Quarè

stan-

ſtando in fundamentis ſuprà poſitis; cum opinio minus probabilis, relicta probabiliori, poſſit in praxi amplecti, conſequenter poterit quis modò probabiliorem, modò minus probabilem ſequi, dummodò hic, & nunc exiſtimet per reflexionem rationum eſſe verè probabilem; tali enim pacto eo ipſo per reflexum iudicium propriam opinionem practice ſequitur. Ita Herincx ex communi.

DISPVTATIO II.

De conſcientia dubia, erronea, & ſcrupuloſa.

QVÆSTIO I.

Vtrum conſcientia dubia ſit regula ſufficiens ad prudenter operandum.

NOt. 1. Quòd dubium nil aliud eſt, quàm animi ſuſpenſio, qua neutri parti determinare aſſentitur: Si huiuſmodi ſuſpenſio contingat per meram carentiam omnis actus rationis vocatur dubium negatiuum: ſi per actum poſitiuum perplexitatis inter duas partes, vocatur dubium poſitiuum, quia, licet ex utraque parte appareant rationes, attamen ſuſpenditur aſſenſus. Dubium autem poſitiuum. Aliud eſt ſpeculatiuum, aliud practicum. Hoc eſt hæſitatio, ſeu dubitatio de re aliqua, conſiderata prout hic, & nunc eſt cum omnibus ſuis circumſtantijs, & in ordine ad operationem e.g. Si heſitem, ſeu dubitem: An hodie ſit ieiunandum propter alias circumſtantias, quæ fortaſſe hic, & nunc poſſunt à ieiunio excuſare. Illud eſt hæſitatio, ſeu dubitatio de re aliqua ſecundum ſe conſiderata abſtrahendo à circumſtantijs e.g. ut ſi ſimpliciter hæſitem, ſeu dubitem. An liceat die feſto venari, hoc dubium dicitur ſpeculatiuum; quia eſt ſine omni exercitio operationis.

Not. 2. Quòd conſcientia dubia, ut etiam ſupra indicauimus, ſic definitur: Eſt illa, quæ rationibus inter ſe pugnantibus, ſiuè quæ ex diuerſo dictamine practico ita ſuſpenſa, & fluctuans redditur, vt in neutram partem ſe reſoluere poſſit; Obſeruandum ulterius, quod conſcientia dici poteſt dubia dupliciter: primò formaliter, & intrinſecè,

& eſt

& est quando dictamen, & iudicium eius ita manet anceps, & suspensus, ut in neutram partem practicè inclinet: Secundò obiectiuè, seu extrinsecè, & est quando obiectum, circa quod conscientia versatur, est reuera dubium, ita ut in alterutram partem nullatenus definiri possit: conscientia tamen in se, & intrinsecè ad unam partem se resoluit: e. g. hæsitat quis, an teneatur restituere agrum, quem, facta debita diligentia dubia fide possidet, dubitando esse alienum. Conscientia obiectiue manet dubia, quia facta, possibili inquisitione, non potest probare suum esse, & sicut non desunt probabilia argumenta, quæ probant esse alienum, ita sunt alia, quæ probant suum esse, vnde quàmuis conscientia maneat obiectiuè suspensa in his quæstionibus practicis, & conditionatis, videtur, quod si alienus est ager, tu non potest illum retinere, si tuus est, non teneris illum restituere, & consequenter iudicas obiectiuè, siuè respectu obiecti periculū peccati nō esse. Itaq; formaliter, & intrinsecè principio altero mouente se determinare potest non restituendo, quantumuis speculatiuè dubius esset, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Nos autem hic agimus de conscientia intrinsecè, & formaliter dubia.

I. Concl. Conscientia practicè dubia non est regula sufficiens ad prudenter operandum, ac proindè non est licitum operari, stante dubio practico: hæc est communis Theologorum sententia. Prob. 1. auct. S. Scrip. & signanter ex D. Paulo ad Rom. 1. c. 4. *Quod non est ex fide peccatum est* idest, ut interpretantur Patres, quod non est secundum iudicium conscientiæ peccatum est; nam ibi fides pro conscientia usurpatur, & Ecclesiastici c. 3. *Qui amat periculū peribit in illo;* sed qui operatur cum dubio practico non operatur ex fide, & se exponit periculo peccandi: ergo non est licitum operari cum conscientia practicè dubia, ac proindè conscientia dubia non est regula sufficiens ad prudenter operandum.

Prob. ratione. Operans cum conscientia dubia ex modo procedendi conuincitur interpretatiuè inclinare ad obiectum siuè licitum, siuè illicitum, neque curare, an sit peccatum, nec ne; sed certum est sic operantem se periculo peccandi exponere: ergo qui operatur cum tali dubio, non operatur prudenter, ac proindè nec licitè.

II. Concl. Licitum est agere cum dubio speculatiuo, quan-

quando ex alijs principijs practicis, aut certis, aut opinatiuis suppetit iusta ratio formandi, & de facto formatur determinatum iudicium practicum, quod liceat hic, & nunc exercere talem actionem. Ita communiter Doctores, & signanter Villalobos, Caspensis, Herincx, Mastrius, & alij. Prob. Regula nostrarum actionum non est notitia speculatiua, quæ sistit in sola veritate obiecti cognoscendo, sed notitia practica, quæ omnium circumstantiarum qualitatem, & conditionem perpendit; unde ex aliqua occurrente circumstantia obiectum, quod secundum se, & speculatiuè apparet dubium, reddi potest practicè certum: ergo si hoc iudicium sit determinatum, etiam prudens actio hic, & nunc erit certa. Confirm. Etenim quàmuis miles speculatiuè dubitet: An bellum sit iustum, tamen practicè rectè potest iudicare sibi licitum esse in tali bello militare, & tunc licitè militat persuadendo sibi iustum esse bellum, & iustè à Rege suis subditis præcipi militare. Cæterùm aduertendum, quod à Doctoribus traduntur communiter aliæ diuisiones dubij. Aliud enim est dubium iuris, & aliud dubium facti; primum est, quod versatur circà aliquod Ius, siuè legem, nimirum dubitando, an sit aliqua lex lata, vel non. Item, an casu, quo sit lata, obliget. Insuper quamuis communiter obliget, an his circumstantijs, hoc, vel illo casu obliget. Secundum est, quo quis non dubitat de iure, vel lege, dubitat tamen de facto, vel faciendo aliquo actu ex lege resultante e. g. Scit aliquis absque ulla dubitatione vota facta esse adimplenda, dubitat autem primò an vouerit. Secundo stante hoc dubio: An teneatur votum reddere, & sic de singulis. Rursus dubium diuiditur, in dubium de honestate actus, & in dubium de obligatione actus. Primum est, quando dubitatur. An id, quod debet fieri sit per se, & ex sua natura bonum, vel malum. Secundum est, quando constat quidem ex se non esse malum, dubitatur autem an sit malum ratione præcepti, vel prohibitionis: e. g. Berta, quæ simplex votum castitatis emisit, dubitat, an possit nubere, non quia dubitet, an matrimonium sit malum, sed an sit licitum voto simplicis castitatis obstrictis.

Quæres 1. An, quando quis est dubius de honestate actus, possit cum tali dubio conscientiæ agere.

Resp.

Resp. negatiuè, & ratio est, quia honestas est de intrinseca ratione actus moraliter boni, ac proindè, qui de honestate actus dubitat, manifesto periculo peccati se exponit; ergo non potest sic dubitans operari; secùs autem si dubium esset ab extrinseco, nempè ex ratione iuris, siuè legis; tunc enim aliquando dubius de lege prohibente potest ad actum, qui aliùs de se est honestus absque periculo peccati se determinare e. g. scit quis esse honestum per se conuersari charitatiuè cum homine, dubitat autem an sit excomunicatus, & consequenter an lege prohibente id sibi liceat, potest manente dubio conuesari, quia ut infra explicabitur: *In dubijs melior est conditio possidentis*

Quæres 2. Qualiter intelligi debeant illæ duæ regulæ iuris, quæ passim à Doctoribus allegantur, nempè. In dubijs melior est conditio possidentis. Item in dubijs tutior pars est eligenda, Resp. Doctores non parum variant in huiusmodi regulis explicandis, quas quidem explicationes adducere nimis longum esset, quare, omnibus omissis, amplector explicationem nostri Marchantij qui eas ità declarat. Duo illa axiomata Iuris non sunt sibi inuicem contraria, sed se inuicem adiuuant, & se explicant; non enim conditio possidentis melior dicitur, nisi quia contra peccati periculum, vel obligationis vinculum reddit possidentem, non obstante dubio, tutum, & securum; ac consequenter in dubijs ratio possessionis indicat partem tutiorem, siuè tutam, & securam, unde etiam concluditur: Tutior pars est sequenda, ita ut idem sit sequi meliorem conditionem possidentis in dubijs, ac sequi tutiorem partem. Quare in hac materia distinguere oportet duos possidentes, siuè possessores sibi contrarios. Prior possessor est lex, siuè sit iustitiæ, siuè sit virtutis, idest siuè in materia iustitiæ, siuè in materia alterius virtutis contra hominem. Posterior est homo contra legem; dicitur verò lex possidere qnando in quacunque materia respectu subditi habet vim obligandi, & dicitur homo possidere contra legem, quando in aliquo casu, vel ex aliqua ratione eximitur, & liber est à legis seruitute, onere, siuè obligatione; unde illa dicitur pars tutior, vel melior, quæ fauet possidenti, siuè sit legis contra hominem, siuè hominis contra legem.

Aduertendum tamen. quòd opinio tutior, & melior in

hac materia non dicitur respectu positiuorum, quæ sunt tuta, & bona, sed respectu non tuti, & non boni; unde si utraque pars dubij ex varijs opinionibus probabilibus sit tuta, vel bona, non refert quam partem quis dubius sequatur; nam sufficit ad prudenter, & honestè operandum ut absque periculo, & mali operetur;& consequenter sufficit, ut partem tutam, vel conditionem bonam quis in dubio sequatur; etsi comparatiuè nec sit tutior, nec melior v. g. Dubitat Sacerdos, an possit celebrare absque peccato ante matutini recitationem, stante opinione ex utraque parte probabili, quilibet potest alterutram eligere, quia vtraque pars est tuta, licet negatiua sit tutior, quia longiùs remouet peccati periculum;sufficit enim, quod alterutra sit tuta, & simpliciter peccati periculum remoueat, non enim tenemur sequi quod melius est, sed sufficit sequi bonum, siue quod rationabiliter credimus non esse malum. Itaque non dicitur tutior illa pars in hac regula, quæ à peccato est remotior, ut nonnulli intelligunt, sed simpliciter quæ excludit verum peccati periculum, etsi altera pars longiùs fortè ab omni occasione remoueat, quæ quidem in aliquibus esset maioris perfectionis, non tamen obligationis, & interdum foret homini in laqueum: ita Marchant. qui ad dignoscendum quando censeatur lex, siue præceptum esse in possessione obligandi contra dubitantem,& quando censeatur dubitans contra legem possidere, subdit istas duas regulas generales.

Prima est. Quandocunque dubitanti de lege, siue præcepto constat legem fuisse promulgatam, & usu communi apud probos receptam, quamdiu certè non constet de eius abrogatione (quamuis ex rationibus apparentibus contingat dubitare) possessio stat ex parte legis, siuè præcepti, & dubio manente dubitans obligatur ad legem; & idem dicendum est, si dubium sit tantum de aliqua circumstantia e. g. Certò scit aliquis peregrinationem, castitatem, ieiunium &c. vouisse, dubitat tamen an interuenerit deliberatio sufficiens ad obligandum, tenetur, manente dubio, tale votum implere quia eo ipso, quod vouit, se ipsum sua libertate spoliauit. Secunda: quando quis rationabiliter dubitat de legitima institutione, promulgatione, receptione legis, vel auctoritate legislatoris, manente dubio,

possessio adiudicanda est in fauorem dubitantis, ratio est, quia cum lex, & præceptum sint quædam seruitus, & grauamen, semper in fauorem grauati interpretanda est, & sic pariter discurrendum est de lege pœnali, quando dubium est de delicto fundamentali, vel circumstantia principali, super qua pœna fundatur e. g. Ioannes percussit Petrum Clericum ignorans Clericum esse, dubitat an sit excommunicatus, manente dubio, possidet Ioannes libertatem contra legem, siuè contra pœnam legis, quàmuis constet de lege non percutiendi Clericum.

QVÆSTIO II.

Vtrum in dubio Iuris, vel facti semper tutior pars sit eligenda.

NOt. Quod in hac celebri, & perdifficili quæstione reperiuntur tres sententiæ. Prima docet extra materiam iustitiæ in quouis euentu quoties est dubium siuè Iuris, siuè facti sequendam esse partem tutiorem, si post adhibitam diligentiam sufficientem, adhuc dubium perseueret iuxtà regulam: In dubijs tutior pars est eligenda; ita Vasquez Lorca disp. 38. & alij &c. Secunda sententia asserit nos in dubio Iuris non teneri sequi partem tutiorem, benè tamen in dubio facti: e. g. si dubium sit: An in Iure statuta sit irregularitatis pœna pro tali delicto, non teneri illum, qui dubius est de tali delicto perpetrato se gerere uti irregularem; secùs autem si dubitet quis, an occiderit hominem, cui sententiæ videtur fauere Ius Canonicum, ut infra patebit, quoad homicidia. Tertia sententia communiter asserit non semper esse sequendam tutiorem partem, tam in dubio Iuris, quam in dubio facti etiam in materijs ad iustitiam non pertinentibus ita Villalobos, Suarez, Marchantius, Sancius, Herincx, Mastrius, Caspensis, & quamplures alij, iuxtà quam sententiam sit.

Concl. In dubio iuris, vel facti non semper sequi tutiorem partem, etiam in materijs ad iustitiam non pertinentibus, tenemur. Prob. nostra concl. Possessio non solum fauet in materia iustitiæ, sed etiam in quauis alia materia, nam de quauis materia est intelligenda illa regula: in du-

bio melior est conditio possidentis, ac proindè etiam altera pars tutior in dubijs est eligenda, cum ex dictis clarè constet, has duas regulas non esse inter se contrarias, sed concordes, quatenus se inuicem adiuuant, & explicant: ergo in dubijs iuris vel facti tam in materia iustitiæ, quàm in materia aliarum virtutum si, adhibita morali, & sufficienti diligentia, dubium vinci non possit, tutius est sequi illam partem, quæ possidenti fauet, nisi in aliquo casu particulari expresse decisum sit in iure. Prob. ant. Possessio est titulus communis, & uniuersalis omnibus virtutibus, ac proindè non solum in materia iustitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum melior est conditio possidentis e.g. Qui non est obligatus præcepto religionis, est in possessione suæ libertatis, quoad illam virtutem, & sic de alijs.

Confirmatur. Etenim ideo in materia iustitiæ melior est conditio possidentis, ut ea possessione adiutus possit, præmissa debita diligentia, sequi partem minus tutam, quia ex altera parte ius dubium est æquale inter possidentem, & non possidentem, ex altera verò ius suæ possessionis est certum, & sic potiori iure gaudens vincit alterum: sed hęc ratio æquè militat in materia cuiuscunque virtutis; nam ex utraque parte est æquale ius obligationis dubium, hoc est ex parte voluntatis, & ex parte illius virtutis: ex parte autem voluntatis est ius certum possessionis libertatis: ergo ex parte voluntatis est ius fortius, nam certus non debet vinci ab incerto, quale est dubium, & consequenter in materia cuiuscunque virtutis melior est conditio possidentis.

Arg. 1. Cap. ad audientiam de homicidio dicitur: In dubijs tutior sententia est eligenda, & idem habetur cap. Significasti 2 eod. tit. ex qua regula infertur, dubitantem, an ex sua percussione secuta sit mors percussi iam mortui, debere se gerere pro irregulari; ergo ex iure semper tenemur sequi tutiorem partem. Resp. cum Herincx, regulam adductam non esse traditam ad declarandum, quod uniuersim ex natura rei in dubijs pars tutior sit necessariò sequenda, sed solum in casu prædicto de homicidio; idque statuit Pontifex ob reuerentiam sacri ministerij, ne fortè qui verè homicida est, celebret; quæ constitutio, ut notat idem Herincx cum Maldero, Caspensi, & alijs non est extendenda ad alia dubia diuersi generis, immò nec ad dubium muti-

tila-

tilationis, & ut uno verbo dicam cum Caſpenſi, & alijs in nullo dubio iuris, vel facti incurritur irregularitas niſi in dubio facti homicidij prohibiti, de quo p. 4. t. de cenſuris.

Arg. 2. Lex eſt certiſſima v. g. in hoc caſu: ne cognoſcas Bertam non tuam; dubium autem eſt matrimonium, quo ſolum poteſt legi derogari: at legi certæ non derogatur per dubium ſequens, ergo dubitanti, an matrimonium ſit validum, non licet petere debitum.

Reſp. Herincx eodem argumento probari, quod nec poſſet reddere, ut patet, quod eſt contra omnes, & ipſum ius canonicum. Deinde ſimile argumentum fieri poteſt in materia iuſtitiæ. Certa enim eſt lex, ne utaris re aliena, & ſolum eſt dubium. An ſit tua, adeoque ſimili ratione non liceret poſſeſſori ea uti. Itaque reſp. neg. aſſumptum pro 2. part. quia præter dubium matrimonium eſt certa lex poſſeſſionis iuris petendi debitum, & reddendi orta ex matrimonio bona fide contracto, quod ius per ſuperueniens dubium tolli nequit; lex autem caſtitatis ſolum vetat accedere ad perſonam, quam conſtat nō eſſe ſuam; poſſeſſor autem talis prudenter practicè iudicat eſſe ſuam, ſeù non eſſe non ſuam, & accedere ad eam, ad quam habet ius accedendi, utpote bona fide illam tanquam ſuam poſſidens. Adde id manifeſtè licere in caſu dubij ob impotentiam coeundi, licet enim triennio tentare etiam petendo, & tamen eſt dubium de valore, ſed eſt poſſeſſio, de quo p. 4. tract. de matrimon.

DISPVTATIO III.

De conſcientia erronea.

QVÆSTIO I.

Vtrum ſit peccatum agere cōtra conſcientiam erroneam.

NOt. Quòd, præter definitionem ſuperius aſſignatam de conſcientia erronea, oportet aduertere conſcientiam erroneam oriri, & denominari ab errore intellectus. Error autem intellectus prouenit ab ignorantia, quæ ad rem noſtram, omiſſis eius diuerſis diuiſionibus habitis in tractatu de actibus humanis, duplex eſt, nempè inuincibi-

 lis,

lis, & vincibilis. Prima eſt, quæ nulla morali diligentia vinci, & ſuperari poteſt, quia videlicet vel nunquam ſuborta eſt in mente aliqua dubitatio de re, quæ ignoratur, vel etſi ſubortum ſit aliquod dubium de ea, adhibita tamen ſufficienti, vel diligenti inueſtigatione talis ignorantia vinci non potuit; Secunda eſt, quæ adhibita morali diligentia potuiſſet vinci, & debuit, tamen ſuperata non fuit. Ex qua diuiſione infertur, quod duplex eſt conſcientia erronea, alia nempè inuincibilis, alia vincibilis.

Concl. Agere contra conſcientiam inuincibiliter erroneam eſt peccatum iuxtà grauitatem, & leuitatem materiæ. Hæc eſt communis inter Theologos, & adeò certa, ut quamplures exiſtiment eſſe de fide. Prob. per illud D. Pauli ad Rom. 14. *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt* quæ verba explicantur à Patribus de conſcientia erronea, & recta, ut ſignanter tradit Innoc. III. in cap. vlt. de præſcrip. ubi ait eſſe ſermonem de conſcientia recta,& erronea: ergo &c.

Prob. ratione, ideo eſt obligatio ſequendi conſcientiam rectam, eò quod ipſa proponat obiectum bonum, & honeſtum; ſed id præſtat conſcientia erronea inuincibilis,quia, etſi obiectum in ſe honeſtum non ſit, neque de illo extet præceptum, tamen hic, & nunc ignorantia inuincibilis illud apprehendit, & proponit voluntati ut bonum, & honeſtum, vel ut malum; licet in ſe non ſit malum: ergo obligat conſcientia inuincibilis iuxta ſuum dictamen operari, ac proindè peccat agendo contra illam.

Confirm. Quàmuis prima regula humanarum actionum ſit lex naturalis, & poſitiua proxima, tamen regula neceſſaria debet eſſe ratio, per quam lex cognoſcitur; undè non poteſt eſſe ratio conformis, aut difformis legi, niſi cognitione, ergo eiuſdem malitiæ eſt operari contra legem cognitam, ac operari contra legem veram; operari enim contra veram legem ſolùm eſt peccatum quando cognoſcitur; ergo &c.

Arg. cont. concl. Conſcientia erronea eſt inferior Deo: ergo non poteſt obligare ad oppoſitum illius, quod lex Dei præcipit; nam certum eſt, quod inferior non poteſt obligare contra legem ſuperioris, neque illi derogare; ergo ſi conſcientia dictat hic, & nunc eſſe mentiendum ad ſaluandum vitam e. g. Amici, voluntas non tenetur velle mentiri,

ri, quia est contra legem Dei. Prob. conf. Nam discordare à conscientia dictante aliquod contra legem Dei non est discordare à lege Dei, sed illi conformari; ergo conscientia erronea inuincibilis non potest obligare.

Resp. quod inferior Pręlatus suis subditis per conscientiam erroneam potest obligare contra legem superioris ignoratam; quare conscientia, supposita ignorantia Diuinæ legis, potest obligare voluntatem ad mentiendum hic, & nunc, in quo casu inferior non obligat contra superiorem, cuius lex non est cognita, & quod tunc obligat est lex ipsa naturalis, & Diuina præcipiens conscientiam esse sequendam: ita Caspens. Marchant. & alij.

Quæres. An obligatio operandi secundum conscientiam proueniat à lege naturali, an verò à lege positiua.

Resp. Quando iudicium conscientię proponit aliquod, ut legem naturalem, obligatio est naturalis, quando verò proponit legem positiuam est obligatio legis positiuę; ac proindè peccatum sumit suam malitiam à difformitate legi naturali, vel positiuæ; ratio est, quia conscientia non habet vim ligandi ratione sui, sed ratione legis, quam applicat, quæ quidem lex pari ratione obligat quando, & qualiter cognoscitur siuè sit talis, siuè non; ergo obligatio conscientiæ proportionari debet obligationi legis, quæ per conscientiam applicatur. Quare aduertit Marchantius, quod conscientia erronea actu dictare debet esse peccatum, quod agitur; quod si dictet tantum in habitu, potest quis agere contra huiusmodi conscientiam habitualem absque peccato, quia tunc in actu non applicatur lex e.g. Petrus conscientia erronea aliquando seductus credidit, se in die Ieiunij ante Solis occasum non licere comedere absque ieiunij violatione, & peccato, nihilominus, non deposito illo errore ad præceptum Superioris, vel immemor sui erroris, in meridie comedit, non frangit ieiunium, nec peccat, quia conscientia erronea cosistit in dictamine actuali, & non habituali &c.



Vtrum quando conſcientia inuincibiliter errans exiſtimat vtramq; partem contradictionis eſſe peccatum; peccet quis alterutram partem amplectens.

NOt. Quòd titulus quæſtionis huiuſmodi exemplo declaratur. Reperitur quidam paſtor ouium ita rudis, & ignarus, ut, conſcientia inuincibiliter errante, ſibi porſuadeat ex una parte eſſe peccatum contra præceptum Eccleſię non audire Sacrum die feſto, ex altera parte etiam eſſe peccatum illud audire, quia ſic compellitur gregem ſibi commiſſum, vel furi rapiendum, vel lupo vorandum derelinquere, quæ damna tenetur vitare ratione ſui officij, & conſequenter ratione iuſtitiæ. Concordant Doctores, quod ſi talis in ea perplexitate conſtitutus, unum ex illis duobus peccatis grauius altero eſſe credat, teneatur non eligere grauius, quia ſic peccaret; nam homo tenetur vitare, quod credit eſſe malum, & vitare poteſt. Difficultas tamen eſt, quando quis exiſtimat in vtroque eſſe parem malitiam; circa quam difficultatem nonnulli opinantur in tali caſu, paſtorem peccare: ratio eſt, quia actio illa eſt peccatum, quæ eſt libera, & ut talis fertur in obiectum iudicatum malum: cum ergo actio Paſtoris in caſu noſtro ſit libera, & liberè feratur in obiectum iudicatum malum, peccat. Confirmatur. Etenim Paſtor, eſtò nequeat vitare utriuſque partis malitiam, poteſt tamen fugere quamlibet determinatè, hoc eſt, poteſt deponendo conſcientiam erroneam unam, vel alteram partem determinatè eligere: ergo quando unam partem cum determinata malitia propoſitam eligit, liberè amplectitur obiectum iudicatum malum, ac proindè peccat: ita diſcurrunt Med. Gran. Paſq. & alij: his tamen non obſtantibus ſit.

Concl. Probabilius eſt Paſtorem in tali caſu, ſi diſcernere non valeat quod nam ſtrictius obliget, non peccare operando contra alterutrum illorum. Hæc eſt Sanchez in ſelectis Amici diſp. 15. Caſpenſis in tract. de conſcientia, Roderici in ſumma part. 2. cap. eſi, & Maſtrij diſp. 1. de conſcientia. Prob. nam ſola cogitatio, qua quis exiſtimat aliquam actionem agendo ſe peccaturum, non ſufficit ad peccandum,

dum, nisi actio liberè fiat: e. g. qui est detentus in carcere, non peccat non audiendo Sacro, quamuis existimet se peccare, quia liberè illud audire non potest, sed in casu nostro neutrum præceptum adimpleri potest; ergo actio illa non est libera, nec peccaminosa.

Confirmatur, quia agere contra conscientiam inuincibiliter erroneam non est peccatum, nisi talis conscientia sit libera ad agendum, vel non agendum id, quod per eam dictatur, non verò quando est necessaria, hoc est, quod executioni mandari non potest id, quod dictat agendum: ergo &c. Hinc patet responsio, ad fundamentum opinionis oppositæ, licet enim Pastor respectu cuiuslibet præcepti illorum signati in particulari sit liber; non tamen respectu illorum duorum vagi; ac proindè illa libertas potius est physica, quàm moralis in ordine ad culpam, ita Rodericus, & Sanchez.

Quæres. An, quando aliquis apprehendit tantùm malum in genere, nesciens distinguere, an peccatum sit mortale, vel veniale, peccet mortaliter.

Resp. Variant Doctores circa propositum dubium. Quidam existimant solùm committi peccatum veniale hac ratione ducti, eo quia ratio operantis in se non continet dictamen malitiæ mortalis, ac proindè non potest in actum transfundi, quoniam verò ratio dictat esse malum in genere, saltem venialiter peccatur. Ita Nauarrus, Vasquez, & Azorius. Alij censent in tali euentu semper committi peccatum mortale, quia cum operans non distinguat, an sit peccatum mortale, vel veniale, exponit se periculo mortaliter peccandi.

Verùm censeo esse distinguendum de malitia in genere, nam vel per malitiam istam in genere intelligitur quædam malitia communis, quæ per intellectum nostrum abstrahitur tam à malitia mortali, quam veniali, & sic nullo modò reperiri potest in aliqua actione humana; cum omnis actio humana sit mala venialiter, vel mortaliter, nequè detur quid medium; vel intelligitur pro malitia in genere malitia aliqua in confuso apprehensa, adeò ut Rusticus e. g. confusè apprehendat aliquam actionem esse quidem malam, sed ab eo non distingui, an sit mortalis, vel venialis, quare in hoc sensu mihi videntur loqui Herincx, & præ-

ſertim Marchantius, qui ſic diſcurrit. Vnde non aſſentiendum credo illis, qui dicunt ſemper eſſe peccatum mortale, quando quis conſcientia erronea dictante aliquod malum eſſe in genere ſine determinatione mortalis, vel venialis contra dictamen procedit, aſſerentes pro ratione, quia, cum non diſtinguat, exponit ſe periculo peccandi mortaliter, his inquam non aſſentior, non enim eſt tale periculum, niſi quis traſgreſſionem apprehendat ſub ratione alicuius mali grauis, & dubitatio, ſiuè ſuſpicio aliquamentis, vel aduertentia periculi inſurgat, ne fortè mortale ſit, ita ut in actu includatur hæc conditionalis, etſi peccare deberem mortaliter, volo tamen facere, vel per modum contemptus, ſiuè ſit mortale, vel veniale volo facere, quæ conditionalis, vel contemptum ſapiens rarò includitur, ideoquè communiter materia, vel obiectum actus ponderanda ſunt, ſicut in agentibus contra conſcientiam rectam, malum non diſtinguentem, aliàs omnes vulgares, & idiotæ perſonæ, imò, & multi aliàs ſenſati, qui inter peccatum mortale, & veniale non poſſunt diſtinguere, ſemper in omni actu peccaminoſo peccarent mortaliter, quia periculo peccati mortalis ſe exponerent, ex quo quantæ abſurditates, & perplexitates conſcientiarum orirentur, prudens lector attendat.

Cenſeo itaquè (ſequitur Marchantius) quod, qui malum operantur, ſiuè ex conſcientia recta, ſiuè erronea non reflectentes ad periculum mortalis peccati, unde aliquis contemptus poſſit probari, ſi materia ſit tantùm venialis, venialiter tantùm peccaret, ſi verò mortalis mortaliter: ratio mea eſt, quia ſicut ad peccandum ſimpliciter requiritur aliqua reflexio, & aduertentia, quod actus ſit malus, ſiuè reflexio ad malum; ſic ad peccandum mortaliter: requiritur aduertentia, & reflexio aliqua, quod actus ſit mortalis, vel ſaltem periculum peccati mortalis, aliàs non eſſet peccatum voluntarium.



QVÆ-

Vtrum conſcientia inuincibiliter errans magis obliget, quàm præceptum ſuperioris.

NOt. Quòd indubiè nullus Prælatus diſpenſare, vel relaxare poteſt obligationem conſcientiæ adhuc erroneæ dictantis aliquod eſſe præceptum, aut prohibitum; nullus enim ſuperior etiam ſupremus relaxare poteſt obligationem legis naturalis; ac proindè, cum lex naturalis obliget non agere contra conſcientiam inuincibiliter errantem, nulla poteſt interuenire diſpenſatio. Dubium tamen eſt. An à Deo poſſit fieri huiuſmodi diſpenſatio, & quidem Caſpenſis in tractatu de coſcientia, & Herincx q.2. de conſcientia erronea dicunt, quod, quamuis Deus poſſit conſcientiam erroneam tollere, non poſſit tamen diſpenſare, quòd, ſtante conſcientia inuincibiliter errante, euadat licitum, quod proponitur illicitum, eò quia non eſt intelligibile, ut manente præcepto, eiuſque propoſitione licitè fiat oppoſitum; tum quia, ut benè diſcurrit Caſpenſis, ſi talis diſpenſatio à Deo facta nota eſt homini tum mutat conſcientiam, ſi verò non eſt illi nota perindè ſe habet ac ſi propriè conſcientia eſſet vera, & talis diſpenſatio non adeſſet; itaque licet in noſtra ſententia Deus poſſit diſpenſare in præceptis Decalogi, attamen nequit fieri, quod ſtante præcepto, fiat licitum id, quod conſcientia illicitum eſſe dictat. Remanet igitur reſoluendum, cui potius ſtandum ſit, quando concurrit præceptum Superioris, & conſcientia in contrarium dictans.

I. Concl. Quando conſcientia erronea eſt de lege Superioris, in cuius præceptis diſpenſare poteſt alter ſuperior, præceptum huius ſuperioris eſt maioris obligationis, quàm iudicium conſcientiæ; ratio eſt, quia præceptum maioris ſuperioris ſicur poteſt derogare legi inferioris, ita poteſt tollere conſcitntiam circà obligationem talis legis: ergo tenetur quis in tali euentu deponere conſcientiam erroneam.

II. Concl. Si conſcientia ſit de lege non diſpenſabili ab altero ſuperiore, & nihilominus illa ſit aut vincibilis, aut quæ poſſit deponi propter auctoritatetem ſuperioris præ-

cipientis, aut alterius fide digni, similiter est maioris vis obligandi in tali præcepto, quam in dictamine conscientię erroneæ. Prob. nam quando conscientia potest deponi, honestè impleri potest præceptum superioris; sed quod honestè potest impleri, habet vim actu obligandi; ego tenetur quis conscientiam deponere, & stare iudicio, seu præcepto superioris. Cæterùm quomodo prudenter sit deponenda conscientia erronea infrà dicetur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum teneamur sequi conscientiam vincibiliter errantem.

NOt. Quòd inter conscientiam vincibiliter errantem, & inuincibiliter errantem intercedit huiusmodi discrimen, quod conscientia inuincibiliter errans proponit perfectè, & prudenter obiectum malum voluntati sub ratione boni, & sic ratione ignorātiæ inuincibilis censetur bonum, quod reuerà non est, ac proindè etiam actus voluntatis, qui sumit ab obiecto bonitatem in genere moris, est bonus. Conscientia autem vincibiliter errans imperfectè, & imprudenter procedit proponendo voluntati sub ratione boni, quod est malum, quia potest, & tenetur quis adhibere diligentiam sufficientem ad deponendam conscientiam vincibiliter errantem.

I. Concl. Licitum est sequi conscientiam vincibiliter erroneam, quæ dictat aliquid esse præceptum, quod tamen præceptum non est, dummodo non sit prohibitum e. g. Audire Missam die profano. Similiter non est illicitum si quod dictat esse bonum, licet sit indifferens; verùm si quod dictat tanquam bonum, sit in se malum, vel quod dictat esse vetitum, sit præceptum, illicitum est sequi huiusmodi conscientiam: ratio est, quia conscientia vincibilis, cum sit error vincibilis, non abstergit malitiam ab opere, vel operis omissione: ergo censetur voluntariè errare: ita Herincx.

II. Concl. Quando conscientia vincibiliter errans dictat aliquid præceptum, vel prohibitum, etsi obliget, ne contra illam quis faciat, non tamen obligat, ut ipsam positiuè sequatur. Ita DD. passim docent. Prob. Nam talis conscientia

tia oritur ex aliqua ignorantia vincibili, ſeu culpabili, quę vinci poteſt, & debet; ergo non obligat, ut illam poſitiuè ſequamur, eſtò obliget, ne contra illam, dum perſeuerat, operemur: tum quia ſimpliciter loquendo operans obligatur non ſequi huiuſmodi conſcientiam; ergo &c.

Quæres. Quomodo ſit deponenda conſcientia erronea vincibilis. Reſp. Caietanus quæſt. 19. putauit ad deponendam huiuſmodi cōſcientiam ſufficere arbitrium ipſius operantis; at hæc opinio à Theologis communiter reijcitur tanquam falſa, & periculoſa; quia iſte modus deponendi conſcientiam cæcus eſt, ac expoſitus manifeſto periculo peccati; ſicut enim arbitrium eius non eſt regula operandi, ita nec conſcientiam deponendi: tum quia conſcientia non cœpit ligare pro libito voluntatis, ſed ob motiuum aliquod rationis apparens. Itaque ad deponendam legitimè conſcientiam erroneam debet homo moueri ratione, vel autoritate, ob quam nunc prudenter iudicet contrarium eius, quod àntea iudicauerat; immò, etſi adhuc perſeueret exiſtimatio, vel potius imaginatio de malitia actionis, pręmiſſa oratione pro illuminatione cordis, debet exiſtimare ſe prudenter, neglecto proprio captu, operari, & ſic acquieſcere iudicio vel Superiorum, vel Doctiorum.

QVÆSTIO V.

Vtrum ſcrupuloſus agendo contra conſcientiam ſcrupuloſam peccet.

NOt. Quòd ſcrupulus eſt anxietas, & titubatio quædam mentis, cum quadam dubitatione, & trepidatione in agendo, conſcientiam torquens, & turbatam reddens, ex leuibus, & incertis coniecturis orta. Dicitur anxietas, & turbatio &c. quia ſcrupuloſi ſunt ſimiles folijs arboris agitatis vento, quæ modò in unam, modò in aliam partem vertuntur: dicitur cum quadam animi dubitatione, & trepidatione, nam in hoc ſcrupulus differt à vero dubio, quod dubium ſuſpenſum animum teneat, ſcrupulus autem operatur, ut ſemper trepidans quis maneat, quamuis vertatur in unam, vel aliam partem, nunquam medium tenens, ſed ſub dubitatione aliqua ſemper tremens, nunquam conſtans in

agen-

agendo: agitur autẽ hic de ſcrupulo practico, non ſpeculatiuo; parum namque refert, quod quis in ſpeculatione varijs agitetur trepidationibus modò in alteram partem ſe in praxi reſoluat; cæteræ particulæ patent ex dictis in definitione ſuperius tradita de conſcientia ſcrupuloſa. Scrupulus autem quoad ethymologiam nominis originem ducit à quodam lapillo paruo, qui in calceo pedem urget, & propriè ſcrupulus nominatur.

Concl. ſtante conſcientia ſimpliciter tantùm ſcrupuloſa, ſi ſcrupuloſus contra eam agat, non peccat, ratio eſt, quia ſcrupulus eſt tantum fluctuatio mentis, & incoſtantia ex debilibus, vel leuibus fundamentis orta; unde potius afflictio iudicanda eſt, ſed huiuſmodi conſcientia nequit obligare ſecundùm quod leuiter, & imprudenter præſcribit fluctuando: ergo ſtante conſcientia ſimpliciter ſcrupuloſa non peccat ſcrupuloſus contra eam agendo.

Cæterùm ſi conſcientia ſcrupuloſa in iudicium aliquod determinetur, quod omnibus ſpectatis non liceat ſibi hic, & nunc talem actionem exercere, tunc peccabit agere contra iudicium, non ratione conſcientiæ ſcrupuloſæ, ſed ratione conſcientiæ erroneæ; conſcientia enim ſcrupuloſa mediante iudicio practico tranſit in erroneam. Aduertit tamen Petrus Marchantius non facile credendum eſſe ſcrupuloſis, dum etiam affirmant, ſe iudicium formaſſe, & actui præcedenti ex iudicio conſenſiſſe; ſicut enim in uno ſunt turbati, ſic in alio; quarè monet, debere confeſſarios in primis curare, ut penetrent ſtatum ſcrupuloſi, exindè autem credere non debere ſcrupuloſo, etſi ille putet ſe enucleatè omnia explicare, maximè in ijs, quæ ad conſenſum, vel diſſenſum voluntatis in tentationibus, & alijs fluctuationibus ſpectant, ſed debere tacitè, & imperturbato animo rem ipſam examinare, & ex re ipſa (attento qualiter ſe ſcrupuloſus antea, & poſtea habere ſoleat) non autem ex ſcrupuloſi narratione iudicium ferre. Fluctuatio enim, ſeu perturbatio animum poſſidens omnem narrationem inficit; dicunt enim, & affirmant frequenter ſe varia pati in voluntate, & in corpore, quæ ſunt tantum in imaginatione, ſe conſentire, cum tamen reuerà appareat coſtantiſſimus diſſenſus; nam ut notat idem Doctor quæſt. 4. quæ in imaginatiua, & appetitiua ſenſibili, ſeu animali fiunt, ſimilia

ſunt

ſunt ijs, quæ in intellectu, & voluntate fiunt. Ex quo fit, ut ſcrupuloſi actus potentiarum animalium accipiant pro actibus intellectus, & voluntatis. Accedit colluſio Dœmonis ipſos tot imaginationibus, & ratiocinationibus obruentis, ut ijs ſe aſſentire, & conſentire per rationem, & voluntatem videantur. Eadem verò, quæ à Dœmone fieri ſolent, poſſunt ferè efformari mirabiliter à melancholico ſpiritu per vim imaginatiuam, quod ſi huic ſpiritui ſimul ſe Dęmoni immiſceat, in ſupremo periculo, vel deceptionis, vel fatuitatis verſatur ſcrupuloſus, ita Marchantius in tractatu de conſcientia, ubi plura ſimilia tradit pro dirrigendis conſcientijs erroneis, & ſcrupuloſis; & inſuper addit conſcientiam hypocondriacam, & fatuam, quam ſic deſcribit. Conſcientia hypocondriaca, & fatua nil aliud eſt, quàm fatuitas mentis, & delirium quoddam partiale ex humore aliquo prauo, vel alia praua diſpoſitione prædominante procedens, quo homo in deliria, & fatuas actiones, ac operationes diſcurſus, ratiocinationes prorumpit, quæ conſcientiæ nomen reuerà non meretur, ac proindè potiùs Medico, quàm confeſſario curatur &c.



TRA-

TRACTATVS QVINTVS DE LEGIBVS.

DISPVTATIO I.

De lege in communi.

QVÆSTIO I.

Quid sit lex.

NOt. 1. Quòd legis vocabulum secundùm nominis etymologiam oritur vel à verbo lego, quia leges, signanter positiuæ legi, & promulgari debent, ut obligent; vel à verbo eligo, quia lex omnis dictat, quæ sint eligenda, & quæ respuenda: vel à verbo ligo, quia lex obligat, & quasi ligat ad aliquid efficiendum, vel fugiendum. Quoquomodo usurpetur legis nomen, impræsentiarum à nobis solùm accipitur quatenus significat regulam exteriùs, aut interius propositam, cui conformari debent actiones humanæ, ut probæ fiant, & honestæ; non enim alia via agnoscimus bonitatem, vel malitiam humanarum actionum, quàm ex conformitate, vel difformitate, quam habent cum lege.

Not. 2. quod lex, & ius coincidunt, & differunt inter se; differunt quidem, si ius à iustitia dicatur; nam in hoc sensu idem significat, quod iustum, vel æquum alteri debitum, unde iustitia dicitur ius suum unicuique tribuere, iuxta communem descriptionem Iurisperitorum; coincidunt autem, si Ius dicatur à iubendo, & sic deriuatur à supino verbo Iubeo, quod est iussum, à quo ultima syllaba sublata, remanet ius. Quare Doctor sumendo ius in hoc secundo sensu in 4. dist. 46. p. 1. art. 1. illud diuidit ad instar legis, nempe in Ius naturale, Diuinum, & humanum.

Concl. lex in genere rectè describitur. Regula perseuerans actionum humanarum indita, vel posita, obligans ad aliquid faciendum, aut omittendum. Hæc videtur communis

munis dicitur 1. Regula, quia lex formaliter, & per se indicat agenda, & omittenda, in quo genere conuenit cum synderesi, & conscientia, quæ pariter sunt Regulæ. 2. Perseuerans; ut lex distinguatur à simplici mandato, & præcepto, quod pro libito superioris ponitur, & tollitur, imò etsi non sit sublatum in morte eius, qni illud tulit, cessat; secus autem lex, vt notat Abbas in cap. irrefragabiliter §. cæterum de officio Ordinarij; eo quia lex debet esse stabilis, & perpetua quantum est ex sui natura; estò per accidens, hoc est ratione communitatis, status, materiæ, & aliarum circumstantiarum sit mutabilis, ac proinde non stabilis, & perpetua. 3. Actionum humanarum, quia non agimus de actionibus Angelorum, sed hominum, & de ijs, quæ liberè efficiuntur. 4. Indita, vel posita, vt tam lex naturalis, quam positiua Diuina, Ecclesiastica, aut Politica sub hac definitione includantur. 5. Obligans ad aliquid &c. Vt lex distinguatur à monitionibus; exhortationibus, consilijs, & id genus similibus, quæ nullam obligationem indùcunt, sed solam dirrectionem; at lex & dirrigit, & obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum.

Quæres 1. Quænam sunt conditiones legis.

Resp. ex communi doctrina, tam Theologorum, quam legalium esse plures. Prima est. Quod lex sit honesta; idest iuxta Isidor. lib. 1. Eth. c. 2. quod Religioni conueniat, quod disciplinæ congruat, & quod saluti proficiat, aliàs non obligat, nam ut dicit D. Petrus: *Oportet Deo obedire magis, quàm hominibus*: 2. ut lex sit iusta, idest, ut onera æqualiter diuidantur in subditos, non quidem æqualitate arithmetica, sed geometrica proportione personæ ad personam, ne videlicet pauperes grauentur, sicut Diuites, sed inspiciantur vires, & merita singulorum: 3. ut lex sit obseruatu possibilis, nedum physicè, sed etiã moraliter, adeout non sit nimis difficilis, maximè si sit humana; atsi sit diuina, de fide est, Deum impossibilia non iubere; itaque debet iuxta unanimem consensum Doctorum post Isidor. lex esse secundum naturam, & consuetudinem Patriæ, loco, & tempori conueniens; hoc est, accomodata fragilitati humanæ, Patriæ, honesto usui, loco, & tempori: 4. ut sit utilis, ne aliàs sine ratione feratur, ac proinde sit irrationabilis; vnde debet esse congrua ad remouendum malum, seu abusum, &

ad introducendum bonum, seu actus honestos contrarios malo usui, 5. ut feratur in bonum commune; nam lex primariò, & principaliter respicit bonum communitatis, estò secundariò illud bonum cedere possit etiam in comodum alicuius priuati. Quarè generaliter dicitur l. iura ff. de leg. *Quod iura non in singulas personas sed generaliter constituantur*, idest pro aliqua multitudine, & l. 1. ff. de ieg. habetur *Legem esse præceptum commune, & communem Republicæ sponsionem*, & in cap. erit autem dist. 4. traditur. *Erit autem lex honesta, nullo priuato comodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Sexta, ut sit promulgata; teste Scoto 4. d. 3. q. 4. de communi sententia Doctorum, & habetur expressè cap. in istis dist. 4. ubi dicitur: leges instituuntur dum promulgantur, firmantur, dum moribus utentium approbantur; & cap. 1. de concessione præbendæ in 6. lex, constitutio, & mandatum nullos adstringunt, nisi pòstquam ad notitiam peruenerint eorumdem, nisi post tempus, infra quod ignorari non debuissent; sed de hac conditione latè agendum infra.

Quæres 2. Quotuplex est lex.

Resp. lex variè partitur, siquidem in primis diuiditur in legem Diuinam, & humanam; quia omnis lex vel est à Deo per diuinam potestatem legem præscribente, vel ab homine potestate purè humana leges ferente. Lex Diuina iterum duplex, nempe æterna, & temporalis, prior est ipsamet Dei rectitudo, & prima veritas, quatenus per eam, omnia, ut recta sint, dirrigi, & regulari debent, hinc psal. 11. 8. mandata, & iudicia Dei dicuntur veritas, & equitas; *Omnia mandata tua veritas*. Posterior est, quam Deus in tempore creaturis præscripsit.

Et hæc rursus duplex, Naturalis Diuina videlicet, & positiua. Prima est, quæ à Deo humanæ rationi est indita, regulans iudicium, & actiones eius humanas in ordine ad beatitudinem æternam, & ex Dei voluntate obligans hominem in foro Dei sub debito culpæ: ita noster doctissimus Marchant, tom. 2. sui Tribunal. tract. 1. tit. 1. q. 2. Positiua Diuina est, quæ à Deo præter legem naturalem homini ponitur, & velut superadditur in ordine ad finem supernaturalem, transgredientes obbligans ad culpam, & reatum penæ ætarnæ, vel temporalis: ita idē Marchant. Insuper Diuina positiua, partitur in nouā, & veterem. Lex autem hu-

ma-

mana est, quæ ab hominibus potestatem habentibus est instituta in ordine ad Rempublicam conseruandam; quæ duplex est, alia Ecclesiastica, alia sæcularis, seu ciuilis. Prior est, quæ per potestatem à Christo concessam fideles in rebus politicis, & ciuilibus dirrigit, quatenus ad supernaturale regimen aliquo modo spectant, illique deseruiunt & subordinantur. Sæcularis, seu laica dicitur ea, quæ hominem dirrigit in ijs, quæ temporale, & humanum regimen spectant, de quibus omnibus suis locis erit disputatio.

QVÆSTIO II.

Vtrum ratio legis consistat in actu intellectus, vel potius voluntatis.

NOt. 1. Quòd lex tribus modis spectari potest, ut passim notant Doctores. Primò in ipsa mente legislatoris, in qua primò gignitur, & formatur, ac proinde in tali statu lex accipit primum esse essentiale, inchoatiuè quidem à practico iudicio, quo legislator iudicat tale medium fore expediens ad publicum, & commune bonum promouendum, & conseruandum; completiuè verò ab actu voluntatis, quo efficaciter vult ad tale medium subditos obligare. 2. spectari potest in aliquo signo externo sensibili Scripturæ, aut vocis, per quod lex ipsa interna legislatoris notificatur, & in tali statu lex accipit nouum esse signi sensibilis, quo fit apta ad voluntatem subditorum mouendam, vt eam obseruet operando quod præcipit. 3. Spectari potest in ipso intellectu subditorum, à quo lex apprehensa proximam vim habet dirrigendi, & obligandi, & in tali statu fit proximè idonea ad dirrigendas, & mouendas voluntates subditorum, quo sensu nihil aliud est, quam iudicium practicum, quo subditus iudicat, hanc, vel illam regulam à Superiore præscriptam, & promulgatam sibi seruandam esse.

Not. 2. quod circa hanc quæstionem versantur tres sententiæ; Prima affirmat, essentiam legis in actu intellectus consistere, & hæc est regula quædam, & mensura humanarum actionum, sed regulare, & mensurare actus humanos ad rationem pertinet, quæ est primum principium actuum humanorum, & in unoquoque genere id, quod est princi-

pium,

pium, est etiam mensura, & regula illius generis. Insuper de ratione legis est ordinare subditum ad finem, sed ordinare res, vel media ad finem est actus prudentiæ, intellectualis; ergo &c. 2. Sententia è diuesò asserit, legem essentialiter consistere in actu voluntatis, quo legislator vult subditos obligare; ita Scot. in 3. dist. 36. & in 4. dist. 44. D. Bonau. Almainus Poncius, Herincx, Marchant. Frassen, & alij Scotistæ; quorum sententiæ subscribuntur Suarez, Salas, Becanus, Arriaga, & non pauci Recentiores. 3. Denique sententia, censet naturam legis positiuæ, de qua præsertim procedit præsens quæstio, in utroque consistere: ita Amicus Castropal. Siluius, & Caspensis; his prænotatis sit.

Concl. Legis ratio consistit formaliter in actu voluntatis presupponens actum intellectus, quo legislator iudicat materiam legis conuenientem esse, ut sub obligatione sanciatur. Est Scoti l. c. & in 1. d. 44. ubi sic docet dico, quod leges aliquæ generales rectæ de operabilibus dictantes præfixæ sunt à voluntate D. & non quidem ab intellectu D. ut præcedit actum D. voluntatis. Quibus verbis Doctor apertè significat diuinam legem, non in actu intellectus, sed D. voluntatis esse reponendam; sed idem à simili dicendum est de lege humana ciuili, & ecclesiastica ob paritatem rationis: ergo legis ratio in actu voluntatis est reponenda.

Prob. auct. S. Scrip. quæ pluribi indicat, legem spectare ad voluntatem, & signanter in psal. 39. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*: Et psal. 102. *Notas fecit vias suas Moysi, filijs Israel voluntates suas*; idest leges, & præcepta, & Matt. 7. *Qui facit voluntatem Patris mei*; hoc est, qui eius legem obseruat; ergo &c.

Confirmatur ex eo, quod leges ciuiles dicuntur principum placita; nam dicitur lib. 1. ff. de constit. Princip. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*; fauet & D. Aug. lib. 6. de Ciuit. Dei; dicens: *Arbitraria Principum pro legibus erant*. Insuper Arist. in Rhetorica ad Alexand. c. 1. affirmat, legem esse communem ciuitatis consensum; ergo in actu voluntatis est reponenda: Resp. Thomistæ præcitatas auctoritates solum indicare legem esse actum voluntatis, non quidem elicitiuè, sed tantum connotatiuè, & præsuppositi-

tiue. Verùm huiusmodi distinctio videtur gratis excogitata; Siquidem potius è contra se habet, ut in nostra conclusione asserimus, videlicet, actum voluntatis præsupponere actum intellectus, cuius munus est, indicare, & ostendere voluntati, quid iustum, & conueniens, atque expediens sit subditis præcipere; & voluntatis munus est mouere per imperium externum subditorum voluntates.

Prob. ratione. Voluntas est regula humanarum actionum; ergo ad voluntatem spectat tradere leges: ant. patet; eò quia voluntas D. est prima regula nostrarum actionum; tunc enim nostræ voluntates sunt rectæ, & bonæ, quando D. voluntati conformantur; & voluntas Prælatorum, & Principum est 2. regula rectitudinis, velut quædam participatio D. voluntatis, earundem actionum; ergo &c.

Arg. Thomist. auct. S. Scrip. & ratione. Legis officium est illuminare, & instruere subditos iuxta illud Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos &c* & Psal. 118. *Lucerna pedibus meis*; sed hæc omnia competunt intellectui; ergo ad actum intellectus spectat legis ratio.

Resp. mai. verificari etiam de voluntate; quare D. Ansel. lib. de volunt. Dei c. 4. ait. *Voluntas Dei est magistra humana Voluntatis*; ac proinde etiam voluntas illuminat, & instruit, voluntas, inquam superioris, subditos; quatenus agenda, & fugienda obiectiue proposita monstrat subditis, obligando eos ad legis præscriptæ obseruantiam: quod nequit intellectus præstare, cum sit solum regula ostensiua, & indicatiua, non verò præceptiua, & obligatiua in ordine ad subditos, nisi per actum voluntatis Principis, ut magis patebit ex dicendis in disputatione de lege æterna, & naturali.

QVÆSTIO III.

Vtrum ad obligationem legis requiratur promulgatio?

NOt. 1. Quòd promulgatio legis nil aliud est, quàm legis publica denunciatio, qua superior politicus suum præceptum intimat, & denuntiat communitati. Cæterum contendunt nonnulli, promulgationem esse de essentia legis; verior tamen sententia est, quod promulgatio sit tan-

tum conditio, ut etiam supra indicauimus. Ratio: quia lex non constituitur in sua essentia per actualem obligationem, sed solum per vim obligatiuam; actus namque secundus ad essentiam rei non pertinet; obligare autem actualiter est actus secundus, cum sit effectus eius: ergo cum promulgatio sit legis publica intimatio, & applicatio præsupponit legis essentiam, ac proinde promulgatio non est de eius essentia, sed conditio tantùm. Quòd indicat non obscurè etiam Scot. 4. d. 3. q. 4. art. 1. ubi de lege euangelica disserens docet, institutionem præcessisse promulgationem eius, quia non promulgatur lex nisi à legislatore primò determinetur, quæ quidem determinatio dicitur prima legis institutio.

Not. 2. Quòd non omnes leges eodem modo promulgantur; etenim ad hoc ut lex humana promulgetur debet legislator suam voluntatem signo externo subditis manifestare; idque solemni ritu, ut notant communiter Doctores; nam Rex, seu Princeps non censetur suam legem promulgare cum potestate obligandi, nisi ritu solemni id facere ostendat. Quoad legem verò diuinam promulgari potest vel per reuelationem internam, vel per externam expositionem cum, vel sine solemnitate; non enim Deus est alligatus solemnitatibus, sed sufficit ad nos obligandos, quod suam voluntatem nobis sufficienter indicet. Insuper lex naturalis promulgatur per naturale dictamen rectè rationis ex D. Thoma q. 70. art. 4. ita quidem ut Deus censeatur, promulgasse legem naturalem per modum habitus hoc ipso, quod dedit nobis lumen naturale, & per modum actus, quando eo lumine naturæ utimur, siue quando recta ratio nobis dictat, quid hic, & nunc faciendum sit iuxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

Not. 3. quod, licet omnes Doctores asserant, esse necessariam promulgationem legis ad hoc, ut vim habeat obligandi, attamen contendunt, quæ promulgatio, & quanta sit necessaria; Sot. Caiet. Medina, & Molina asserunt, promulgationem sufficientem ad hoc, ut lex habeat vim obligandi, non solùm debere fieri in curia, sed etiam in singulis Prouincijs, & Ciuitatibus Metropolitanis, & prætera in singulis Diœcesibus lex Pontificia; & quidem de legibus ciuilibus constat ex authentica infra adducenda; & idem

idem dicendum de legibus Pontificijs. Ita etiam tenent Conrad. Felin. Zabarel. Decius, quos citat, & sequitur VViggers q. 94. art. 4. Verùm Salas disp. 12. sect. 9. Bonac. disp. 1. p. 1. p. 4. Guliel. Herincx p. 2. disp. 3. de lege q. 9. censent, promulgationem in curia esse sufficientem, ut lex habeat vim obligandi; quia neque ex natura rei, neque ex iure aliquo positiuo requiritur promulgatio in singulis Prouincijs; ut infra patebit rationibus.

I. Concl. Lex Imperatoris obligat post duos menses, post quam facta est promulgatio solemnis in singulis Prouincijs. Prob. Nam ita statuitur expræsse in Authentica. *Vt factæ nouæ constitutiones*. Quam habere vim legis contra Vasquez probat Castropal. t. 1. tract. 3. disp. 1. ex Pio IV. in Bulla edita pro obseruatione Concil. Trid. quæ incipit. *Sicut, & Sacrorum*, ubi mentionem faiens huius Authent. ait. *Iure communi statutum esse, vt constitutiones noua non nisi post certum tempus obtineant &c.* ergo post duos menses obligare censetur. Cæterum certissimum est legislatorem non subiectum Imperatori posse unica tantum promulgatione obligare, non transactis duobus mensibus; dummodo tamen percurrat tempus moraliter necessarium, ut in notitiam subditorum humano modo venire possit, mandatum enim, & constitutio nullũ adstringit, si eam inuincibiliter ignorat; ut habetur in cap. 1. de consecrat. præb. in 6.

II. Concl. Probabile est, leges canonicas, seu Pontificias ubique non obligare, nisi in singulis Prouincijs, aut Diæcesibus promulgentur, probabilius tamen est non requiri promulgationem in singulis Prouincijs, sed sufficere, si Romæ solemniter promulgentur, nisi aliter in ipsa Bulla exprimatur. Ita tenent graues Doctores, quos refert, & sequitur Diana in tract. de leg. ref. 8. Caspensis tract. de leg. Stephanus à S. Paulo in tract. de leg. & hanc sententiam tutam esse in conscientia censet Layman. lib. 1. t. 4. cap. 3.

Prob. 1. pars. Quando Pontifex mentem suam non exprimit, standum est iuri ciuili, ac proinde sicut lex Imperialis non obligat ubique post promulgationem factam, ita nec lex Pontificia; nam ius ciuile, ubi iure canonico non aduersatur, ab Ecclesia seruari solet, ut videre est cap. 1. de noui operis nuntiat. Vbi dicitur *Sicut leges non dedignantur, sacros canones imitari, ita & Sacrorum canonum statuta Princi-*

pum constitutionibus adiuuantur, & cap. Si in adiutorium dist. 10. habetur, *Leges Imperatorum in adiutorium Ecclesiæ assumi posse*. super quod caput glossa ait. *Vbi desunt canones, leges citari possunt*; sed hic desunt canones exprimere mentem Pontificis; ergo leges ciuiles citari possunt. Confirm. Etenim nimis durum videtur, & onerosum, si statim atq; Romæ publicatur aliqua lex Pontificia, per totum orbem fideles dispersos obligaret. Præterea leges Conc. Trid. in multis locis non seruantur, quia in illis promulgatæ non fuerunt, ut notat etiam Herincx q. cit.

Prob. 2. pars. Ex communi sententia, & praxi. Nam Regulæ Cancellariæ Romæ solum publicantur, & secundum illas causæ ex toto orbe deciduntur. Bulla Cœnæ Domini nusquam nisi Romæ solet promulgari, & tamen arctat omnes Christi fideles. Pius IV. voluit in sua Bulla, ut decreta Tridentini, quæ ad reformationem, & ius canonicum pertinent, ubique post promulgationem Romæ factam incipere obligare à Kal. Maij 1564. & ratio à priori est; Quia Pontifex legibus ciuilibus non obligatur, seu arctatur, ac proinde in suis decretis non tenetur seruare modum publicationis iuris ciuilis, neque Authent. supra relatæ; ergo quoties Pontifex suas constitutiones Romæ promulgat, neque mandat alibi publicari, intendit omnes obligare; nisi ex ipsis aliter coniecturari rationabiliter possit. Quare rectè infertur, legem Romæ publicatam, quæ nullum tempus determinat, non requirere tempus bimestre, ut obliget, sed solummodo tempus moraliter necessarium, ut veniat in subditorum notitiam, ita Doctores supra allegati, unde lex quantum est ex se etiam ignorantes obligat in actu primo; licet quoad actum secundum non liget, nisi post habitam notitiam; hæc tamen doctrina limitanda venit in lege irritante; quæ quidem lex irritatoria est quadruplex; nam vel irritat aliam legem, vel irritat contractum, vel irritat priuilegium, vel indulgentiam. Et quidem si lex sit irritatoria alterius legis, seu consuetudinis censet Caspensis cum communi, necessarium esse, ut irritatio promulgetur sicut aliæ leges; Ratio, quia cum lex reuocatoria habeat rationem legis, debet promulgari, ut suum sortiatur effectum. Vnde si princeps legem irritauerit, & subditus ignorans irritationem agat

con-

contra legem irritam, non peccat, quia quousque secunda voluntas Principis insinuetur, semper censetur remanere prima. Verùm si lex sit irritatoria actus, vel contractus, postquam semel est promulgata, habet vim irritandi actum, vel contractum, etiamsi ignoretur ab ijs, qui huiusmodi actus, & contractus agunt. Ratio. Quia in lege irritatiua contractuum Princeps non seruat potestatem legislatiuam, sed dominatiuam, quæ non expectat aliquod tempus, sed statim obligat. Vnde restitutio e. g. fit, non quia quis peccauit contra legem, sed quia accepit, quæ sibi debita non erant; cum à Principe statutum fuerit prætium rerum. Similiter, si quis contraheret matrimonium intra tertium, vel 4. gradum cum ignorantia inuincibili iuris, vel facti; aut etiam clandestinè contraheret post promulgationem Tridentini, matrimonium esset nullum.

Cæterum si lex sit irritatoria priuilegij, necesse est, ut innotescat parti cui priuilegium fuerat concessum, ut suo loco magis patebit. At quoad indulgentias veriùs apparet, reuocationem sortiri suum effectum absque eo, quod innotescat ijs, quibus indulgentia fuerat concessa; immò docet Corduba q. 36. concl. 5. solo actu interiori posse Pontificem reuocare indulgentias, eo quia cum ex voluntate ipsius pendeat concessio indulgentiæ, ipso Pontifice nolente, cessabit indulgentia.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ad hoc, vt lex obliget, requiratur acceptatio populi.

NOt 1. Quòd nulli dubium est, legem naturalem, vel diuinam positiuam obligare absque ulla acceptatione populi; eo quia cum lex naturalis sit indita à Deo, & lex D. positiua immediatè à Deo feratur, clarum est, eas obligare independenter omninò ab hominibus, quorum Deus est Dominus supremus, & simpliciter independens. Igitur quæstio procedit de lege humana, tam Ecclesiastica, quàm ciuili; non quidem de potentia ad obligandum absque acceptatione, cum communis Doctorum sententia tradat, tam Pontificem, quàm Principem politicum posse

posse fideles obligare ad legis obseruantiam à se latæ independenter à Populi consensu; sed de facto: An videlicet quoties Princeps, siuè Ecclesiasticus, siuè sæcularis, & Politicus condit legem, expectandus sit consensus, & acceptatio Populi, ut vim habeat obligandi.

Not. 2. quod circa quæstionem sic explicatam sunt duæ opiniones, altera affirmatiua, altera negatiua. Prior est Becani p. 2. tract. 3. cap. 6. Bonacin. & aliorum Doctorum legalium, & Theologalium quorum fundamentum adducetur in parte argumentatiua. Posterior est sententia communis Doctorum, & maximè legis Ecclesiasticæ; Quandoquidem Pontificis auctoritas non sit deriuata ab hominibus, sed immediatè à Deo, seu à Christo supremo, & absoluto legislatore. His prænotatis, sit.

Concl. Ad obligationem legis, tam canonicæ, quàm ciuilis non exigitur necessariò consensus, & acceptatio populi, ac proinde non est licitum legem absque ulla causa non recipere. Prob. 1. pars, quæ est magis conueniens, tum subditorum subiectioni, tum ordinato regimini, ac publicæ tranquillitati; hancque tradit Alfonsus à Castro de lege pœnali, Herincx in tract. de leg. Caspensis Suarez de leg. c. 19. Vasquez. & disp. 156. cap. 5. Pontius de Matrimonio lib. 1. cap. 7. & Mastrius in disp. de legibus, & videtur communior, ut supra indicauimus.

Prob. Etenim si obligatio legis dependeret ab acceptatione populi; hoc maximè esset, vel quia in Principe deesset potestas alios obligandi, vel quia deesset voluntas; sed neutrum dici potest, ergo &c. Non quidem primum, ut de ecclesiastico Principe patet, cum is non acceperit potestatem condendi leges à populo, sed immediatè à Christo. De Principe autem seculari supremo, & non dependenti ab auctoritate Populi idem probatur; quia Populus ei, & in eum omne suum imperium, & potestatem confert, ut habetur l. 1. ff. de constit. Princip. ac proinde contulit quoque potestatem obligandi ad acceptandi legem, sine qua potestas obligandi foret inefficax. Alioquin Princeps non esset absolutus Dominus, si eius potestas, necessariam haberet dependentiam à populo; immò huiusmodi potestas æquè resideret in Principe absoluto, ac in populo, quod nemo dixerit. Neque asseri potest secundum, nempe quod

desit

desit in Principe potestas, cum soleant legislatores per pœnas compellere ad legis executionem, ut praxis ostendit.

Prob. 2. pars. Nam summus Pontifex Alexander VII. damnauit hanc propositionem, quæ inter damnatas est 28. *Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat legem promulgatam*; ergo non est licitum legem absque ulla causa non acceptare. Et quidem dignissima fuit damnatione huiusmodi doctrina, quæ generatim complectitur quemcunque Principem, idest Superiorem quemlibet publicam potestatem habentem, siue sit ecclesiasticus, siue sæcularis talis Princeps, qui legem, quam condere potest, si condat, Populus non recipiendo legem promulgatam nullum peccatum committit; etiamsi nullam habeat rationabilem causam non recipiendi.

Arg. cont. p. 1. concl. Princeps leges condere censetur, & promulgare sub tacita conditione, si à Populo acceptentur, quia id videtur pertinere ad suaue regimem populorum, estque magis conforme benignæ voluntati legislatorum. Quod apertè confirmat dictum Gratiani §. leges cap. 3. dist. 4. *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur*. Et in l. de quibus ff. de legibus ita habetur. *Leges nulla alia ex causa nos tenent, nisi quia iuditio populi recepta sunt*.

Resp.neg.assumptum,quia id derogaret auctoritati Principis, esset etiam causa, seu occasio suspicandi, Principes in sua potestate habere dependentiam à Populo.Ad dictum Gratiani, dicitur non esse accipiendum in tali sensu, quod requiratur Populi consensus, ut lex ab initio vim habeat obligandi, sed in hoc sensu, videlicet, ut firmetur, & perseueret, eo quia per contrariam consuetudinem lex tollitur. Quare verum est, legibus non alia ratione nos teneri, nisi quia usu receptæ sunt; nihilominus ex voluntate legislatoris ad earum obseruationem tenemur. Vel Resp. cum Herincx ad textum ciuile l. de quibus. Iurisconsultum loqui de legibus, quæ iuxta formam regiminis Democratici olim fiebant Romæ à Magistratu simul, & à Plebe.

Arg. 2. Lex humana, quæ à maiori parte populi non recipitur eo ipso videtur inutilis, ut potè magis cedens in destructionem, quàm in ædificationem, ac proinde ex natura rei deficit à ratione legis obligantis; ergo &c.

Resp. neg. ant. Nam potest lex esse de se utilis bono communi, & populus duræ ceruicis resistere, nolendo eam acceptare; quæ quidem peruicacia potius frangenda est, quàm permittenda contra legem. Monet tamen Herincx, quod boni, & prudentis Principis est malorum pericula, & legis commoda expendere, etsi mala præponderent, ac timeantur non euitanda, legem relaxare. Immò hæc tanta esse possent, ut lex per se desinat esse tali populo utilis, & obligare. Quà propter Doctores communiter aduertunt, quod si lex sit nimis dura, & grauis, & ut talis à Populi maiori parte iudicetur, in tali casu, verisimile est, non obligare; censetur namque esse latam à Principe, non cum intentione absolutè obligandi, sed experiendi quomodo à Populo recipiatur. Insuper si lex de facto non sit usu recepta, hoc est de facto non obseruetur, vel à tota communitate, vel à maiori parte, quando instat tempus illam obseruandi, non censetur Princeps unum, vel alium obligare velle. Præterea potest populus ad remedium supplicationis recurrere, ad hoc ut lex vel moderetur, vel reuocetur, si rationabilem causam habeat, & interim lex eos obligare non censetur, quamdiù non habent resolutionem in contrarium: ita Castro. Rodriq. Salas, Bonac. Suarez, & alij. Quod si tali supplicationi legislator non respondeat præsumitur condescendere, & obligationem tollere; nisi ex circumstantijs constet de opposito, nempe ipsum tacere, ut suauiter, & cum minori offensione, ac damno reijciat supplicationem: tunc enim non licebit amplius suspendere legis obligationem, ut tradit Pourè, & sequitur Stephanus à S. Paulo.

QVÆSTIO V.

Vtrum lex ferri debeat pro communitate.

NOt. 1 Quòd communitas, ut sic præcisa, solet ita describi. Communitas est totum quoddam morale constans ex partibus, quæ nisi aliquo vinculo connectantur, nequeunt totum commune componere; Vnde pro diuersitate connexionis, seu vinculi variæ resultant communitates. Hac ratione dicimus hominum communitatem pro-

propter communem naturam, quam obligat lex naturalis; dicimus communitatem fidelium propter communem fidem, & signa, & ceremonias, quibus discernuntur ab infidelibus; ita modo appellatur Ecclesia, & antiquitùs Synagoga: hanc communitatem obligant leges D. & Ecclesiasticæ. Sunt etiam communitates temporales, seu politicæ sub eodem capite, ac sub ijsdem sanctionibus, ut Regna, & ciuitates, & potest sic describi. Communitas politica est cætus hominum humano iure inuicem sociatorum in ordine ad aliquem finem naturalem sub aliquo capite; dicitur ad aliquem finem naturalem, ad differentiam communitatis Ecclesiasticæ, quæ est in ordine ad finem supernaturalem, qua ratione Arist. 3. polit. cap. 10. ait Ciuitatem esse ciuium multitudinem habentium inter se morale vinculum sub uno principali moderatore.

Huiusmodi autem communitas politica distinguitur à Philosophis moralibus, & Iurisperitis in perfectam, & imperfectam. Prior dicitur, quæ est capax politicæ gubernationis, & sibi sufficit in hoc ordine, unde Arist. lib. 1. Polit. cap. 1. docuit, Ciuitatem esse communitatem perfectam, & à fortiori Regnum. Posterior dicitur illa, quæ non est sibi sufficiens, ac proinde non est capax politicæ gubernationis; quia in ipsa non congregantur singulæ personæ, ut membra principalia ad unum corpus politicum instituendum, qualis est domus, cui Paterfamilias præest: Talis siquidem communitas non regitur propria potestate iurisdictionis, sed dominatiua; ac proinde pro diuersitate dominij participat modum imperandi respectiue ad diuersos subiectos; aliud enim est ius, vel quasi dominium Patrisfamilias in uxorem, aliud in filios, aliud in seruos, & famulos; unde neq; habet perfectam unitatem, seu uniformem potestatem, neque etiam participat proprie politicum regimen, ideoque dicitur communitas imperfecta.

Not. 2. Pro maiori claritate dictorum, quod dominium à Doctoribus, tam Theologalibus, quàm legalibus duplex distingui solet. Primum est dominium proprietatis, & est quædam facultas disponendi de re perfectè absque iniuria ullius, ratione cuius dominij res dicitur sua, ut domus, prædium &c. Secundum dicitur iurisdictionis, estque po-

testas, seu facultas quædam gubernandi sibi subditos: Quod quidem dominium iurisdictionis sub diuiditur in præceptiuum, & in legislatiuum; quemadmodum enim non omne præceptum est lex, ita non omnis potestas præceptiua est legislatiua, è diuersò autem, sicut omnis lex est præceptum; ita omnis potestas legislatiua includit præceptiuam. Et hoc dominium iurisdictionis fundamentum habet in eo, quod aut ratione alicuius vinculi naturalis, ut Patris in Filium, aut ratione contractus, ut in matrimonio, & emptione serui, aut ratione potestatis gubernandi, quæ residebat in communitate, est quis constitutus Princeps.

Concl. De ratione essentiali legis est, ut pro aliqua tota communitate præscribatur. Est communis & breuiter, prob. 1. ex discrimine, quod intercedit inter præceptum. & legem; præceptum namque uni, lex omnibus præscribitur; ergo &c. Prob. 2. Lex æterna, & naturalis non uni soli homini data est, sed in omnium cordibus est scripta. Similiter lex D. tam vetus, quàm noua communitatibus præscriptæ sunt; illa quidem Iudaico Populo, hæc Ecclesiæ uniuersali, leges humanæ pariter pro communitate feruntur, ut de lege ciuili constat. Siquidem lib. 1. ff. de leg. dicitur, *Lex est commune præceptum*, & l. iura eod. tit. *Iura non in singulas Personas, sed generaliter constituuntur*. Idem de lege canonica liquidò patet, nam canones, & Decreta à Patribus dicuntur esse leges publicæ, idque præsertim docet Greg. IX. in proœmio Decret.

Prob. ratione. Lex est principalis actus prudentiæ politicæ, quæ per se primò respicit bonum totius Reip. aut communitatis, cui præscribitur; ergo ad totam communitatem ordinatur. Tum quia de ratione legis est, quod sit perpetua; sed nulla Persona humana particularis pro statu isto est perpetua: ergo lex respicit communitatem, quæ censetur esse perpetua, quatenus per continuam successionem perseuerat.

Arg. In iure can. lex distinguitur in priuatam, & publicam ex cap. licet de Regularibus, & cap. duæ sunt, prior priuatæ Personæ, posterior communitate præscribitur. Idem traditur in iure ciuili. Nam Instit. de iure nat. gentium, & ciuili diuiduntur leges Principis in generales, quæ omnes obligant, & in personales, quæ non trahuntur ad

exem-

exemplum, ergo &c. Resp. 1. Ius can. loc. cit. intelligi de voto concepto ex speciali inspiratione Spiritus S. aut de ipsamet inspiratione, quæ cum sit cordis infusa, impropriè dicitur lex. Resp. 2. Ius ciuile tantum velle, legem personalem, quæ impropriè dicitur lex, quia fertur in fauorem Personæ particularis, cuiusmodi sunt priuilegia, non debere trahi in exemplum.

Arg. 2. Quando lex fertur pro communitate, vel solùm obligat communitatem, ut sic, vel etiam comprehendit singula membra eiusdem communitatis; si primum, tunc communitas se gerit ut persona particularis, ac proindè lex dirrigi potest ad personam particularem; si secundum, ergo meritò concluditur, lege posse condi pro uno solo, si expediat. Resp. legem ordinariè ferri ad communitatem non collectiuè, sed distributiuè, nempe ea ratione, ut ab omnibus, & singulis de communitate seruetur, cum distributione accomoda iuxta legis dispositionem. Cæterum potest interdum lex ferri in communitatem, ut communitas est, ei præcipiendo, vel inhibendo aliquem actum, qui ob illa sola, ut communitas est, exerceri debeat, ut patet de statutis, & legibus præfixis alicui Congregationi, uniuersitati, Capitulo, & Collegio.

Quæres. Qui nam possint legem condere.

Resp. Non spectare ad quemlibet leges condere, sed tantum ad multitudinem, vel ad eum, qui multitudini præest, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 3. Quare primò potest sum. Pontifex potestate sibi à Chisto immediatè concessa ferre per totum orbem leges Ecclesiasticas, hoc est, per se, ac directè versantes circa res spirituales ordinatas ad salutem Animarum; ciuiles verò leges, idest directè spectantes commodum temporale, seu regimen ciuile in territorio tantùm sibi temporaliter subdito. Et quàmuis etiam cæteris Apostolis collata fuerit huiusmodi potestas condendi leges, non tamen immediatè, & independenter, ut tradunt Turrecremata lib. 2. sum. Eccl. c. 77. Cord. de potest. Pontificis, & alij. Vnde hæc est differentia inter potestatem datam Petro, & cæteris Apostolis, quia potestas collata Petro est independens ab altero; potestas autem cæteris Apostolis data fuit dependenter à Petro. Item potestas data Petro est perpetua, quia per successionem durat,

rat, Apostolorum verò est personalis; & ideo poterat Petrus suis legibus obligare cæteros Apostolos; Similiter poterat Petrus eorum leges restringere, & reuocare; eò quia Petrus à Christo erat constitutus Pastor omnium, ac per consequens etiam Apostolorum, utpotè subditorum, sicut aliorum fidelium. Insuper potest Papa sine consilio Cardinalium condere leges uniuersales obligantes totam Ecclesiam; ita Panormit. c. 2. de Clerico non residente. Felin. in rubr. de constit. n. 2. idem docet Herincx in tract. de leg. ex communi sententia Theologorum innixa præsertim super verbis, quæ dixit Christus ipsi Petro Matt. 16. *Tibi dabo claues cælorum*. Et Io. 20. *Pasce oues meas* Vnde Anacletus Papa, & refertur dist. 22. c. 2. *Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit*; ac proinde Papa in legislatione non dependet à Concilio, neque à Cardinalibus. Hinc patet error VViclef. damnatus in Concil. Constant; negantis, Christum tradidisse potestatem legislatiuam Petro, & successoribus eius. Vnde asserebat; solum Christum fuisse nostrum legislatorem. Contrarium tamen definitur etiam in Trid. sess. 6. cap. 19. contra Lutherum, & aliós hæreticos.

II. Legati sedis Apost possunt ferre leges pro tota Prouincia suæ legationis; habent enim iurisdictionem ordinariam, eamque maiorem, quam Episcopi, ut constat ex tit. de off. legati. Et cap. final. expresse deciditur, legatorum statuta eorum morte, vel amotione non expirare, quousque reuocentur. Sunt autem triplicis generis legati, ut inter alios bene notat Layman in theol. moral. in tract. de legibus, quem vide, si placet.

III. Cardinales S. R. E. cum ordinariam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtineant in Ecclesia sui tituli, ut constat ex cap. Quærelam, de electione cap. his, quæ de maior. & obed. habent potestatem legislatiuam, ac proinde possunt leges, & statuta condere in Ecclesijs suorum titulorum. Item ex præscripta consuetudine, teste Layman l. cit. ordinariam iurisdictionem exercent in suos familiares, ut proinde hi cum licentia Cardinalis sui, cuicunque Confessario exposito confiteri possunt. Verùm nullam iurisdictionem habent Cardinales in Ecclesiam vniuersalem, etiam vacante Sede Papali, ut habetur in Clement. *Ne Ro-*

ma-

mani de elect. & cap. *Vbi periculum de elect.* in 6. ubi pręcipitur, ut Cardinales, mortuo summo Pontifice, post decem dies exactos, quam primum omni conatu, & solicitudine Pastorem eligant, & se nequaquàm de alio negotio inromittant. Et quàmuis Capitulum cathedrale, vacante Sede Episcopali, succedat in iurisdictionem Episcopi; non tamen Cardinales succedunt in iurisdictionem Papalem: immò hoc illis expresse inhibetur Clement. cit. Ne Romani. De electione. Ex Papæ verò commissione emergentibus dubijs circa morum reformationem, & in litibus iudicialibus Concilia, & Pontificia iura interpretantur. Verùm an eorum interpretationes, siue declarationes vim legis, an solùm sententiæ doctrinalis, vel iudicialis obtineant, pendet quæstio ex mente summi Pontificis, ait Layman. ipsis tribuentis potestatem. Interim præsumendum non est habere vim legis, præsertim, quia authenticè non promulgantur. Ita docent passim Doctores cum Roderico t. 1. q. q. reg. q. 11. art. 2.

IV. Episcopi ferre possunt leges pro sua Diœcesi, ut habetur c. 2. de Maior. & obedient. & cap. 2. de constit. in 6. & alibi: quæ quidem potestas firmatur praxi Ecclesiæ; eamque habent postquàm sunt confirmati, antequàm sint consecrati; per confirmationem namque accipiunt iurisdictionem, cui potestas legislatiua est annexa, ut inter plurimos tradit noster Herincx. Nec requiritur consensus Papæ, nisi in casibus iuri Pontificio repugnantibus, aut ex iure, vel consuetudine Papæ reseruatis. Similiter non requiritur regulariter consensus Capituli, vel Synodi Pastorum, cum hoc nullo iure caueatur; estò requiratur saltem consilium Capituli ex cap. Quanto 5. *De his, quæ fiunt à Prælatis*, & tradit Zipæus in Analysi iuris Pontificij noui hoc titulo. Dicitur regula. Nam lex cedens in præiudicium Cleri, nequit ferri sine illius consensu ex cap. Nouit, de his, quæ fiunt à Prælatis, & alijs iuribus, quemadmodum exigitur consensus Cleri, & Populi ad instituenda noua festa cap. final. de ferijs. Ita noster Herincx l. c. qui etiam monet attendendam esse consuetudinem, quæ potestatem Episcoporum varijs in locis potuit extendere, vel arctare. Neque Episcopi Archiepiscopis subiacent nisi in quibusdam casibus, qui reducuntur ad ius illos visitandi,

corrigendi, & ad ius appellandi, & etiam conuocandi Episcopos sibi subiectos pro Concilio Prouinciali.

V. Capitulum Cathedrale Sede vacante potest condere leges: ita communis sententia Doctorum contra Maldesum, & quosdam alios: Succedit enim Capitulum in iurisdictionem Episcopi quoad totam iurisdictionem in spiritualibus, & temporalibus, præterquàm in casibus iure prohibitis, ut colligitur ex cap.un. de Maior. & obed. in 6. ergo potest condere leges nouas, præcedentis Episcopi leges reuocare, & contrarias statuere, duraturas usquedum ab Episcopo nouo tollantur. Vide Herincx, & Layman. loc. cit. qui latè discurrunt de hac materia; & ex professo agit de Vicario Capitulari. Pellegrin. in praxi, & Marchet. in praxi Vic. Capitularis.

VI. Concilium generale legitimè congregatum potest condere leges, quæ tamen ante confirmationem Papæ non obligant, ut tradunt communiter doctores. Similiter Concilia Nationalia, Prouincialia Diœcesana possunt leges ferre, proportionatas tamen, & accomodatas iurisdictioni, tam quoad territorium, quàm quoad materiam legum: ita communiter Canonistæ, & Theologi.

VII. Generales Religionum à S. Sede approbatarum possunt condere leges pro suis subditis, quam potestatem habent à Sum. Pontifice, ut constat ex priuilegijs Religionum. Item Capitulum Generale Sede vacante potest condere leges, quæ quidem leges obligant Religiosos subditos in conscientia; si legislatores intendant sic obligare. Neque Xistus IV. in Bulla incip. *Circumspecta Apostolica Sedis* apud Bullarium Rodriquez ademit huiusmodi potestatem Ministro Generali nostræ Seraph. Relig. Siquidem Pontifex ad instantiam Generalis, & uniuersi Ordinis tantum annullat obligationes sub culpa mortali, ac censuris; ex Statutis hactenùs factis oriundas; immò & papalibus. De faciendis tamen de nouo siue à Papa, siue à Capitulo non agit: Multò minus derogat statutis obligantibus ad culpam venialem, & temporalem, ut videre est apud Roder. t. 1. qq. reg. q. 10. art. 8. & apud Portel. V. statutum, qui refert. Pium V. concessisse, ut per quæcunque statuta etiam Apostolica, non ligarentur fratres ad aliquas censuras, seu pœnas Ecclesiasticas, vel ad peccatum mortale, sed tantum

ad

ad pœnas. seu pœnitentias per Prælatos iniungendas; dummodo non sit contemptus, vel mandatum non sit impositum sub pœna excommunicationis, vel in virtute S. Obedientiæ, & ita se declarant etiam præsentes nostræ constitutiones, quatenùs non intendunt obligare ad culpam, nisi transgressio esset ex contemptu. Monet tamen Herincx, quemlibet legislatorem obseruare debere parcitatem in statutis, & legibus condendis, quia nimia multiplicitas parit contemptum, & reddit onus non suaue, sed nimis onerosum. Tum quia, ut ait Zypæus lib. 3. Analysis iuris Pontif. tit. *De his, quæ fiunt à Prælatis*. Corruptissimæ Reip. indicium plurimæ leges: sat multa, sat benè constituta sunt, si sat benè obseruari curentur.

VIII. Imperator ferre potest leges ciuiles per omnes Prouincias sibi subditas. Item & Rex, alijque Principes supremi non habentes superiorem in iurisdictione temporali. Adde, & Reginam posse leges condere, si sit Domina Regni, idque etiam si sit Matrimonio iuncta; nisi vices viro commiserit. Alioquin ius, & dominium Regni per matrimonium non transfertur in virum, sed perseuerat in ipsamet Regina.

IX. Communitates, & Ciuitates, quæ per se gubernantur, nec legitimum Superiorem agnoscunt. possunt ferre leges pro omnibus suis subditis: huiusmodi tamen potestas legislatiua non competit patrifamilias, estò quidam in dubium id reuocare studeant; habet siquidem paterfamilias potestatem dominatiuam, seu œconomicam, ut supra &c. non tamen iurisdictionis, ac proinde potest intra limites suæ potestatis, suosque filios obligare etiam sub culpa mortali, si materia fuerit grauis, non tamen leges condere. Cæterùm notant DD. patremfamilias in suis præceptis ordinariè non intendere obligationem in foro conscientiæ; sed pænalem tantùm; & idem dicendum de præceptore respectu discipulorum.

Quæres 2. An legislator merè politicus possit condere aliquas leges Eccles. ad Religionē catholicam pertinentes.

Resp. negatiuè: eò quòd potestas legislatiua ecclesiastica, & laicalis sunt diuersi ordinis, ac proinde nequit Princeps merè ciuilis transire limites potestatis ciuilis, ut liquet ex iure canonico. Dices. Potest Magistratus indicere

dies

dies festos, & punire eos, qui tales dies non obseruant; ergo potest Princeps ciuilis condere leges ecclesiasticas.

Resp. neg. assumptum: nam certum est Principem sæcularem sine auctoritate Episcopi non posse dies festos instituere in honorem Dei, ut tradit Abbas in cap. de ferijs: ratio, quia festorum obseruatio ad publicum Dei cultum ordinata inter spiritualia continetur; laica autem potestas nequit quid sacrum, vel religiosum præcipere cap. cum laicis de rebus Eccles. non alienan. & cap. deuouimus: quamuis possit dies festos indicere prætextu ciuilis honoris, vel alio titulo; & tunc non præcipit actus Religionis, sed solùm ut à seruilibus operibus abstineatur, & forensibus, ac ciuilibus negotijs cessetur, ut notat noster Moronus lib. 100. resp. resp. 8. Nec refert Magistratus imponere pœnam non obseruantibus dies festos, eosque punire; id enim eis permittitur cap. *irreligiosa de cons. dist. 3.* Immò a Pio V. in constit. incip. *Cum primùm sub dat. Romæ Kal. April.* 1566. conceditur tam sæculares, quàm ecclesiasticos procedere posse contra violantes dies festos ab Ecclesia indictos; ac proinde in istis puniendis, teste Morono, datur præuentio fori.

Quæres 3. An potestas condendi leges sit delegabilis.

Resp. affirmatiuè: ratio, quia potestas legislatiua est quędam pars iurisdictionis ecclesiasticæ (de ciuili enim non est dubium) quæ est delegabilis saltem respectu unius, vel alterius Prouinciæ iuxta Suarez lib. 4. de leg. c. 6. respectu verò totius Ecclesiæ quoad absolutam legislationem, per quam accipiat vim obligandi totam Ecclesiam absque speciali approbatione Pontificis, talis potestas non potest delegari; neque ulli alteri comitti: ratio est, quia leges canonicæ obligantes totam Ecclesiam proficisci debent à potestate, quę in rebus ad mores pertinentibus errare non possit; hæc autem potestas, cum pendeat à speciali dirrectione Spiritus S. promissa Pontifici, non est delegabilis; sicut nec potestas definiendi res fidei; ac proinde nec potestas legislatiua pro tota Ecclesia est delegabilis, vel saltem non est deleganda; ne tota Ecclesia periculo alicuius erroris in remtam graui exponatur. Neque Prælati possunt in iurisdictione spirituali delegare nisi Clericum; qui tamen non sit de coniugatis, cum isti habeantur tanquam laici, ac proinde incapaces delegationis, ut constat ex cap. un. de Cler.

coniug. At Sum. Pontifex delegare potest etiam laicum, dummodo sit baptizatus, ut colligitur ex glos. in cap. pret. dist. 32, Dubium est tamen; an possit fœminam delegare; opiniones sunt hinc inde, probabilior tamen sententia est, ut arbitratur Mallet. lib. 2. de leg. constit. & iure can. tit. 1. posse Pontificem delegare fœminæ potestatem ferendi leges. Ita Palud. in 4. dist. 19. q. 2. art. 1. Vgol. de censuris tab. 1. c. 2. §. 7. Henriquez lib. 13. de Sacram. cap. 24. & alij. Ducuntur hac ratione, quia nullo iure diuino est prohibitum, ne Papa pro sua summa potestate possit mulieri delegare huiusmodi potestatem.

Quæres 4. Quænam sint legis proprietates.

Resp. legis proprietates tres communiter numerari, nempe authoritatem, veritatem, & bonitatem, lex enim habet principium, formam, & finem. Ratione principij condentis legem debetur ipsi legi auctoritas; nam edictum sine auctoritate sancitum nullius est valoris. Ratione formæ debetur legi veritas, seu rectitudo; quia id, quod præscribitur cum iniustitia, non consequitur legis rationem, sed in tyrannidem vergit. Ratione finis debetur legi bonitas: Siquidem lex tota ordinatur in bonum commune societatis hominum, nec non in bonum particulare Dei, ad quem omnes creaturæ bonum, tanquam ad fontem, & caput, unde dimanant, refluere debet.

Quæres 5. Quinam sint præcipui legis actus?

Resp. legis actus esse quatuor iuxta communem sententiam, nimirum, præcipere, vetare, punire, & permittere. Et ratio est manifesta, quia cum actus humani sint, vel ex genere boni, vel genere mali, vel indifferentes, sequitur, quod quatuor sint actus principales legis: præcipiuntur enim actus boni, prohibentur actus mali committendi, puniuntur commissi, & permittuntur actus indifferentes.

Quæres 6. Qui nam sint legis effectus, & officia?

Resp. Duplex esse maximè legis officium, nempe dirrigere, & obligare. Primum patet, quia omnis lex est mensura, & regula actuum humanorum. Secundum pariter est euidens, eo quia si lex dicitur à ligando, animos enim nostros, inquit Cassiodorus, ligat, suisque tenet obnoxios constitutis, consequenter debet obligare iuxta naturam uniuscuiusque legis. Resp. 2. legis effectum præcipuum

esse subditorum bonitatem, & ordinationem; idque præstat secundum ampliorem, vel meliorem bonitatem, quam ipsa continet. Hinc lex Euangelica omnium præstantissima intendit, ut homo fiat simpliciter bonus, non solum in exteriori opere, sed etiam in interiori animo, adeout fiat filius Dei adoptiuus per gratiam. Lex naturalis, ut homo fiat bonus virtutibus moralibus, quæ naturæ commensurantur, habeatquè vitam ad cæteros homines ordinatam, alteri non faciendo, quod sibi fieri nolit. Lex deniquè ciuilis, ut homo sit bonus ciuis, præstando ea, quæ ad pacem Reipubl. ordinata sunt. Lex Ecclesiastica, ut Clericus probis moribus instituatur, & quæ sui muneris sunt, debito ordine fungatur.

DISPVTATIO II.

De lege æterna, & naturali.

QVÆSTIO I.

Vtrum lex æterna sit propriè lex, & an aliæ leges ab ea deriuentur.

NOt. 1 Quòd præsens quæstio profundior est, quàm prima fronte appareat. Siquidem oportet pro eius intelligentia altissima, & diuina perscrutari, idest æternos actus intellectus, & voluntatis Dei tam absolutè, quam relatiuè ad creaturas. Quarè alia est lex propriè dicta, & alia est lex impropriè dicta. Prior est illa, quæ dicitur imperans, debitè promulgata cum intentione obligandi subditos, ut etiam superiùs tactum fuit. Posterior est illa, quę, cum sit impropriè lex, neque vim legis obligandi habet, quia non est imperans, sed tantum indicans; ac proinde est regula, cui actus conformari debet, ut naturaliter rectus dicatur, seu in genere naturæ, quæ quidem regula ex Scot. quol. 18. est iudicium intellectus illius, qui est mensura totius naturæ, quod iudicium formaliter deriuatur ex natura rerum, seu terminorum, principiatiuè verò ab intellectu D. qui iudicat ita esse; ideoque huiusmodi iudicium dicitur lex indicans; ut veritas huius propositionis: Deus

est amandus, pendet formaliter ex natura terminorum, principiatiuè verò ab intellectu D. eo ferè modo, quo philosophamur de possibilitate, & impossibiltitate rerum.

Not. 2. Quòd volitio Dei, quæ est lex æterna respectu creaturarum est in Deo non libera, & contingens, sed necessaria, cum respiciat pro obiecto regulas practicas necessariæ, & æternæ veritatis, ad quam naturaliter obligamur; ut Deus est colendus, parentes sunt honorandi, non est mentiendum, & similes; hæ enim sunt regulæ omninò immutabiles, & æternæ; ideoque Deus iudicat, & necessariò vult tales regulas esse à creatura seruandas; rationem huius dat Scot. q. 4. prol. docens, voluntatem D. in ordine ad necessaria non esse primam regulam, sed benè intellectum D. cui ex sua perfectione se necessariò conformat D. voluntas. Ex quo fit, quod, licet Deus potuerit absolutè non prohibere actum odij, blasphemiæ, vel mendacij ea prohibitione, quæ fit per actum liberum, & explicatur per verbum imperatiui modi: Non occides, non mentieris, quæ est externa prohibitio per reuelationem, & legem positiuam à Deo latam; attamen prohibere non potuit ea prohibitione, quæ consistit in iudicio reprobante intellectus per modum indicatiui, & in displicentia reprobatiua voluntatis; quæ prohibitio explicatur per verbum indicatiui modi sic. Nolo mendacium, odium &c. Et dicitur prohibitio interior, quia, licet ad extra nihil Deus dicat, reuerà tamen ei illa obiecta displicent: quia ratione Deus dicitur necessariò prohibere actus intrinsecè malos, nec talis prohibitio est ei libera, quia huiusmodi reprobatio, & displicentia sunt actus necessarij in intellectu, & voluntate D. immediatè regulati per scientiam simplicis intelligentiæ; & hæc doctrina est valdè notanda, maximè pro fundamento illius quæstionis: An Deus dispensare possit in præceptis Decalogi, de qua infra erit disputatio.

Not. 3. Quòd sicut Thomistæ alia via incedunt in hac quæstione, ita modo diuerso solent explicare rationem legis æternæ. Quarè dicunt legem æternam nil aliud esse, quàm rationem D. Sapientiæ, quatenus omnium actionum, & motuum est dirrectiua; sicut enim in quolibet Artifice præexistit ratio eorum, quæ per artem fiunt, ita etiam in quolibet gubernante præexistere debet ratio dirrectiua

eorum, quæ ab ijs, qui eius gubernationi subsunt, agenda, vel omittenda sunt. Discurrunt enim consequenter ad fundamentum supra insinuatum, nempe rationem legis consistere formaliter in intellectu. At ijsdem rationibus, quibus impugnatum fuit suprad. fundamentum, impugnamus pariter præfatam doctrinam. Planè lex, quæ solùm dictamen intellectus importat, non sufficit ad rationem legis propriè dictæ; quia de ratione legis est, quod non tantum sit dirrectiua, sed etiam obligatiua respectu subditorum, quam vim non obtinet nisi ex voluntate legislatoris. Vnde lex æterna non obligat nos ex eo, quod Deus cognoscat aliquid agendum, vel omittendum, sed ex eo, quod nobis aliquid per suam voluntatem imperet; ita de mente Scoti tradunt passim Scotistæ, & signanter Nicol. de Nise in tract. de leg. & sequitur Arriaga. Immò Becan. c. 2. q. 1. explicat mentem D. Thomæ eodem modo, dicens, quod lex æterna est actus D. mentis, quo concipit, & iudicat, quasdam Regulas practicas necessariæ, & æternæ veritatis esse à creatura seruandas, cum voluntate eam obligandi, & in hoc sensu, ait, D. Thom. legem æternam accepisse.

I. Concl. lex æterna, si accipiatur pro actibus intellectus, & voluntatis D. regulantis immediate per scientiam simplicis intelligentiæ, non est propriè lex; Si vero accipiatur pro Diuinæ sapientiæ ratione, seu pro D. voluntatis actu, quo Deus ab æterno decreuit creaturam rationalem teneri in tempore ad hoc, vel illud faciendum, vel cauendum est propriè lex. Prima pars est Scoti, & Scotistarum, nec non aliorum extra nostram Scholam, & signanter Caramuelis t. 1. suæ theol. fundamentalis; quæ ex dictis remanet satis probata. 2. pars est Alens. 3. p. q. 26. memb. 1. & videtur communis. Prob. ex D. Aug. qui lib. de lib. arb. dicit, quod *lex æterna est summa ratio, cui semper obtemperandum est, per quam mali miseram, boni bonam vitam merentur; per quam illa, quæ temporalis est rectè fertur, rectèque mutatur*; ergo est propriè lex; habet enim quicquid desideratur ad rationem legis propriè dictæ; Ab æterno fuit in Deo voluntas obligandi, fuit iudicium ex parte intellectus, mouens voluntatem ad promulgationem, & fuit voluntas promulgandi pro suo tempore; ergo in mente Dei fuit ab æterno quicquid exigitur ad essentiam legis.

Con-

Confirm. Quicquid Deus habet in tempore, habuit ab æterno, quia Deus est immutabilis, nec aliquid noui potest ei accidere, ergo leges, quas habemus in tempore latas, habuit Deus ab æterno; ac proinde lex æterna indicata in secunda parte conclusionis est propriè lex.

II. Concl. legi æternæ subijciuntur omnia entia, tam rationalia, quam irrationalia, diuersa tamen ratione; ut discurrendo patebit: hæc est omnium Theologorum, & Catholicorum. Prob. lex æterna est gubernatiua rerum uniuersi; sed omnia diuinæ gubernationi subduntur, ergo, & legi æternæ; unde dicitur Sap. c. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & omnia disponit suauiter.* Et quidem de creaturis ratione carentibus constat ex Psal. 14. *Ignis grando, nix, glacies &c quæ faciunt verbum eius*, & Psal. 118. *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omia seruiunt tibi.* Cæterum de creaturis ratione præditis clariùs constat, quia hæc lex æterna est prima regula, & mensura actuum in genere moris; est norma directiua nostrorum actuum, cui subduntur omnes humani actus, quatenus morales, siue, ut etiam Angelos comprehendamus, omnes actus creaturarum intellectualium.

Quod autem diuerso modo legi æternæ subijciantur, euidens est; eò quia irrationalia subijciunrur necessariò, & naturaliter, quatenus scilicet Deus imprimit illis naturalem inclinationem, seu instinctum ad faciendum naturaliter, & necessariò ea, quæ Deus ordinat iuxta eorum naturam ab ipsis fieri. Verùm intellectualia illi subijciuntur liberè, & moraliter, quoad actus morales, estò homines quoad actus, qui naturam sequuntur, & fiunt prorsus independenter à ratione, subijciantur naturaliter, ac proinde non liberè, sed necessariò.

III. Concl. Omnes leges iustæ, & propriè dictæ ab æterna lege deriuantur: Hæc est omnium Theologorum. Prob. 1. ex S. Scrip. nam Prouerb. 8. D. sapientia testatur. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Quod adeò verum est, inquit Marchantius tom. 3. tract. 2. tit. 2. q. 1. & consonat Frassen. t. 2. in tract. de legibus disp. 3. art. 2. q. 2. ut etiam ipsa Tyrannorum potestas deriuetur ab ipso Deo, qui eis Regnum, & principatum tribuit propter vindicanda Populi peccata iuxta illud Iob. *Qui regnare facit homi-*

 mi.

minem hypocritam propter peccata populi. & Eccles. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos*. Quare idem Marchant. concl. 3. sic habet. Omnis potestas regia, siue quæuis præfectura à D. prouidentia prouenit, siue quia illam indigno obuenire permittit; siue etiam, quia positiuè in peccati pœnam, vel populi vindictam potestatem illam indigno subiecto dimittit. Quam veritatem tradit D. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 6. ubi ait. *In lege temporali nihil iustum, atque legitimum quod non ex hac æterna sibi homines deriuarit*, & lib. 5. de Ciuit. Dei c. 21. luculenter explicat, qualiter Deus etiam impijs Tyrannis permittit regnare.

Prob. 2. concl. inductione facta per omnes leges: & quidem de lege naturali constat, nam supra in definitione legis naturalis diximus, quod lex naturalis dicitur diuina, quatenus à Deo potentiæ naturali est superaddita; ut ipsa ratio ex natura sua primæ veritati subordinetur iuxta illud psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. lex Diuina positiua nil aliud est, nisi illius æternæ legis quædam deriuatio immediata; quicquid enim Deus præcepit in tempore, ab æterno in sua D. mente decreuit. Denique omnes leges humanæ, quæ vel per discursum humanum, vel ex lumine, & ratione naturali, vel ex ratione reuelata colliguntur, & statuuntur, etiam ab ipsa æterna lege originem ducunt; etenim, cum lex naturalis, & Diuina, ex quibus humanæ leges inferuntur, ab ipsa Dei æterna lege promanet, pari ratione, ab ipsa omnes humanæ leges deductæ censeri debent. Itaque lex naturalis deriuatur à lege æterna medio lumine rationis; leges D. immediatè ponuntur à Deo; leges verò humanæ media potestate, vel ab ipso Deo immediatè, vel mediante Reipub. consensu, Principibus communicata.

Arg. 1. cont. 2. part. 1. concl. Lex necessariò requirit aliquem, cui possit præscribi, sed ab æterno nullus extitit, cui lex præscriberetur, ergo nulla lex æterna propriè dicta datur. Resp. conc. mai. & dist. min. Nullus extitit in esse existentiæ realis, conc. in esse obiectiuo, nego: ergo nulla lex æterna propriè dicta datur disting. cons. in actu primo neg. conseq. in actu 2. conc. cons. Quemadmodum enim dicitur, Deum ab æterno habere dominium quoad habi-

tum,

tum, seu actum primum, & in tempore quoad actum secundum; ita pari ratione discurrendum est de lege æterna.

Arg. 2. De ratione legis propriè dictæ est, quod promulgetur; sed ab æterno nulla potuit esse promulgatio: ergo &c.

Resp. dist. min. nulla potuit esse promulgatio, se tenens ex parte creaturarum conc. min. ex parte legislatoris, nego. Quia cum lex æterna sit Decretum Dei immutabile, sine ulla sui mutatione ab æterno lata obligabit in tempore; secùs autem se habet decretum hominis; cum enim sit mutabile, quamdiu non promulgatur per modum legis, potius se habet per modum propositi ferendi legem. Addi etiam potest, quod promulgatio est conditio sequens ipsam legem; ac proinde in actu primo datur lex propriè dicta absque eo, quod promulgetur.

Arg. 3. lex æterna, & Prouidentia videntur esse prorsus idem; sed Prouidentia non est propriè lex, ergo nec lex æterna. Resp. neg. mai. Etenim, licet D. lex æterna cum D. Prouidentia in eo conueniat, quod utraque videatur directio, & ordinatio rerum quarumlibet in fines sibi conuenientes, tamen lex æterna à Prouidentia distinguitur in multis: Siquidem illa per se primò respicit bonum commune uniuersi, hæc autem bonum singulare cuiuslibet creaturæ. Illa dicit in sua ratione vim obligandi, ista nequaquam. Item lex æterna in Deo tradit regulas generales gubernationis, e. g. lapidem deorsum, ignem sursum inclinari, Prouidentia verò comparatur ad legem æternam, ut conclusio particularis ad principium uniuersale: ideoque Prouidentia ad legem æternam, tanquam ad principium reducitur; non aliter ac prudentia ad legem positiuam; quæ tradit regulas generales e. g. Deum esse colendum, iuxta quas prudentia colligit hic, & nunc esse operandum.

QVÆSTIO II.

In quo consistat essentia legis naturalis.

NOt. 1. Quòd lex Diuina naturalis, cuius descriptionem dedimus supra ex Petro Marchant. si in omnibus suis finibus attendatur, benè diuiditur ex eodem Doct. q. 3.

in sacram, moralem, & politicam. Lex naturalis sacra (quam nonnulli ceremonialem, alij ecclesiasticam vocant) est, quam homini à principio indidit in ordine ad cultum Dei; nam sicut homini à principio indita est Dei cognitio, & instinctus ad illum colendum; ita sine dubio præceptum aliquod naturale de Deo colendo illi impositum est. Siquidem homo creatus ad imaginem Dei, naturali suæ inclinationi relictus, etiam ad aliquem Dei cultum internum, & externum propendit. Cuius signum manifestum est, quod nulla unquam tam barbara natio in uniuerso fuerit, quę Deum aliquo ritu, etsi superstitioso, & falso, colendum non æstimauerit. Lex naturalis moralis dicitur, quæ hominem in moribus dirrigit, prout ad æternam beatitudinem est creatus. Lex denique naturalis politica est, quæ hominem, ut est animal sociale dirrigit, quatenus societas illa, & ciuilitas ordinatur ad charitatem, & Deum.

Not. 2. Quòd ad legem naturalem pertinent in primis illa uniuersalissima principia practica, cuilibet naturaliter nota, nempe bonum est faciendum, malum est fugiendum. Quod tibi non vis alteri non feceris. Quæ non tam dicenda sunt præcepta, quàm præceptorum omnium principia: 2. ad eandem legem pertinent omnia præcepta Decalogi; hæc enim lumine naturali ex illis duobus principijs inferuntur, ut patet de cultu Dei, de honore parentum, de homicidio &c. excipitur tamen præceptum de Sabbato obseruando, eò quòd aliquid habeat iuris positiui D. & aliquid iuris naturalis; nam quatenus cultum Dei iubet est de iure naturæ; & quatenus præscribit talem diem potiùs, quàm alterum est iuris D. positiui: 3. omnes actus virtutum moralium sunt de lege naturæ, si spectentur secundum suam rationem genericam, ut docent Richard. in 4. & D. Thom. q. 94. art. 3. secus autem si considerentur secundùm seipsos, & in proprijs speciebus, exemplo declaratur: actus temperantiæ v. g. secundum suam rationem genericam, idest quatenus est actus virtuosus, talis est, ut in eum natura inclinet, & sic ad legem naturæ pertinere dicitur; quod autem per abstinentiam à carnibus, & per ieiunium quadragesimale debeat exerceri, hoc non est à lege naturali, sed pendet à lege positiua, & præcepto Ecclesiæ.

Not. 3. Quòd triplicis generis sunt naturæ præcepta, quo-

quorum aliqua respiciunt hominem, ut est ens, substantia &c. aliqua ut est animal, & habet aliquid commune cum brutis; & denique aliqua ut est rationalis. Vnde iuxta triplicem inclinationem hominis in bonum, quod est obiectum appetitus, seu inclinationis, dantur tria præcepta, per quæ homo in suis actibus dirigatur. Primum in ordine ad se ipsum, in quantum inclinat ad conseruationem sui proprij esse, & sic dictat, aliquando esse comedendum, bibendum, dormiendum, & arcenda sibi nociua: 2. in ordine ad inclinationem, quam habet ad conseruationem speciei, seu generis humani: 3. denique in ordine ad inclinationem rationalem decenter viuēdo in ordine ad Deum, & homines, quibuscum societatem inire debet. Ad primum genus, temperantia suppeditat præcepta de cibo, & potu moderatè sumendis, & fortitudo dat vim, & robur ad repellenda nociua vitæ conseruationi. Ad 2. genus spectant præcepta castitatis, & prudentiæ, quibus decenter fiat propagatio, & liberorum educatio. Ad 3. verò pertinent præcepta Religionis, iustitiæ &c. quibus possit homo, & Deum colere, & honorare parentes, & superioribus obsequi, & cum cunctis ita viuere, ut neminem offendat.

Verùm aduertunt DD. circa duo priora, ad obligationem legis, aut præcepti naturæ non sufficere, quod res, ad quam est inclinatio naturæ, sit in se bona, sed insuper requiritur, ut iuxta dictamen rectæ rationis sit hic, & nunc aliquo modo necessaria; alioquin omnia quę aliquam commoditatem præstant naturæ, & in quæ natura inclinat, caderent sub præcepto legis naturalis. Itaq; tunc solùm censetur istud præceptum urgere, quando adest aliqua necessitas, ob quam recta ratio dictat ea hic, & nunc esse facienda.

I. Concl. lex naturalis non consistit in ipsa rationali natura secundùm se spectata, quatenus actiones aliquæ sunt illi moraliter conuenientes, & honestæ, aliæ verò repugnantes, & inhonestæ. Hæc est Frassen, & Mastrij in Theologia moral. disp. 2. de leg. q. 2. art. 2. est tamen contra Vasquez, Meratium, & alios, quibus consentit etiam noster Herincx in disp. de leg. naturali. Prob. lex naturalis est verè, & propriè lex, sed ipsa natura rationalis præcisè sumpta nequit esse lex propriè dicta, ergo lex naturalis nequit in ipsa consistere. Tum quia natura rationalis legi

na-

naturali subijcitur; ergo ratio legis in ipsa natura rationali nequit consistere, alioquin idem sibi ipsi subijceretur.

Neque lex naturalis consistit in conuenientia, aut disconuenientia, quam habent actiones aliquæ ad naturam rationalem independenter à lege positiua Dei, vel creaturæ, ut opinatur Poncius noster in suo cursu Theol. disp. 25. q. 2. eò quia hæc non est lex, sed potiùs materia ipsius legis naturalis, quæ præcipit id, quod est naturæ rationali conueniens, & vetat disconueniens.

II. Concl. Ratio formalis legis naturalis nec consistit adæquatè in ipso lumine habituali, & naturali in actu primo, & quatenus est vis discernendi honesta, & turpia, seu licita, & illicita: est Frassen in tract. de leg. disp. 1. q. 3. de natiuæ legis essentia, & Mastrij loc. cit. contra Auersam sentientem cum Alens. 3. p. q. 27. memb. 2. Prob. Nam ut supra ostensum est in prima concl. lex propriè dicta est ordinatio; at lumen naturale habitualiter sumptum non est ordinatio, sed tantum vis intelligendi. Præterea Deus habet sibi lumen connaturale, quo perfectissimè cognoscit, quæ honesta, & turpia sunt, & tamen dici nequit habere legem naturalem, ergo lex naturalis in ipso lumine habituali non est reponenda.

III. Concl. lex naturalis non consistit formaliter in dictamine, & iudicio solùm ostensiuo, & indicatiuo boni, & mali, sed etiam præceptiuo, & imperatiuo, ac obligante ad ea, quæ tali lege præscripta sunt; ac proinde lex naturalis propriè, & in rigore est ipsum verum practicum, seu ius quoddam ex ipsa rerum natura formaliter exortum, & principiatiue ab intellectu D. eius institutore, per lumen naturale rationis à D. voluntate nobis intimatum, tanquam præceptiuum, & obligatiuum. Ita colligo ex præfatis Doctoribus Frassen, & Mastrio: prima pars est contra Gabriel. & Almainum, censentes legem naturalem esse solùm dictamen rationis indicans &c. Prob. igitur nostra concl. quæ est etiam D. Bonau. in 2. d. 35. dub. 4. & Gersonis tract. de vita spir. lib. 2. concl. 5. ubi legem naturalem sic describit: *Lex naturalis præceptiua est signum inditum cuilibet homini non impedito usu rationis, & notificatiuum voluntatis D. volentis creaturam rationalem humanam teneri ad aliquid agendum per consecutionem sui finis naturalis.*

Prob.

Prob. ratione. Lex naturalis est regula propriè dicta, & mensura bonitatis, aut malitiæ moralis actus humani, sed iudicium indicatiuum, & ostensiuum boni, & mali nequit esse talis regula, & mensura, cum illam bonitatem, aut malitiam indicatam supponat; regula autem alicuius regulati rectitudinem, vel obliquitatem non supponit; hæc enim non cognoscitur nisi per applicationem ad regulam; ergo &c. tum quia lex naturalis est propriè lex, & de ratione legis est, ut fatentur Doctores, præcipere, & obligare. Quod insinuat etiam Scot. in 4.d. 50. docens. Quodcunque peccatum, ideò esse peccatum, quia est contra præceptum Diuinum.

Arg. cont. 1. concl. Sunt aliquæ actiones ita intrinsecè malæ ex natura sua, puta odium Dei, blasphemia &c ut earum malitia nullatenus pendeat ex dictamine intellectus, vel ex prohibitione extrinseca Dei: è conuerso aliquæ sunt ita intrinsecè bonæ, v. g. colere Deum, ut nulla ratione pendeant in sua bonitate ex causa extrinseca; ergo non possunt habere huiusmodi malitiam, & bonitatem, nisi quatenus sunt conuenientes, aut disconuenientes naturæ rationali; ac proinde natura rationalis habet rationem legis. Resp. conc. ant. & disting. conf. bonitas, & malitia in esse naturæ, conc. quod non habeantur nisi quatenus dicunt conuenientiam, & disconuenientiam naturæ rationali; bonitas, & malitia in esse moris, nego conf. Nam hæc sumitur proximè ex ordine ad dictamen rationis, & remotè ex ordine ad legem æternam in sensu superiùs explicatam.

Arg. cont. 2. concl. D. Paul. ad Rom. 2. legem vocat, naturalem, conscientiam dictantem, quid agendum, aut fugiendum sit secundum rationem naturalem, nam cum dixisset. *Gentes, quæ legem non habent* &c. subdit: *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. Quibus verbis non obscurè indicat, legem naturalem esse dictamen naturale rectæ rationis; ergo constat legem naturalem esse reponendam in ipso rationis lumine, non quidem actuali, sed in lumine habituali; idem videntur docere D. Ambrof. S. Maximus &c.

Resp. allatas auctoritates nihil aliud probare, quam legem naturalem interdum pro conscientia, & synderesi acci-

pi,

pi, quatenus, videlicet, dictat quid agendum, & quid omittendum sit, sicut conscientia. Nihilominus lex, & conscientia valde inter se differunt, ut patet ex ijs, quæ de conscientia in proprio tractatu dicta fuere.

Arg. 2. Quicquid est in animis nostris, vel est potentia, vel passio, vel actus, vel habitus; sed lex naturalis non est potentia Animæ, nec passio, nec actus, aliàs cum nihil agimus, non maneret in nobis, ergo est habitus.

Resp. ad min. legem naturalem non esse potentiam, aut passionem sed esse actum, non quod sit semper actu existens, sed quatenus est actus natus existere, ac proinde virtualiter manet tale dictamen; & sic est actus rationis, vel in re, vel in virtute existens; inadæquatè tamen, ut supra explicatum est; nam ratio adæquata legis naturalis non solùm est reponenda in dictamine recto rationis naturalis sed maxime in præcepto diuino deriuante à voluntate Dei ut Aucthore, & rectore naturæ rationalis.

Quæres. An lex naturalis sit omninò eadem in omnibus hominibus in quouis statu spectatis.

Resp. 1. Quòd certum est, legem naturalem esse unam unitate luminis, quia unico lumine naturali monstrat homini quid agendum, & quid fugiendum: unitate principij, quia unicum Deum habet Aucthorem, & legislatorem: & unitate finis. quia tendit ad hunc finem, nempe, ut faciat hominem rectum secundum inclinationem naturæ. Dubium tamen est; an sit una unitate præcepti; hoc est. An eadem legis naturæ præcepta sint communia apud omnes. Dicendum legem naturalem quantum ad principia generalia esse eandem omninò in omnibus hominibus in quouis statu spectatis. Ratio est. Quia hæc lex est velut proprietas consequens non quidem rationem propriam, & particularem alicuius indiuidui, sed specificam naturam, quæ est eadem in omnibus, ergo & ipsa lex. Deinde, quemadmodum in speculatiuis prima principia se habent respectu cuiuscunque intellectus, ita prima, & principalia principia practica, sed speculatiua ex terminis sunt nota, ac proinde eadem apud omnes; ergo, & principia prima practica, hoc est; bonum est amplectendum, & malum est fugiendum &c. Resp. 2. principia particularia legis naturæ, quæ ex generalibus inferuntur, ut plurimum eadem sunt apud

om-

omnes: Deficiunt tamen interdum apud plurimos, tam quoad rectitudinem eorum, quàm quoad ipsorum notitiam; idque quia rectum iudicium in rebus agendis impeditur aliquando, aut per passionem, quæ usum rationis peruertit, aut per malam consuetudinem, aut per deprauatam ipsius naturæ habitudinem; Quò fit, ut latrocinia quibusdam Gentilibus visa fuerint non iniusta, alijs simplex fornicatio visa fuerit licita; Immò etiam inter Patres, Cassianus, Origenes, & nonnulli alij existimarunt, mendacium in aliquo casu esse licitum, ac proinde non esse peccatum, & inter Theologos de pluribus est controuersia, quæ sunt conclusiones remotè deductæ à principijs, seu præceptis generalibus; idque oritur, quia quantò magis conclusio distat à principijs, tantò minus est euidens. Sic e.g. ex hoc principio quod tibi non vis &c. Sequitur euidenter, ergo aduersus alterum non est proferendum falsum testimonium; sed non ita euidenter colligitur: ergo non est dicendum mendacium pro vita hominis conseruanda.

Ex hactenus dictis faciliter deducitur resolutio illius celebris quæstionis, an detur ignorantia inculpabilis eorum, quæ lege naturæ sunt præcepta. Et quidem Theologi passim cum Alensi, D. Thom. q. 94. art. 6. & Scoto in 3. d. 37. q. un. §. ad quæstionem respondent, non dari ignorantiam inculpabilem principiorum primorum uniuersalium legis naturæ, quæ sunt ex terminis nota. Ratio est clara. Quæ enim per se nota sunt, ex natura sua ab omnibus cognosci possunt; quia lumen naturale, nisi natura sit deprauata, ostendit veritatem talium principiorum in uniuesali. Notanter dicitur in uniuersali; nam in singulari contingit frequenter dubitare. An hoc, vel illud sit bonum, vel malum? An hic sit Deus &c. An colendus ut Deus? quomodo de Christo Deo, & ut Deo plures sectæ, & hæreses natæ fuerunt; ita inter alios discurrit noster Marchantius t. 1. sui Tribunal. in tract. de conscientia; qui etiam subdit, dari ignorantiam inculpabilem pariter præceptorum aliquorum, quæ in Decalogo exprimuntur; etsi rariùs, & ad tempus. Rationem dat sic discurrendo. Quia, cum aliqua non sint per se nota, ut supra indicauimus, sed deductione, & discursu, siue declaratione indigeant; non est mirum, si ob infirmitates, & tenebras mentis

tis humanæ læsæ per peccatum originale, ad aliquod tempus ignorare contingat. Exempla dedimus supra de Barbaris. Nec mirum de Barbaris. Sanè experti sumus seniores aliquos, immò, & iuniores defectu instructionis non credidisse immunditias, & pollutiones esse peccata. Quid de osculis, & tactibus? Quod si ad contractus illicitos iure naturæ usurarios, & huiusmodi, quæ ex hoc principio uniuersalissimo: Quod tibi non vis, alteri ne feceris deducuntur veniamus, non est finis ignorantiarum, ob offusas humanę subtilitatis opiniones, quarum tamen plurimas reperimus in plurimis culpapibiles. Porrò quis neget mendacium iure naturæ prohiberi? Societatem humanam tollere? Cassianus tamen, Origenes, Martinus de Magistris approbarunt mendacium, quod fit pro saluanda vita. Nec longè absunt Assertores restrictionum mentalium, quæ omnem Societatis humanæ sinceritatem destruunt. Hæc Marchantius.

Quæres 2. Vtrum lex naturalis se extendat ad omne opus virtutis adeout omnes virtutum actus sint materia legis naturæ. Resp. breuiter, quia in notabilibus quæst. 2. plura ponuntur, quæ faciunt pro resolutione præsentis quæsiti. Si per materiam legis naturalis intelligatur propriè, & expresse id, quod ipsa præcipit prohibendo oppositum; in hoc sensu, illi solum actus virtutum sunt materia legis naturalis, qui necessariam rectitudinem important pro conseruando recto ordine morali naturæ rationalis, quem solum habet pro obiecto lex naturalis, ut præceptiua, & prohibitiua. Quod si per materiam legis naturalis intelligatur in sensu latiori; idest etiam id, quod ipsa sub consilio præscribit, omnes actus virtutis dici possunt materia legis naturalis, saltem in quibusdam occasionibus, & circumstantijs, omnes enim illi boni sunt, & honesti, ac naturæ rationali conformes, & per consequens in dictis circumstantijs illos consulit. Itaque absolutè loquendo non semper lex naturalis obligat ad singulos virtutum actus, qui fieri possunt. Ita communiter Theologi.



QVÆ-

Vtrum ad materiam legis naturalis ſpectet non ſolum ſubſtantias actus, ſed etiam modus.

NOt. 1. Quòd ſenſus præſentis quæſtionis eſt: An ſola ſubſtantia actus, ſeu illa ratio, quam actus præcisè ſumit ab obiecto, ſed etiam modus, ideſt circumſtantia aliqua requiſita ad moralem bonitatem actus, videlicet, quod actus fiat voluntariè; quod ex cognitione præcepti, quod propter honeſtatem virtutis, vel deniquè, quod fiat ex motiuo charitatis. Et quidem mouetur quæſtio ſolùm de præceptis affirmatiuis, ut enim quis præceptis negatiuis ſatisfaciat, nullus actus, quantum eſt ex forma præceptorum, requiritur, cum per ſolam non poſitionem actus prohibiti homo fiat conformis præcepto negatiuo.

Not. 2. quod lex naturalis duplici modo ſeruari poteſt; primò, ut obſeruatio legis tantùm ſufficiat ad euadendam culpam. 2. ut ſit obſeruatio digna laude, & præmio. Et quidem hoc modo neceſſarius eſt modus virtutis in omnibus præceptis, tam affirmatiuis, quàm negatiuis, nempe ut homo intendat, & eligat ſeruare legem intuitu honeſtatis, & cum omnibus circumſtantijs actum honeſtantibus; & ne in terminis fiat confuſio, hæc diſtinctio coincidit cum alia. quam paſſim Doctores tradunt, nempe, quod finis eſt duplex alius intrinſecus, alius extrinſecus operis, ſeu actus; Prior eſt finis ipſius legis, de quo accipitur commune dictum, finis legis eſt anima legis; & iſte finis, vel perfectio ſic intenta à lege poteſt conſiſtere abſque formali honeſtate, inquit inter alios Herincx, dummodo opus materialiter impleatur. non enim requiritur, ut intendatur honeſtas, quæ actui competit ex proprio obiecto; nam indubiè, præceptum temperantiæ implet, qui temperanter viuit ad vindictam ſuorum peccatorum. Quare ſolum præceptum charitatis exigit in actu præcepto honeſtatem ex proprio motiuo deſumptam. Poſterior eſt, quem Deus in lege naturæ, & diuina, & in humana legislator humanus intendit, & de hoc habet commune dictum, finis pręcepti non cadit ſub præcepto, multa namque præcepta implentur ab homine in peccato mortali exiſtente; non tamen ſecundùm

finem

finem D. voluntatis, qui est remuneratio vitæ æternæ ex quo rectè infertur, quod lex naturalis cum suis præceptis obligat, ut non apponatur indebitus finis, vel mala circumstantia, quia tunc peccatur contra aliam legem.

I. Concl. Actus, quo lex naturæ impletur, fieri debet scienter, & voluntariè: Est communis. Prob. Per legem præcipitur actus humanus; sed actus humanus debet esse voluntarius, & ex certa cognitione, ut constat ex dictis in tract. de act. human. ergo actus, quo lex naturæ impletur, debet fieri scienter, & ex certa cognitione. Quarè ex defectu huiusmodi conditionis non satisfacit propriè præcepto iustitiæ, seu misericordiæ, qui in ebrietate, aut aliàs sine usu rationis restituit rem alienam, vel dat eleemosynam extreme indigenti. Quamuis postea non teneatur iterum restituere, aut eleemosynam dare, eò quòd materia præcepti sit sublata, altero recipiente, quod suum est, aut necessitate pauperis subleuata. Hinc si Socrates, inscio Platone, aut inuito restituisset, quod Plato abstulerat, penitùs liberaretur ab obligatione restituendi, licet in tali casu non esset ab eo impletum præceptum restituendi, sed solummodo ablata materia præcepti. Nihilominus non requiritur, ut actus lege naturæ præceptus fiat tanquam præceptus; quia lex hoc non mandat, neque intendit, sed solum ut actus liberè fiat; nec aliam obligationem fideles apprehendunt. Immò etiam si obligatio legis ignoretur, v. g. colendi Deum obligare pro hac die, & aliquis ista die liberè Deum coluerit, præcepto satisfacit; nec tenetur postmodum resciens obligationem præcepti denuò cultum Deo exhibere, quæ doctrina magis etiam militat in simili de lege humana, ut suo loco dicetur.

II. Concl. Lex naturalis non obligat generaliter, ut actus fiat ob honestatem virtutis, & multò minus, ut fiat propter finem charitatis. Hæc pariter est communis. Prob. Non debet quis ad aliquid obligari, nisi euidenter constet de obligatione, vel ex lumine naturali, vel ex lege D. vel ex auctoritate &c. sed ex tenore præceptorum non aliud habetur, quàm quod præcipiatur actus ex genere honestus, v. g. ut proximo velimus, quod nobis ipsis, miseriæ proximis succurramus, non autem quod id fiat tali modo &c. ergo de obligatione non constat.

Di-

Dices. Si conclusio esset vera, ergo lex aliqua naturæ impleri posset per actum ex circumstantia vitiatum v. g. satisfacere præcepto dandi eleemosynam, vel honorandi parentes, estò id fieret ob vanam gloriam. Resp. conc. conseq. cum Herincx, & alijs. Sed dices: dando quis eleemosynam ob vanam gloriam peccat contra legem naturæ prohibentem vanam gloriam ipsam: ergo &c.

Resp. Herincx. Quod quàmuis dans eleemosyuam ob vanam gloriam peccet contra aliam legem prohibentem illam; non tamen peccat dando eleemosynam, satisfacit enim præcepto, saltem quoad substanriam.

QVÆSTIO IV.

Vtrum lex naturalis sit immutabilis.

NOt. 1. Quòd aliqua dici possunt de iure naræ dupliciter. Primò positiuè, & propriè, quatenus natura directè illud præcipit, vel prohibet, & ad illud exequendum inclinat, ut Deum esse colendum; alteri non faciendum, quod tibi non vis: 2. permissiuè, & negatiuè. quatenus lex naturæ contrarium non inducit, quo modo dicit D.Thom. 1.2. q. 95. art. 5. hominem esse nudum, est de iure naturæ, quia natura non dedit ei vestitum, sed ars. Similiter hac ratione iure naturæ dicuntur omnia communia, nam diuisionem rerum, & dominiorum, non natura, sed ius gentium introduxit pro maiori pace, & bono societatis humanæ; pari modo seruitus dicitur esse iuris naturæ negatiuè, constat autem id, quod hoc modo est de iuræ naturæ, posse mutari introducendo contrarium illius, quod natura nec præcipit, nec prohibet: vnde Scot. in 4. dicens communitatem rerum in lege naturæ olim fuisse pręceptum legis naturæ, dicere vòluit, quod natura dictabat, & quasi pronunciabat seruandum pro illo tunc velut quid consonans rationi.

Not. 2. Quòd duobus modis lex aliqua intelligitur posse mutari: Primò additione: 2. subtractione. Priori modo fit, quando lex naturæ reuerà non mutatur in se, sed tantum additur ei aliquid per legem positiuam; posteriori modo; si nimirum aliquid desinat esse de lege, quod priùs ad

legem spectare noscebatur; idque contingit per subtractionem materiæ quæ subest dispositioni legis, dum ipsa desinit esse materia legis: ut in secunda concl. declarabitur.

I. Concl. lex naturalis mutari potest per additionem, non vero per abrogationem. Est communis. Prob. 1. pars. Tunc mutatur lex per additionem, quando ipsi adduntur aliqua præcepra; sed legi naturali possunt superaddi præcepta, seu leges; ergo &c. minor patet; nam multa præcepta superradita sunt legi naturæ ad humanam vitam utilia, tam per diuinam legem, quàm per leges humanas.

Prob. 2. pars. Prima legis naturæ principia generalissima sunt prorsus immutabilia; sunt namque in ipsa hominis natura fundata; ergo lex naturalis quoad præcepta uniuersalissima, nempe bonum est faciendum, malum est fugiendum; quod tibi non vis &c. & quoad præcepta, quæ ex istis per facilem discursum deducuntur, qualia sunt præcepta 2. tabulæ Decalogi, non potest mutari. Vnde Gratian. dist. 5. c. 1. ait. *Naturale ius inter omnia primatum obtinet tempore, & dignitate; cæpit enim ab exordio rationalis creaturæ, nec variatur tempore, sed immutabile semper permanens.*

II. Concl. lex naturalis mutari potest per subtractionem materiæ. Prob. Tunc lex mutatur per materiæ subtractionem, quando materia, in qua cadebat legis obligatio, desinit esse materia legis; sed ita contingere potest; ergo &c. Minor explicatur, & simul probatur. Lex naturalis statuit, quod bonum, seu res aliena non sit retinenda inuito Domino, sed sit restituenda, at quod erat alienum, potest fieri proprium; vel per præscriptionem, vel per alium titulum; sic pariter non est restituendum depositum, si petatur in damnum alterius; Similiter non licet occidere alterum, attamen si ab eo inuaderis, potes ad tuæ vitæ conseruationem illum interficere cum moderamine inculpatæ tutelæ; ergo &c.

Arg. cont. 1. concl. Glossa in c. 17. Ecclesiast. disertè pronunciat ius naturale aliquando emendari, & corrigi per legem scriptam; sed hæc emendatio inducit veram, & essentialem mutationem, ergo &c. Resp. Glossam tantum velle, per legem scriptam suppleri per declarationem, ex eo quod lex naturalis ob morum deprauationem ita in aliquorum cordibus erat obscurata, ut existimarent aliqua esse licita, quæ naturaliter mala sunt.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Vtrum lex naturalis possit à Deo de potentia absoluta dispensari.

NOt. 1. Quòd agit Doctor hanc quæstionem ex professo in 3. d. 37. q 1. ubi adducta opinione D. Thomæ, quæ est negatiua, de qua infra, explicat titulum, & sensum quæstionis his conceptis verbis. Dispensare non est facere, quod præcepto manente, liceat facere contra præceptum, sed dispensare est reuocare præceptum, vel declarare qualiter debeat intelligi. Est enim duplex dispensatio, scilicet iuris reuocatio, & iuris declaratio, quæro igitur, an stantibus omnibus circumstantijs eisdem in isto actu, qui est occidere hominem, variata sola circumstantia prohibiti, & non prohibiti, posset Deus facere, quod ille actus, qui cum talibus circumstantijs aliquando prohibitus, aliàs esset non prohibitus, scilicet licitus. Si sic ergo simpliciter potest dispensare, sicut simpliciter mutauit legem veterem quantum ad ceremonialia, quando dedit nouam. Si autem Deus non potest facere de isto actū, qui cum talibus circumstantijs erat prohibitus, quod manentibus eisdem circumstantiis prioribus de prohibitione non sit prohibitus, igitur non potest facere, quod occidere non sit prohibitum, cuius oppositum manifestè patet de Abraham. Hactenus Doctor. Quare non possum non mirari, Mastrium alioquin fidelem Scoticæ Doctrinæ sectatorem, & propugnatorem in tom. Theol. moral. disp. 2. de leg. q. 2. a. 3. n. 51. pronunciasse hāc controuersiam inter Thomist. & Scotist. de legis dispensatione esse de solo nomine, & modo loquendi. Siquidem ita clarè loquitur Scotus, & fundamenta D. Thomæ examinat, ut nemo iure dubitare possit, quin hæc controuersia sit de re, & non de solo nomine.

Not. 2. ex eodem Doct. ſ. ad quæst. igitur dico. Quod aliqua possunt dici esse de lege naturæ dupliciter. Vno modo tanquam prima principia practica nota ex terminis, vel conclusiones necessariò sequentes ex eis, & hæc dicuntur esse strictissimè de lege naturæ: sed talia non sunt præcepta 2. Tabulæ, quia rationes, eorum, quæ ibi præcipiuntur, vel prohibentur, non sunt prima principia practica

 sim-

ſimpliciter neceſſaria, nec concluſiones ſimpliciter neceſſariæ. Non enim in his, quæ præcipiuntur ibi eſt bonitas neceſſariæ ad bonitatem ultimi finis conuertens ad finem ultimum.

Nec in his, quæ prohibentur eſt malitia neceſſariò auertens à fine ultimo, quin, ſi bonũ iſtud non eſſet præceptum, poſſet finis ultimus amari, & attingi; etſi illud malum non eſſet prohibitum, ſtaret cum eo acquiſitio finis ultimi. De præceptis autem primæ tabulæ ſecùs eſt quia illa immediatè reſpiciunt Deum pro obiecto. Duo quidem prima ſi intelligantur eſſe tantum negatiua; primum non habebis Deos alienos: 2. non aſſumes nomen Dei tui in vanum, ideſt non facies Deo tuo irreuerentiam. Iſta ſunt ſtrictè de lege naturæ, quia ſequitur neceſſariò: ſi eſt Deus eſt amandus ut Deus, & quod nihil aliud eſt colendum tanquam Deus. Nec Deo facienda eſt irreuerentia, & per conſequens in iſtis non poterit Deus diſpenſare, ut aliquis poſſit licitè facere oppoſitum talis prohibiti. Pergit Scotus ad 3. præceptum, quod eſt de Sabbato; & dicit. Sed an ſit de lege naturæ ſtrictè hoc præceptum de Sabbato quantum ad cultum pro aliquo tempore determinato exhibendum Deo, dubium eſt, quia ſi non; igitur abſolute Deus poſſet diſpenſare, quod homo toto tempore vitæ ſuæ non haberet bonum motum circa Deum, quod non videtur probabile; Plura habet notatu digna, ſed ne in prolixitatem nimiam labar, ea relinquo videnda apud ipſum Doctorem.

Not. 3. quod in hac quæſtione, quàm difficili, tàm celebri ſunt tres famoſæ ſententiæ. Prima eſt D. Thomæ cum ſuis quem ſequuntur paſſim Recentiores, negantes Deum in præceptis Decalogi, diſpenſare poſſe. Et ponitur talis modus, inquit Doctor §. hic dicitur lex naturæ eſt lex deſcendens ex primis principijs notis in agibilibus, talia ſunt principia practica nota ex terminis, quæ ſunt quædam ſeminaria, ad quorum veritatem inclinatur naturaliter intellectus ex terminis, & ad aſſentiendum tali dictamini inclinatur voluntas naturaliter ex talibus principijs; ſed omnia quæcunque ſunt in Decalogo ſunt talia, vel immediatè, vel mediatè; omnia enim, quæ præcipiuntur habent bonitatem formalem, quæ ſecundum ſe ordinata eſt ad finem ultimum, ut per illa homo conuertatur, & conſe-

qua-

quatur ipsum. Similiter omnia, quæ ibi prohibentur, habent malitiam formalem auertentem à fine ultimo, ita quod ibi præcepta sunt bona, non tantum quia præcepta, sed ideo præcepta, quia secundùm se bona. Similiter ibi prohibita sunt mala, non tantum quia prohibita, sed ideo prohibita, quia mala. 2. Sententia ex opposito affirmat, Deum posse dispensare in omnibus Decalogi præceptis; ita Ocham, Gerson, Gabriel, Almainus, & alij Nominales, censentes, omnia peccata, ideò esse peccata, quia sunt per legem prohibita; & Deum liberè talem legem tulisse, ac proinde, ideò esse mala, quia prohibita. Vnde cum fieri possit, ut Deus alicui illa non prohibeat, consequenter fieri potest. ut alicui liceat agere contra legem naturalem; & hoc est in lege naturali dispensare. 3. Sententia est Scoti, docentis, Deum non posse dispensare in præceptis primæ tabulæ; benè tamen in præceptis 2. tabulæ quia priora sunt de lege naturæ strictissimè, posteriora verò minùs strictè, ut in notabilibus explicatur, & magis patebit.

I. Concl. Duo priora præcepta primæ Tabulæ negatiuè sumpta non possunt à Deo de potentia absoluta dispensari; adeout licitum fiat, quod est illicitum ex natura rei intrinsecè: præcepta autem 2. Tabulæ possunt à Deo dispensari. Est Scoti in 3. dist. 37. q. un. & Scotistarum, nec non quorundam extra nostrã Scholam, & signanter Caramuelis t. 1. Theol. fundament. Prob. conc. quoad 1. p. ex Scoto sic. Quæ sunt vera ex terminis, siue sint necessaria ex terminis, siue consequentia ex talibus necessarijs præcedunt in veritate omnem actum voluntatis, vel saltem habent veritatem suam circumscripto per impossibile omne velle, sed ita se habent illa duo prima præcepta negatiuè sumpta, ergo habent suam veritatem, ac proinde bonitatem independenter à voluntate Diuina.

Prob. 1. pars auct. D. Bernard. lib. de dispensat & præcepto cap. 5. ubi ait. *Deinde, quod inuiolabile nominaui illud intelligo, quod non ab homine tr aditum, sed diuinitus promulgatum, nisi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur, vt exempli causa non occides, non mæchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legiscita; quæ, etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo soluere, aut licuit, aut licebit; Dominus tamen horum, quod voluit, & quam-*

quam-

quando voluit, soluit. & loquitur de dispensatione propriè dicta, ut ex ipsius verbis perspicuè constat.

Prob. ratione. Etenim, ut Deus dispenset propriè in præcepto v. g. non occidendi innocentem, sufficit, quod per actum suum possit efficere, ut occisio illa sit licita, manentibus cæteris omnibus circumstantijs, ob quas aliæ occisiones sunt prohibitæ: sed Deus id facere potest, immò de facto fecit, ergo &c. min. patet in occisione Isaac Abrahamo præcepta, quæ afficiebatur omnibus circumstantijs, ob quas aliæ occisiones sunt prohibitæ, præter circumstantiam præcepti diuini contrarij. Nec valet responsio Gonet, nempe Deum in prædicto casu non dispensasse propriè, sed impropriè tantum, mutando materiam, & eam per mutationem subtrahendo legi naturali; Deus enim tanquam supremus Dominus, vitæ, & necis omnium dedit ius Abrahæ in vitam innocentis, vel eo tanquam ministro, & executori uti voluit. Non valet inquam, eò quia simili ratione posset dici, superiorem non dispensare dispensando præceptum, vel licentiam homini sano comedendi carnes in die ieiunij dando, sed mutare solam materiam præcepti, quo solum prohibetur commestio propria auctoritate, & citra præceptum, vel licentiam superioris; at in tali casu esset vera, & propria dispensatio; ergo etiam in occisione Isaac; ac proinde, estò non auctoritate propria, & priuatá, sed Dei, qua datur licentia faciendi, quod priùs non erat licitum, fuit propriè dispensatio.

Verùm huiusmodi dispensatio censetur passim à Doctoribus, etiam Scotistis non posse fieri in præcepto de non dicendo falsum testimonium; quia mendacium est ita intrinsecè malum, ut nequidem diuinitùs possit esse licitum, qua ratione Deus ipse mentiri nequit.

Arg. cont. 2. p. concl. & primò argumento, quod sibi objicit Scotus: Apost. ad Rom. ait. *Non mechaberis, non occides, etsi quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur diliges proximum tuum sicut te ipsum*, ergo in isto præcepto diliges proximum tuum, includuntur necessariò præcepta 2. Tabulæ. Hoc enim videtur Apost. ibi probare expresse: unde in fine concludit. *Qui diligit proximum legem impleuit*. Quod confirmatur auctoritate Saluatoris Matt. 22. *In his tota lex pendet, & Prophetæ*; sed dilectio proximi necessariò sequi-

quitur ex hoc principio necessario: Deus est diligendus; ergo à primo ad vltimum omnia præcepta 2. tabulæ sequuntur necessariò ex primo præcepto primæ tabulæ.

Resp. Scot. quod diliges Dominum Deum tuum non est simpliciter de lege naturæ inquantum est affirmatiuum, sed inquantum est negatiuum. Dato etiam, quod sit de lege naturæ strictè proximum esse diligendum, tamen ex hoc non sequuntur præcepta 2. Tabulæ, puta, quod nolendum sit ipsum occidere quoad bonum personæ propriæ, vel nolendum sit adulterari quoad bonum personæ coniunctæ sibi, vel quod nolendum sit furari quoad bonum fortunæ, quo ille utitur; & ita de cæteris præceptis, quia possibile est, me velle, proximum diligere Deum, & tamen nolle, vel non velle sibi vitam corporalem, vel seruare fidem coniugij, & sic de alijs. Et tunc ad auct. Pauli, & Christi potest dici, quod Deus nunc de facto explicauit dilectionem proximi ultra illud, quod includit inquantum sequitur ex principijs legis naturæ. Verùm est igitur, quod diligens proximum legem implet, eo modo scilicet quo explicata est, debere seruari, licet non eo modo, quo dilectio proximi concluditur ex primis principijs legis naturæ.

Arg. 2. Deus nequit variare naturam, sed præcepta 2. tabulæ sunt præcepta naturæ; ergo variari nequeunt inuariata natura. Resp. conc. mai. & disting. min. ita ut proueniant à natura independenter à Deo, nego; itaut habeant coniunctionem cum natura ex ordinatione diuina; conc. min. Non enim illa præcepta profluunt ab ipsa natura per modum proprietatis inseparabilis, sed à D. Voluntate.

Arg. 3. auctoritate D. Aug. dicentis in lib. de vera Religione, *Neque Pater de æterna lege iudicare potest*, & lib. 1. de lib. arb. c. 6. *legi æternæ semper est obtemperandum, & illam esse incommutabilem*: ergo &c. Resp. D. Aug. loqui de potentia ordinaria; vel de lege naturæ strictissimè sumpta; ut sunt duo prima præcepta &c. facit etiam pro fundamento huius quæstionis doctrina tradita in tract. 6. de peccatis p. 2.



QVÆSTIO VI.

Vtrum Pontifex diſpenſare valeat in ijs, quæ ſunt Iuris naturæ, vel Diuini.

NOt. 1. ex Marchant. t. 2. tract. de leg. quod aliqua præcepta ſunt ex ſe, & ex natura ſua legis ſimpliciter D. aliqua verò ſunt legis D. ex adiecto, ſeu ex ſuppoſitione alicuius promiſſionis humanæ: primi generis ſunt præcepta Decalogi, & alia à Deo immediate tradita hominibus. 2. generis non ſunt ſimpliciter diuina, ſed tantum ex concurrentia præcedentis actus humani v. g. Præceptum D. eſt hoc. Redde Altiſſimo vota tua, diſplicet ei infidelis, & ſtulta promiſſio; ſic pariter ſe habent iuramenta. Quæ quidem vota, & iuramenta, ut à voluntate humana procedentia, tres conditiones implicitas continent. Prima, quod intelligatur ſuperioris auctoritas reſeruata. 2. quod reſpiciant verum bonum. 3. quod non ſint in ſalutis diſpendium, vel perfectionis impedimentum, ut docet Gerſon.

Not. 2. Quòd poteſtas à Chriſto tradita Pontifici his verbis. *Tibi dabo claues Regni Cœlorum; & quodcunque ligaueris ſuper terram* &c. non extenditur ad diſpenſationem legis D. ſed ad peccatorum, & pœnarum ſpiritualium ſolutionem, vel impoſitionem, ad indulgentias diſpenſandas, & ad ſoluenda vota, & iuramenta, ut inter alios tradunt Marchant. & Herincx. Siquidem ſupremi Paſtoris eſt prouidere, ne, quæ ad ſalutem ſunt ordinata, ad perniciem, & detrimentum ſalutis ex humana infirmitate reuoluantur; quę omnia complectitur mandatum Chriſti. Paſce oues meas, Vnde fatetur Paulus 2. ad Corint. 5. *Legatione Christi fungimur;* Paſtores igitur Eccleſiæ ſunt Miniſtri, & diſpenſatores Myſteriorum Dei, ea lege, ut fideles inueniantur; fidelitas autem, ut diſcurrit Marchant. fundatur in hoc, ut poteſtate utantur in ædificationem, & non in ruinam, ut teſtatur D. Paul. l. c. *Secundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, non in deſtructionem*, his prænotatis ſit.

Concl. Pontifex virtute clauium, ſeu poteſtate ſibi à Chriſto tradita nequit diſpenſare in ijs, quæ præcisè ſunt iuris D. vel naturalis: Eſt communis contra Panormitanum,

num, & alios Iuriſtas, nec non contra Sanchez adſcribentes Pontifici poteſtatem diſpenſandi in toto ferè Euangelio. Prob. concl. In ijs, quæ ſunt immediatè à Deo, nullus poteſt diſpenſare, niſi ei ſpecialiter committatur; ſed nec ex Scrip. S. nec ex praxi conſtat, ſpecialem commiſſionem diſpenſandi in præceptis euangelicis eſſe traditam Pontifici, ergo &c. Prob. nam Scrip. in illis verbis. *Quodcunque ligaueris &c.* Si aliquid probat nimis probat, non enim in ſolo Euangelio, immò in omnibus, in quibus poteſt Deus. Itaque in iſta generali conceſſione non venit intelligenda hæc poteſtas quæ ſpecialiter non exprimitur, ſed generalis poteſtas clauium, & Regiminis in ſuo ordine, & alia, quę iuxta ſenſum Patrum, & Eccleſiæ ibi intelliguntur conceſſa. Prob. 2. ex deſcriptione Eccleſiæ, quam tradit Gerſon in tract. de poteſt. Eccleſ. *Poteſtas Eccleſiaſtica eſt, quæ à Chriſto ſupernaturaliter & ſpecialiter collata eſt Apoſtolis, & diſcipulis, ac eorum ſucceſſoribus legitimis vſque ad finem huius ſæculi ad ædificationem Eccleſiæ militantis ſecundum leges Euangelicas:* ergo Pontifex paſcere debet oues ad præſcriptum legis Euangelicæ; ac proinde nequit legem variare, ſeu diſpenſare; & ad rem dicit Iacob Apoſt. c. 4. *Si iudicas legem non es factor legis, ſed iudex, vnus eſt legiſlator, & Iudex, qui poteſt perdere, & liberare.*

Arg. 1. cont. concl. Poteſt in quibuſdam caſibus adeſſe ſumma vtilitas, immò neceſſitas relaxandi aliquod præceptum naturæ: ergo oportet, quod Deus reliquerit Eccleſiæ huiuſmodi poteſtatem, ut ſufficienter prouideat Animarum regimini. Reſp. Herincx. Neceſſitatem, vel fore tantam, ut ob illam lex per ſe ipſam non obliget, nec caſum comprehendat, vel facilè tolli poſſe alia via, quàm diſpenſatione, vel certè ob illam, utpotè fundatam in malitia hominum, poteſtatem tollendi obligationem legis naturæ non debuiſſe hominibus concedi. Alioquin argumentum, ſi quid probaret nimium probaret; Nam ſimilis neceſſitas, vel utilitas poteſt quoque occurrere in caſibus, ad quos tamen nec oppoſitum ſentientes poteſtatem Papæ extendunt. Nam maior eſt neceſſitas, ut aliquando frater ſororem accipiat, aut uxorem ſterilem poſt matrimonium conſumatum relinquat, vel veneno interimat, & aliam ducat, quando inde; dependeret conſeruatio fidei catho-

licæ in aliquo Regno, quàm diſpenſandi in matrimonijs ratis, illaque diſſoluendi ob priuatas difficultates in eo ſubortas, quoad aliqui tamen dicunt poſſe fieri.

Arg. 2. Pontifex diſpenſat in reſidentia Epiſcopi, quæ eſt de iure diuino, ut indicat Trid. ſeſſ. 23. c. 1. de Reform. & etiam de iure naturali; ergo &c.

Reſp. cum Herincx, omiſſis aliorum reſponſionibus Pontificem diſpenſare cum Epiſcopis in caſibus; in quibus ſolo iure humano ad reſidendum obligantur: non enim toto tempore obligatur iure D. reſidere, nec id colligitur ex verbis Trid. cum in abſentia prouideri poſſit gregi, cui de iure D. ſunt obligati. Cæterùm ſi Papa diſpenſat aliquando, id facit ob grauiſſimam cauſam, ratione cuius cenſeri poteſt in tali caſu præceptum de reſidendo ceſſare.

Arg. 3. Pontifex diſpenſat in matrimonio rato, quod eſt de iure D. ergo &c. Reſp. eſſe inter Doctores controuerſum, ut aduertit idem Herincx quo iure matrimonium ratum ſic inſolubile; An diuino iure poſitiuo, an naturali. Si iure naturali, an ſimpliciter, an ſecundum quid, quatenus videlicet Ius naturæ non vetat illud omninò ſolui, ſed ſolui propria contrahentium auctoritate, de quo in tractu de matrimonio. Verùm dato, quod ſit ſimpliciter iure naturæ inſolubile, largè ſumpto, adhuc dici poteſt ſecundùm ſententiam plurimorum Doctorum, Papam, vel Eccleſiam in caſu profeſſionis Religioſæ matrimonium ſua auctoritate non ſoluere, ſed tantùm declarare illud à Deo ob meliius bonum diſſolui. Quod ſi Papa in aliquibus caſibus diſpenſauit, id factum eſt, vel quia allegatæ ſunt apparentes rationes nullitatis matrimonij, prout contigit in matrimonio. Ludouici cum D. Ioanna, vel Papa ſecutus eſt, inquit Herincx, aliam opinionem probabilem.

Quæres. An in lege naturali locum habeat Epikia.

Reſp. negatiuè. Quia Epikia eſt interprætatio mentis legiſlatoris, quando expreſſa ab eo haberi nequit, ac proinde habet quandam rationem emendationis, & correctionis legis; huiuſmodi autem interpretatione non eſt opus in lege naturali, cum ipſa legiſlatrix ratio, quæ legem tulit, & dictauit v. g. non eſſe occidendum innocentem, dictet, poſſe occidi in caſu neceſſariæ defenſionis propriæ vitæ.

Quæ-

Quæres 2. An lex naturalis admittat interpretationem, seu declarationem. Resp. affirmatiuè. Ratio. Etenim cum non omnia legis naturæ præcepta sint æquè nota, & æquè cuilibet intellectui facilia, quædam ex illis declaratione, & interpretatione indigent ad hoc, ut verus eorum sensus habeatur, cum non omnes circumstantiæ, in quibus lex præcipit, & prohibet, ibi apponantur e. g. lex naturalis, quæ præcipit, seruari secretum, eget aliqua declaratione, cum illa non obliget in omni casu; ut si noceret Reipublicæ &c.

Quæres 3. Quid sit ius gentium. Resp. discordare iuristas, & Thologos in hac difficultate: at, omissis varijs dicendi modis, dicendum est iuxta sententiam communiorem Theologorum, quod ius gentium nil aliud est, quàm commune hominum iudicium, & gentium consensus, vel est ius ex communi iudicio, & consensu proueniens; vel tandem quod omnes homines naturali ratione ducti constituunt. Hoc iure Regnorum, & Terrarum diuisio introducta est l. omnis Populi ff. de iustit. & iure. Quamuis enim omnia bona essent communia, tamen processu temporis omnes homines ratione naturali perlustrati, iudicarunt possessiones diuidendas fore ad vitam pacificam ducendam. Præterea bella, contractus, seruitutes, legatorum admissio, pacta, & similia hoc iure introducta sunt; non enim ab aliquo Principe in aliquo speciali Regno sunt stabilita, sed communi usu gentium determinata. Quarè meritò infertur primò ius gentium esse mediũ inter ius naturale. & Ciuile, cum neque à natura sit insitum, neque à determinato aliquo Principe conditum; sed ab omnibus fere gentibus introductum, non quidem scriptura, sed usu, & consuetudine gentium: secundò infertur hoc Ius esse positiuum, & humauum, aliàs vana videretur diuisio iuris in naturale gentium, & ciuile; qui plura desiderat, adeat Bonac. disp. 1. de leg. q. 1. p. 1. & Suarez de leg. & Herinex disp. 3. de lege tam ciuili, quam Ecclesiastica q. 1.



DIS-

DISPVTATIO III.

De lege Diuina positiua.

QVÆSTIO I.

Vtrum lex vetus fuerit bona.

NOt. Quòd lex D. positiua, ut in eius descriptione superius tradita diximus, est specialis Dei iussio legi naturali superaddita, seu posita, partim præcepta legis naturæ renouando, partim (quod est proprium legis positiuæ munus) varia præscribendo, quæ ex natura rei non sunt necessaria ad honestatem creaturæ rationalis. Huiusmodi præcepta in omni statu fuerunt; v. g. in statu innocentiæ præceptum de non comedendo fructu ligni scientiæ boni, & mali, quod etiam Euam concernebat, ut patet ex Gen. 3. similiter & posteros, si status innocentiæ permansisset, iuxta communem Doctorum sententiam, etsi nonnulli aliter sentiant. In statu legis naturæ, qui à lapsu Adæ usque ad tempus legis Mosaicæ perdurauit, fuit præceptum de usu remedij contra peccatum originale. Item de non comedendo carnem cum sanguine Gen. 9. Item præceptum circumcisionis datum familiæ Abraham. Et in utroque statu erat obligatio eliciendi actus virtutum theologicarum, ut colligitur ex Trid. sess. 14. c. 4. docente. *Motum contritionis fuisse quouis tempore necessarium ad impetrandam veniam peccatorum*. Postea verò Deus seligens posteros Iacob, seu Israelitas in populum suum peculiarem, ob promissionem factam Abrahæ, ex cuius semine Christus erat nasciturus, tulit eis legem specialem, quæ lex Mosaica, seu vetus dicitur, & nominatur Mosaica, quia data fuit à Deo in monte Sinai Moysi; Verùm desinente statu legis veteris, aduenit status gratiæ, in quo Christus noster Redemptor, & legislator condidit legem nouam, quæ appellatur euangelica.

Not. 2. Quòd lex D. positiua partitur sicut lex naturalis, in sacram moralem, & politicam. Aut enim lex D. positiua dirrigitur ad res sacras, quæ pertinent ad fidem, & Religionem, & dicitur lex positiua sacra, quam nonnulli ceremo-

remonialem vocant. Aut respicit actus morales virtutum in ordine ad vitam æternam, & in ratione bonitatis, gratię, meriti, & gloriæ, & sic vocatur lex positiua moralis. Aut respicit regimen quoddam politicum Animarum, prout in unum corpus mysticum, ideſt Eccleſiæ coadunantur, & hæc, prout à Deo procedit, lex D. politica dicenda eſt, & diſtinguitur ab Eccleſiaſtica humana, quæ ciuilis, & politicæ nomen ſortitur.

Concl. Lex Vetus, quæ dicitur Moſaica fuit bona, & ſancta. Eſt de fide contra quoſdam hæreticos, & præſertim contra Manichæos qui, teſte D. Aug. putabant, legem Moſaicam eſſe malam, & procedere à principio malo. Prob. auct. S. Scrip. & primò Apoſt. ad Rom. 7. *Lex quidem Sancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum*; & infra, *conſentio legi quoniam bona eſt* Quare etiam Chriſtus legem ſeruauit, tum in circumſione, tum in alijs; & ſeruare illam docuit Matt. 8. *Vade inquit, & oſtende te Sacerdoti, & offeres munus, quod præcepit Moyſes*. Confirmatur quia lex vetus data fuit à Deo Exodi 20. *Locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos*, & alibi.

Arg. ab hæreticis. Lex Moſaica vocatur à D. Petro act. 15. iugum importabile; ergo non eſt bona. Reſp. ſic vocari, quia iuxta ſeruilem conditionem Iſraelitarum fuit dura, & difficilis.

Arg. 2. Ezech. 20. habetur. *Ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent, & pollui eos in muneribus ſuis*,

Reſp. Verba illa non intelligi de præceptis veteris legis, cum de illis dicatur Eſdræ c. 9. *Dediſti eis iudicia recta, & legem veritatis, & ceremonias & præcepta bona*; ita etiam apud Ezech. c. 20. Itaque præcepta non bona, intelliguntur plagæ, & punitiones, quas Deus Iſraelitis intentauit, vel eis euenire permiſit.

Arg. 3. Lex ſubintrauit, ut abbundaret delictum, ergo &c. Reſp. ly ut loc. cit. ſumi conſecutiuè, non autem cauſaliter; quo ſenſu lex ſubintrauit, ſic, ut abundauerit delictum; ac proinde ſignificat, quid data lege, euenerit: nam cum aliquid concupiſcitur, & poſtea prohibetur, concupiſcentia magis accenditur iuxta illud Poetæ. Nitimur in vetitum, ſemper, cupimuſque negata; & Apoſt. *Occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*.

Arg. 4. Apost. ad hebr. 6. ait. *Nihil ad perfectum adduxit lex*, & cap. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem*; & cap. 8. *Si illud prius* (sub intellige testamentum) *culpa vacasset, non utiquè secundi locus inquireretur*. Quæ omnia sonant legem veterem non fuisse bonam, sed inutilem: ergo &c.

Resp. quod quamuis lex vetus fuerit bona, & utilis, & spectato tempore, & conditione Iudęorum perfecta, absolutè tamen non erat perfecta, cum ex se non sufficeret, hoc est, sine ordine ad passionem, ad iustificationem, & *Salutem*, *sicut lex euangelica*. Vnde Apost. ait, *legem veterem non iustificare*, idest absolutè, & sine relatione ad Messiam venturum. Quare ex hac doctrina patet responsio ad allatas scripturas: Prima intelligitur de insufficienti utilitate ad iustificationem 2. ubi dicitur, si culpa vacasset, explicatur à Doctoribus, si imperfectione caruisset. Hinc est, quod, qui in antiqua lege fuerunt iusti, adepti sunt iustitiam, & salutem fide saltem implicita Messiæ, & gratia noui Testamenti, cuius virtus ad illos peruasit, ideoque tradunt SS. PP. quod veteris Testamenti Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, & quoquot salui facti sunt, pertinuerint ad gratiam noui testamenti.

Arg. ultimo. Plura in lege veteri fuerunt inordinata, ideoque a Deo correcta, ut pat. Matt. & Deuter. 23. permittitur Iudæis, ut fenerentur alienegenis; ergo &c.

Resp. Neque Christum, neque Deum correxisse veterem legem. eo quod esset mala, sed partim eam explicasse contra peruersas expositiones quorumdam Iudæorum, partim imperfectionem illius legis perfectiora consulendo perfecisse, seu suppleuisse.

QVÆSTIO II.

Vtrum lex vetus solos Iudæos obligauerit, & qualiter obligabat.

NOt. Quod in lege veteri fuerunt præcepta triplicis generis, ut passim notant Theologi. Prima dicuntur moralia, quæ per se bonitatem, & honestatem continent: secundò ceremonialia, quæ pertinent ad cultum Dei, & præ-

præſcribũtur quomodo, & quibus ceremonijs ſit colendus, ut ſic Populus ad Idolatriam propenſus retraheretur. Deniqne Iudicialia, quibus conſtituebatur rectus ordo populi, tum inter ſe, tum quoad communitatem; & in exercendis iudicijs. Hæc trimembris præceptorum diuiſio habetur expræſsè in veteri Teſtamento; ut Deutr. 6. *Hæc ſunt precepta, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vobis*, & alibi. Cæterùm, in eadem lege veteri continebantur etiam quædam conſilia; ſæpè namque in ea indicatur, vota hominum gratiſſima eſſe Deo; quæ proinde tacitè conſulit: ſimiliter meminit multarum oblationum, ac ſacrificiorum gratuitorum, eorumque ritus deſcribit, quæ pariter implicitè conſulit.

I. Concl. Lex vetus per ſe loquendo obligabat ſolos Hebræos. Prob. Etenim ad illos ſolos lex illa dirrigebatur, & illis ſolis fuit promulgata, ut liquidò patet ex Exodo, Leuit. & Deuter. at lex ex dictis ſupra non obligat niſi illos, ad quos dirrigitur, & promulgatur. Vnde Deuteron. c. 4. dicitur. *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, vt habeat cæremonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſam legem?*

Notanter dicitur in concl. per ſe loquendo; nam potuiſſent etiam Gentiles talem legem aſſumere, & ſibi imponere; erat enim cuilibet liberum iſtam legem profiteri, & populo electo ſe adiungere per circumciſionem, quæ erat ianua veteris legis iuxta illud Pauli ad Galat. c. 5. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ*; & habetut exprſè exodi c. 12. *Si quis Peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domini, circumcidetur primò omne maſculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terræ.*

II. Conc. lex vetus obligabat hebręos in conſcientia, & quidem ex genere ſuo ſub peccato mortali, non tantum quoad præcepta moralia, & ceræmonialia, ſed etiam quoad iudicialia. Ita comuniter Doctores. Et probatur Nam lex vetus data eſt modo præceptiuo in materia capaci obligationis in conſcientia, ergo cenſendum eſt ſic eam de facto obligaſſe. Et quamuis Gerſon putauerit, præcepta iudicialia ad ſolam pœnam temporalem ligaſſę; nihilominus Theologi vnanimi conſenſu arbitrantur oppoſitum; eò quia lex iudicialis mandatur eiſdem verbis, quibus ceremonialis, & moralis.

Prob.

Prob 2.pars. Quia materia illorum est capax grauis obligationis, ut potè in se grauis; Nec Deus regulariter dat leges positiuas de rebus leuibus, ergo censendum est obligare ex genere suo sub mortali; ex genere suo, inquam, nam paruitas materiæ regulariter excusat à mortali, etiam in iure Diuino positiuo, sicut in iure naturali. Verùm iuxta Theologos non obligabat per se loquendo ad sui obseruationem cum periculo vitæ, nisi quoad præcepta moralia negatiua, quæ in Decalogo continentur, idque colligitur ex pluribus locis S. Scrip. & euentibus &c.

QVÆSTIO III.

Vtrum cessauerit lex vetus, & quando cessauerit.

NOt. 1. Quòd ab aduentus tempore Christi non poterant seruari ceremoniæ legis veteris, tanquam signa Messiæ venturi, sed vel simpliciter, tanquàm figuræ Messiæ, vel tanquam figuræ mysteriorum futurorum, quæ nec dum erant impleta, cum præcipua mysteria in passione, & morte Christi essent implendi; Vnde docet Scot. in 4. d. 3. q. 4. quod lex vetus fuit in morte Christi consumata, & noua confirmata radicaliter, seu causaliter, meritoriè, & inchoatiuè, quàmuis formaliter, & completè expirauerit in die Pentecostes, ut ostendetur in concl.

Not. 2. Quòd à tempore instituti baptismi, circumcisio non fuit amplius necessaria paruulis necessitate medij in ordine ad remissionem peccati originalis; fuisset tamen eis adhuc adhibenda ex præcepto tanquam signum distinctiuum populi Iudaici, & fœderis cum illo à Deo initi, sicut remanebat præceptum circumcidendi Ioannem, etsi in utero sanctificatum; secùs autem de remedio legis naturæ, quod erat solum necessarium ad delendum peccatum originale, ac proinde eius necessitas, adueniente baptismo, simpliciter expirauit, ut tradit Scot. in 4. d. 3. q. 4. Quod si oppositum videatur docere, accomodè exponi potest, dicendo, quod circumcisio cessauit simpliciter quoad peccatum originale; ut explicat Herincx.

Not. 3. Quòd quidam Christiani ex Iudæis, quos secuti sunt Cerinthiani, Nazaræi, & Ebionitæ, teste Aug. hæresi 8. & 9.

8. & 9. putarunt legem veterem in noua perseuerare, ac proinde seruandam esse cum Euangelio; male intelligentes Scripturam, quæ testatur legem veterem esse æternam; & illud Matt. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere*. Verùm decepti sunt, quia Iy, æterna, in S. Scrip. interdum sumitur pro duratione valde diurna, ut alibi notatum fuit. Et quidem in hoc sensu lex vetus dicitur æterna; & addi potest cum D. Aug. q. 43. in exodum: *Legem veterem dici æternam, & perpetuam, non secundum literam, sed secundum spiritum, idest, secundum res per legem figuratas, quæ vltimatè implebuntur in beatitudine*. Neque illis fauet secunda auctoritas; nam, Iy, soluere, non intelligitur pro abrogare, sed pro violare; idest non veni violare legem, contra cuius verum sensum nil docuit Christus, eamque seruauit quousque fuit in vigore.

I. Concl. lex vetus cessauit introducta Euangelica lege: est de fide; & clarè patet ex S. Scrip. & præsertim act. 15. ubi lex antiqua vocatur iugum importabile. & D. Paul. ad Galat. c. 3. *Lex pedagogus noster fuit in Christo, at vbi venit fides, iam non sumus sub pedagogo*. Et in Epist. ad hebræos c. 7. ait *Translato enim Sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat*, ergo cum Sacerdotium veteris legis esset in sola Tribu Aaron, Christus ex Tribu Iuda oriundus, Pontifex pro nobis ingreditur, Sacerdotio secundum ordinem Melchisedech instituto. Itaq; tam lex cæremonialis, & iudicialis, quàm etiam moralis cessauit introducto Euangelio; & quamuis lex moralis etiam apud nos remanserit materialiter, hoc est. quatenus illius materia est in lege noua præcepta, vel prohibita ex iure naturæ; nihilominus formaliter, idest, quatenus erat pars veteris legis desijt, ut communiter tradunt Theologi contra Bellarm. lib. de Iustificat; & quosdam alios.

II. Concl. Lex vetus non cessauit in Natiuitate Christi, vel ante ipsius mortem. Est communis. Prob. Christus usque ad mortem seruauit legem Moysis in circumcisione, oblatione templi, esu Agni paschalis &c. Item mundatos à lepra misit ad Sacerdotes iuxta legis præscriptum. Immò oppositam Phariseorum calumniam à se repulit, mostrando, se nil legi contrarium facere, ac declarando verum legis sensum, unde ait. *Non veni soluere legem, sed adimplere*.

III. Concl. Lex vetus non desijt obligare præcisè in morte Christi, sed à promulgatione legis nouæ factæ in Pentecoste, & per consequens tunc lex vetus expirauit. Ita D. Bonau. 4. d. 3. q. 2. Scotus, & Scotistæ in 4. d. 3. q. 4. & videtur communis contra Thomistas. Prob. 1. ex S. Scrip. D. Paul. ad Ephes. c. 2. ait. *Legem mandatorum decretis*; (supple Euangelicis) *euacuans*; & ad hebr. c. 10. *Aufert primum, vt sequens statuat*: ergo lex vetus cessauit, quando incæpit noua; ita etiam tradunt D. Aug. Epist. 119. cap. 16. & Leo Papa ser. 1. in festo Pentecostes. Hinc euidenter infertur, legem nouam incæpisse obligare solum in die Pentecost. quo fuit solemniter promulgata. Faciunt ad id probandum rationes conclusionis, & auctoritates tum D. Aug. & Leon. Papæ, tum D. Bonau. & Scoti l. c. & insuper probatur. Lex non obligat, antequam sit sufficienter promulgata, sed ante diem Pent. lex Euangelica non fuerat sufficienter promulgata, ergo &c. maior patet ex dictis in quæst. de leg. promulgatione. Cæterùm existimat Herincx, cum Scoto in 4. d. 3. q. 4. non omnes homines à puncto præcisè, quo fuit facta legis nouæ promulgatio, ita fuisse obligatos, ut peccarent nisi statim secundum illam legem operarentur. Quamplures enim ignorantia inuincibili laborantes indubiè non peccarunt, nec adhuc modo peccant in materiali illius transgressione. Pari ratione non est censendum, omnia, quæ iudicantur necessaria necessitate medij, subitò obtinuisse obligationis vim respectu omnium, ut sapienter discurrit Scot. loc. cit. de Baptismi necessitate post promulgationem in die Pentecostes factam; sed consentaneè D. Pouidentię remedium legis naturæ adhuc aliquo tempore fuisse utile, quamdiù videlicet spectatis circumstantijs distantiæ loci, commercij &c. lex Euangelica potuit illis innotescere.

Adde ex eod. Doct. huiusmodi modum abrogandi legem veterem per nouæ introductionem fuisse conuenientissimum. Tum quia non decebat populum Dei priuari propria lege, nisi per meliorem, & perfectiorem; Tum quia ista abrogatio non fuisset hominibus accomodata, immò nec utilis, utpote Iudæis inuincibiliter incognita, & non promulgata, qui proinde legem adhuc seruabant, tanquam obligantem, quod in ipsis etiam Apostolis locum habuisse videtur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum lex Euangelica sit lata pro toto Orbe, & sit duratura vsque ad finem mundi.

NOt. 1. Quòd lex Euangelica varijs nominibus appellatur: interdum vocatur lex fidei, sic ad Rom. 3. *Lex fidei*, & cap. 8. *Spiritus vitæ*; quandoque *lex gratiæ*, ut Io. 1. lex libertatis, & denique lex noua, quia est ultima lex à Deo data, quæ priorem antiquauit, vel quia totum hominem per gratiam renouat. Quare libertas christiana non consistit, ut simus liberi ab obseruatione legis Dei, sed primò in libertate à seruitute peccati iuxta illud Io. 8. *Omnis, qui facit peccatum seruus est peccati*. 2. in libertate à iugo legis cæremonialis, & iudicialis Iudæorum ad Galat. 4. *Quomodo iterum conuertimini ad infirma, & egena elementa, quibus denuò seruire vultis*. 3. in libertate à dominio & reatu legis, etiam naturalis ad Rom. c. 6. *Non estis sub lege, sed sub gratia*. Non tamen licet inferre cum hæreticis. Ergo ad legem non tenemur. Nam multùm inter se differunt, esse sub lege, & esse in lege, ut notauit D. Aug. Psal. 1. Iudæi equidem erant sub lege, quia tanquam serui subiecti erant pœnis, & tortoribus legis legalibus. Nos autem sumus in lege, quia tanquam filij ex amore, & charitate viuimus iuxta legem; & in hoc sensu Apost. negat esse sub lege, & affirmat, se esse in lege; ut explicat D. Aug. lib. de continentia c. 3. *Non sumus sub lege bonum quidem iubente, non tamen dante, sed sumus sub gratia, quæ id, quod lex iubet, faciens nos amare, potest liberis imperare*.

Not. 2. Quod lex Euangelica, non solum continet præceptum fidei, sed varia alia præcepta, quæ congruè possunt distingui in moralia, Sacramentalia, & Theologica, ut docet Trid. sess. 6. can. 19. contra hæreticos, falsò putantes solam fidem esse præceptam, quia hæc sola iustificat, de quo agimus in tract. de gratia. Siquidem Saluator legem naturalem, seu moralem renouat dicens; *ego autem dico vobis*; & D. Paulus à Regno Dei excludit fures, aliosque legis moralis transgressores. Idem pat. ex Iacob. c. 2. Deinde dedit præcepta Sacramentalia. Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* & c. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, & alibi. Deniquè præcepta virtutum theologicarum instituit, *Qui*

crediderit &c. Quare credibilia reducuntur ad fidem, speranda ad spem, & charitatem. Insuper in lege noua continentur quædam noua consilia moralia, ideoque dicuntur Euangelica, puta, paupertatis, obedientiæ &c.

Concl. Lex noua, seu Euangelica lata est à Christo pro uniuerso mundo, & durabit usque ad finem mundi. Vtraque pas est de fide. Et quidem prima pars est contra quosdam modernos hæreticos temere asserentes Christum esse hominibus datum, ut Redemptorem, non ut legislatorem, cui obediant, quod damnatur à Trid. sess. 6. can. 21. & probatur ex S. Scrip. Isaiæ 2. *De Syon exibit lex*, & cap. 33. *Dominus iudex noster & legifer noster*. Ierem. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum*. Et in Euangelio pluries Christus loquitur, ut Io. 14. *Mandata mea seruate*, & alibi. Quod autem lata sit pro omnibus, nemine excepto liquidò patet ex illo Matt. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ* Sicut enim Christus est omnium Redemptor, ita est omnium legislator.

Prob. 3. pars. Ex verbis ipsius Christi, dicentis Matt. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi*. Vnde nouum Testamentum dicitur æternum ad Hebr. 13. & in consecratione calicis, & alibi, præsertim de lege noua dicitur Daniel. c. 2. *In æternum non dissipabitur, alteri non tradetur, stabit in æternum*.

QVÆSTIO V.

Vtrum vsus legalium in lege noua aliquando licuerit.

NOt. ex Scoto in 4. d. 3. q. 4. §. Respondeo, quod de isto facto fuit controuersia inter duos egregios Apostolos, & postea inter Doctores famosos August. & Hierony. hoc negante, illo asserente usum ceremonialium legalium. Vnde ad intelligentiam sententiæ D. Hieron. sciendum est, quod D. Hier. ut obseruant Seraph. Doctor, & Subtilis, duo tempora posuit in nouæ legis datione, & Sacramentorum suorum institutione. Vnum scilicet tempus condendi euangelium, quod incæpit ab aduentu Christi usq; ad passionis consumationem: Aliud fuit promulgationis, quod incæpit ab Aduentu Spiritus S. usque ad fi-

nem

nem mundi: similiter posuit, quod mandata legalia, & ceremonialia dupliciter conuenit obseruari, vel ex præcepto tanquam necessaria ad salutem, vel ex dispensatione, non quia bona sint, sed quia inde elicitur bonum. Concessit ergo D. Hieron. legalia maximè circumcissionem seruari debere quousque veritas Euangelij promulgaretur, & institutio nouæ legis aperiretur, & in hoc toto tempore; sed illis incipientibus aperiri illa cessabant, sicut ista innotescebant, ita ut nulli post acceptam notitiam veritatis liceret seruare huiusmodi sacramenta aliquo modo, nisi illis solis, ad quos non peruenerat prædicatio Euangelij; vel etiam ipsis Apostolis maioribus ex dispensatione, & pia quadam simulatione; & ad hoc ponendum mouit eum auctoritas S. Scrip. & Ecclesiæ. Nam omnes Apostoli consenserunt Actorum 15. legalia non esse seruanda. Rursus videbat Apostolos alicubi post illam sententiam seruasse, & dicebat, primam sententiam datam esse secundum rigorem veritatis, sed obseruationem factam esse secundùm simulationem pietatis, iuxta illud Apost. 1. ad Cor. c. 9. *Omnibus omnia factus sum Iudæis tanquàm Iudæus* &c. Auctoritas Ecclesiæ etiam mouit, quia SS. Patres communiter damnauerunt hæresim Hebionis, & Cherinthi, qui dixerunt, legalia cum Euangelio esse seruanda, & ob id dicebat, pia quadam, & dispensatoria simulatione esse seruata ob infirmitatem Iudæorum, & dixit etiam, quod Paulus pia quadam simulatione reprehendit, qui nec peccabat. Ita D. Bonau.

Verùm D. Aug. alio modo soluit; distinguit enim triplex tempus, nempe tempus condendi Euangelium, promulgandi conditum, & custodiendi iam promulgatum. Primum tempus fuit ab Aduentu Christi usque ad passionis consummationem; unde ante Christi mortem, neque mortua erant, neque mortifera: 2. à passione Christi usque ad diuulgationem Euangelij, & tunc pariter seruari poterant etiam ab his, qui audierant Euangelium propter honestatem, quia cum honore deducenda erat synagoga ad tumulum, non quasi Idolatra statim abijcienda; ac proinde tali tempore seruari poterant propter proximi utilitatem, ne Iudæi à fide reuocarentur: 3. tempus fuit à sufficienti promulgatione usque ad finem mundi, quo tempore nullo modo sunt seruanda, quia iam fuerant tumulata. Triplici

enim de causa possunt aliqua obseruari, ut docet D. Bonau. nempe propter salutis necessitatem, propter honestatem, & propter proximi infirmitatem, quæ omnia cessant in 3. tempore, quo legalia erant iam sepulta.

I. Concl. Legalia fuit licitum obseruare etiam post Euangelij promulgationem. Est D. Aug. quem sequuntur D. Bonau. Scot. D. Thom. & omnes scholastici, eamque probat ex factis Apostoli. Nam dudum post legis nouæ promulgationem Apost. Paulus circumcidit Timotheum ex Matre Iudæa, & Patre gentili. Et act. c. 21. idem Timoth. iuxta consilium Iacobi, assumptis viris, ritu Iudaico est purificatus. Similiter Petrus Antiochiæ iudaicas ceremonias seruauit, ut constat ex Epist. ad Galat. 2. Item Apostoli omnes in Concilio, vt habetur act. cap. 15. decreuerunt, ut Christiani abstinerent à sanguine, & suffocato, quod pertinet ad ceremonialia; sed quod Apostoli repleti Spiritu S. post legis Euangelicæ in die Pentecostes promulgationem obseruarunt, etsi eorum obseruantiam non iudicarent necessariam, non potest esse mortiferum, ergo fuit licitum aliquando obseruare &c.

II. Concl. Petrus iustè reprehensus est à Paulo, quia reprehensibilis erat, non quia male faceret, sed aliquantum incautè, & illo defectu circumspectionis, credo, quod fuit in eo aliqua culpa, licet non esset mortalis, & diuina dispensatione hoc permissum est, ut dum Petrus repræhensus non desisteret, clarius veritas patesceret. Ita Seraph. Doct. loc. cit. & paulò superiùs pronunciauit. Dicendum est, quod Aug. dictis Hieron. addidit, & clariùs hoc vidit, & ideò eius dictis standum est. Nam & ipse Hier. addendum, & hæc corrigenda sibi commisit. Et Scot. loc. cit. ait. Salua reuerentia aliorum teneo cum Paulo, & Aug. licet enim Apostoli in actibus, vel verbis, quæ dixerunt ut homines potuerint errare; tamen nullus Apost. vel Propheta, inquantum Scriptor alicuius partis Scripturæ aliquo modo errauit, quia secundum Aug. in Epist. ad Hier. & ponitur in canone dist. 9. *Si ad scripturas diuinas admissum fuerit aliquod mendacium quantumcumque paruum, seu officiosum, nihil remanet in ea solida veritatis, qua conuincatur Aduersarius*; cum ergo Paul. in Epist. ad Galat. quæ est pars Scrip. canonicæ hoc scribat; *In facie eius restitit, quia reprehensibilis erat*;

erat: & subdit. *Cum autem vidissem, quod non rectè ambularet ad veritatem Euangelij*; neccesse est dicere ista verba esse simpliciter vera, vel totius Scripturæ auctoritas auferetur. Itaque reprehensibilis erat, idest, ut explicat. Doct. Seraph. utilis reprehendi, & dignus, quia, ad veritatem Euangelij non ambulabat, idest, non usquequaq; quia ex hoc veritas conculcabatur; & ideo Paulus bene fecit, & utiliter, quia coram omnibus eum reprehendit. Nec est excusandus Petrus, sequitur D. Bonau. ab una leui negligentia, ne Paulus accusetur grauiùs mendacij culpa: ergo veraciter non simulatoriè Petrus fuit reprehensus à Paulo, non quia legalia seruabat, sed quia exemplo suo Gentiles iudaizzare cogebat. Cæterùm Becanus putat, Petrum fuisse reprehensione Pauli dignum, quia videbatur nimis solicitus de tali obseruatione, & Suarez censet, in isto actu Petri fuisse defectum maioris boni, quæ opiniones non videntur dictæ à communi. His tamen non obstantibus sententiam Hieron. præter Adrianum propugnat latè Lorca disp. 35. & alij, ut notat Herincx.

Arg. cont. 1. concl. Apost. ad Galat. 5. Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit; ergo &c.

Resp. cum D. Aug. lib. de mendacio c. 5: & etiam in Epist. cit. nihil prodesse Christum ijs, qui existimabant, circumcisionem esse necessariam ad salutem, vel iustificationem, iuxta illud, quod subdit Apost. *Euacuati estis à Christo &c.*

Arg. 2. legalia habebant rationem mendacij, ergo illicita; ant. patet; quia in morte Christi fuerunt consumata mysteria, quæ per ceremonias legis veteris figurabantur.

Resp. neg. assumptum; nam, ut supra notatum fuit, poterant post mortem Christi, & mysteriorum eius consumationem obseruari absque significatione præfiguratiua: Si enim nato Christo adhuc legalia poterant; imò debebant seruari, estò non ampliùs tanquam signa Christi venturi; ita pari ratione non erat illicitum, eadem post mortem Christi obseruare ea ratione, quam supra retulimus. Quod si quis urgeat, ergo etiam modo licet legalia obseruare.

Resp. cum D. Aug. Epist. 19. non licere, eò quia iam sepulta fuere, ac proinde à Christianis omnibus irreparabiliter deserenda sunt. Hinc rectè infertur, ceremonias ve-

teris legis non posse ab Ecclesia restaurari; ne quidem materialiter spectatas, saltem quoad principaliores, & velut substantiales, ut sunt circumcisio, sacrificia, & cætera ad illa spectantia; ut aduertit Herincx, subdens, meritò ab omnibus reprehendi Caiet. quod p. 3. q. 37. art. 1. dixerit circumcisionem esse licitam, æthiopibus schismaticis in ditione presbyteri Ioannis, qui ea utuntur tanquam ceremonia ad imitandum Christi circumcisionem.

Quæres. An in legem D. positiuam cadere possit mutatio.

Resp. affirmatiuè, quia variæ mutationes contingere possunt: primò ratione status, nempe, quando est lata pro uno statu determinatè; sic lex circumcisionis lata pro statu veteris testamenti, eo desinente, in legem baptismi mutata est: 2. ratione materiæ, ut quando id, quod est in se materia legis, v. g. occisio hominis priuata auctoritate, ratione adiunctæ, aut mutatæ circumstantiæ, ut accedente sententia iudicis, cessat esse legis materia; pari ratione in defensione propriæ vitæ: 3. mutatio fieri potest per regulam charitatis, & bonitatis, quando nimirum actus maioris charitatis incompossibilis est cum alio; hic, & nunc legis positiuę D. præcepto; ut si aliquis exponit propriam vitam ob motiuum charitatis, vel etiam alterius virtutis pro defensione amici, seu pro liberando alium à periculo mortis. 4. ratione concurrentiæ diuersorum præceptorum incompossibilium, quorum unum alteri esse præferendum ratio dictat; sic præceptum de vita conseruanda, de proximo iuuando in necessitate aliqua antecedit præceptum sanctificandi Dominicam: Vnde est regula generalis, quod quandocunque concurrunt duo præcepta, quorum unum est maius, seu altioris ordinis, semper seruandam est quod est maius, seu altioris ordinis.

Quæres 2. An lex D. positiua admittat interpretationem.

Resp. affirmatiuè. Ratio; quia cum lex positiua Dei non sit menti inscripta, quoad omnes eius circumstantias, sed debeat exteriùs proponi, potest sensus verborum legis D. sicut etiam cuiusuis alterius legis positiuæ declarari, siue explicari; quę quidem explicatio erit certa, vel probabilis; prout explicantium auctoritas erit certa, aut probabilis. Vnde triplex legis interpretatio distingui solet. Prima auctoritatiua, seu iudicialis; & hæc competit soli Pon-

Pontifici cum ſuo Concilio pro uniuerſali Eccleſia; & interdum etiam Epiſcopis cum Concilio pro ſuo grege, ubi aliqua obſcuritas, & perplexitas naſcitur: 2. eſt Doctoralis; ſeu doctrinalis, & hæc competit Doctoribus, Profeſſoribus, Paſtoribus, Confeſſarijs &c. Immò in neceſſitate ineuitabili, quando hic, & nunc operandum ſit, & non pateat aditus ad Doctores, & paſtores quilibet iudicio recto legem de bono, & æquo interpretari poteſt, ut ex communi tradit Marchantius tom. 2. tract. de leg. 3. eſt lex naturalis, ad quam quis in omni perplexitate, tanquam ad rectum rationis dictamen recurrere poteſt, & debet; de prima dicitur Melachiæ. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ex ore eius requirendam precepit* Item Lucæ c. 10. *Qui vos audit me audit & qui vos ſpernit, me ſpernit* &c. De 2. ſcribit Paulus ad Epheſ. c. 4. Chriſtum dediſſe Eccleſiæ, *Quoſdam quidem Apoſtolos &c, alios autem Doctores & Paſtores*. De 3. patet, quia ſignatum eſt ſuper nos lumen, quo diſcernere poſſimus quid hic, & nunc agerę oportet conformiter ad S. Scrip. traditionem, doctrinam, & communem Eccleſię ſenſum. Verùm epikia in lege D. non habet locum; cum ſtrictè ſumpta ſit emendatio legis generaliter expreſsæ in caſu, quem legiſlator non fuiſſet comprehenſurus ſi pręuediſſet; quod in Deo, qui omnes caſus prævidit, & excipiendos excepit, nulla ratione eſt admittendum.

Quæres 3. An Deus ſua potentia abſoluta potuiſſet condere hominem exlegem. Hoc quæſitum à doctiſs. Caramuele propoſitum fuit Louanij Petro Marchant. tunc Commiſſario Generali Ordinis Min. eiuſque reſponſionem ſibi datam ad litteram refert, & ſcribit tom. 3. theol. fundam. his conceptis verbis. Vix à noſtra ſententia Reuerendiſs. Petri Marchant. opinio diſtinguitur, & quia Virum maximi facio, volui eius verba hìc adiungere, ut videat lector candidus quàm altè, & magnificè de Deo ſentiant Scotici, quàm demiſsè Aduerſarij. Ipſe igitur ad mentem Seraphicæ Scholæ in reſolutione ad me data 9. Decemb. 1643. conſultus. An poſſit Deus condere hominem ex legem, & ab omni præcepto liberum? ſic inquit.

Aduertend. legem, & præceptum dupliciter ſumi poſſe. Primò pro regula aliqua directiua ad actionem, vel finem abſque ullo alio formali decreto, vel præcepto, & abſque ulla

ulla obligatione superaddita; nisi solius rectitudinis debitæ inesse actui ex natura sui intrinseca, vel finis, ad quem regula dirrigit, adipiscendi: 2. pro formali decreto, vel mandato sub obligatione alicuius culpæ, vel pœnæ à transgrediente incurrendæ. His sic prænotatis.

Resp. 1. Deum iuxta primam acceptionem non posse condere hominem exlegem. Ratio est, quia cum homo ex essentia sua sit rationalis, supponit ex natura sua rationem, siuè rationalem potentiam, cui intrinsecum est, humanas actiones dirigere, itaut si deficiat, actus rectitudine debita inesse careat, & à fine, propter quem homo conditus est, deuiet. Ratio igitur in homine ex natura, & essentia sua est participatio legis æternæ, & pro officio habet actiones, prout humanæ sunt, & hominem ad finem, ad quem conditus est, dirigere. Et hoc modo implicat, hominem rationalem condi, & sine lege, quæ sit ratio, creari.

Resp. 2. sua infinita potentia posse condere hominem absque adiuncta formali aliqua lege, vel præcepto rationi superaddito, quo transgressor ad culpam, vel ad pœnam obligetur. Ratio est, quia non implicat; & aliàs homo absque tali præcepto verus est homo, rationale animal, Dei imaginem, & similitudinem referens, & beatitudinis æternæ iuxta media ab omnisciente, & omnipotente Deo disponenda per infinitam suam sapientiam capax. Et legem, vel præceptum formale habere superadditum non est hominis essentiæ, & naturæ, etsi à principio conditæ naturæ superaddita sint. Hucusque doctissimus iste Vir, qui, ut videris, sine ulla limitatione de Dei potentia loquitur, & omnia, & singula præcepta potuisse non impònere, affirmat. Ergo ad mentem Marchantij, si legis nomine rationem intelligamus, non potest Deus creare hominem exlegem; quia non potest condere creaturam rationalem sine ratione, intellectualem sine intellectu, album sine albedine. Si autem legis nomine præceptum aliquod morale ab homine realiter distinctum intelligamus, potest Deus creare hominem exlegem: quia talis homo suppositus duas contradictorias non infert, & quidquid contradictionem non inuoluit, potest à Deo fieri: Sic Marchantius.

Quæres 4. In quibus lex noua excellat Veterem.

Resp. in multis legem nouam excellere veterem, quam ex-

excellentiam expressit D. Paulus ad Galat. 3. ad Hebr. 7. 8. & alibi. Et potest talis excellentia ostendi instituendo comparationem. Primò quidem in causa efficiente, nam licet auctor utriusq; legis sit Deus, hoc tamen interest, quod veterem dederit per ministerium Angelorum, nouam autem per unigenitum filium suum, ut tradit Apost. ad Hebr. c.2:2. in causa materiali, eo quia mysteria Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, & alia in lege veteri fuerunt occulta, aut imperfectè cognita, at in Euangelio sunt aperte reuelata. In materia quoque morali supereminet lex noua, nam dirrigit non solum actus externos, sed etiam actus internos iuxta illud Matt. 5. *Nisi abundauerit iustitia, vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in Regnum Cælorum*; ideoque dicitur, quod lex vetus cohibet manum, & lex noua Animum, non quod lex vetus non regularet actus internos; sed quia non ita expressè, & clarè sicut noua. Item sacrificijs, & ceremonijs veteribus propè infinitis successit efficax, & incomparabile sacrificium, & Sacramenta. 3. In causa formali. Lex enim noua non fuit scripta in membranis, aut tabulis lapideis, sed in tabulis cordis, ut ex vaticinio Hieremiæ docet Apost. ad Hebr. c. 8: 4. In causa finali. Quia lex noua est finis veteris, teste Apost. ad Rom. c. 10. *finis legis Christus*. Vnde umbram habet futurorum, & lex noua vocatur ab eodem Apost. consumatio veteris. Quare comparat statum legis veteris, scribens ad Galat. 4. statui pueri existentis sub Pedagogo, statum autem nouæ legis statui Viri perfecti, qui iam non est sub Pedagogo.

Præterea si effectum utriusque legis spectemus; lex vetus continet mandata, non gratiam, qua impleantur; sed hanc ex fide in Christum, & ex lege noua mendicabat iuxta illud Act. 4. *Neque enim aliud nomen est sub Cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri*; At lex noua continet spiritum, & gratiam, & quidem abundantiorem, & maximè in Sacramentis ex passione Christi vim, & efficaciam gratiam producendi habentibus. Plures etiam aliæ differentiæ assignari possent, ex quibus præstantia legis nouæ magis ostenditur; nempe, quod sit magis uniuersalis ex parte locorum, temporum, & personarum. Item, quod sit filiorum, lex autem vetus seruorum. Vnde lex noua fide-

les veluti filios potiùs per amorem, quàm timorem inducit ad sui obseruantiam, scribente Apost. ad Rom. c. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.*

Hinc facilè soluitur illa quęstio; An lex noua sit grauior veteri; & breuiter dicendum cum Scoto in 3. d. 40. q. 1. Quod longè grauior est vetus; grauitas enim alicuius legis in comparatione ad ad aliam ex duobus pendet, nempe ex onere imposito, & ex defectu ad portandum onus impositum. Onera imposita in lege veteri in primis erant moralia, deinde ceremonialia, & iudicialia. De moralibus patet, sicut etiam de ceremonialibus; quia, licet tangere possent mortuum, & huiusmodi, incurrebant tamen ex hoc multas immunditias, ad quarum purgationem, si non faciebant, quod lege mandabatur, peccabant mortaliter; sicut explicatur ibi: *Anima, quæ fecerit, vel quæ non fecerit sic morte morietur, & peribit de populo suo*: quæ est comminatio damnationis æternæ, ut dicit Nicol. de Nyse in hac quæst. Item tenebantur ad omnia iudicialia, vel per se, vel quando per eorum Iudices decernebatur, & maximè per Sacerdotes leuitici generis iuxta illud Deuter. *Omnis Anima, quæ contempserit iudicium Sacerdotis, morte moriatur.* In lege autem noua sunt eadem præcepta moralia, quæ tunc, sed magis explicata. Ceremonialia sunt multò pauciora, & leuiora, quæ imposita sunt per Christum. Iudicialia verò nulla sunt imposita à Christo. Lex enim Christi est lex mititatis, & humanitatis, & iugum suaue, adeout qui illud bono animo portant, reficiantur, ut dicitur Matt. 10. secùs autem de iugo veteris legis; hoc unum sufficiat adnotare cum Gulielmo Paris. nostro Petro Galatino, & Abulensi, quod in lege veteri erant præcepta 613. comprehensis præceptis ceremonialibus, & iudicialibus; ideoque vocabatur lex mandatorum.



DIS-

De lege humana, tam Ecclesiastica, quàm ciuili.

QVÆSTIO I.

Vtrum admittendæ sint leges humanæ præter legem naturalem, & Diuinam.

NOt. ex Scot. in 4. d. 15. q. 2. quod homo in duplici politia spectari potest; altera ciuili ad precisè conuiuendum; altera spirituali ad sanctè viuendum, quare iuxta hanc duplicem considerationem lex humana communiter diuiditur in temporalem politicam, quæ dirrigit, & ordinat hominem ad finem naturalem, qui viribus naturæ haberi potest per morales virtutes, ut refertur de antiquis Philosophis, & etiam de Populo Romano, etsi in tenebris gentilitatis sepultis; & in ecclesiasticam, quæ dirrigit, & ordinat hominem ad finem supernaturalem, idest ad æternam fælicitatem; quæ non viribus naturæ, & philosophicis virtutibus, sed gratiæ auxilio, ac virtutibus theologicis adipisci potest. Quare cum leges Dei eternæ, & naturales, seu lumen naturale ostendant, qualiter homines In suis actionibus se gerrere debent, & sufficienter homines dirrigant ad morum honestatem, & ad ducendam vitam ciuilem, & pacificam, quæritur, qua ratione admittendæ sint, præter leges naturales, & Diuinas, leges humanæ. Hinc enim hæretici temerè contendunt, nullam potestatem legislatiuam dari in hominibus.

Concl. Præter leges naturales, & Diuinas, admittendæ pariter sunt leges humanæ. Ita omnes Theologi. Prob. 1. de lege Ecclesiastica. In S. Scrip. apertè habetur dari in Ecclesia potestatem legislatiuam, nam Io, 20. dicit Christus Petro, *Pasce oues meas*, Act. 20. *In quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; quis autem ignorat, regimen præseferre potestatem præcipiendi, imperandi, & leges ferrendi? Item Paulus 1. ad Cor. ait. *Sicut tradidi vobis precepta mea tenetis*; & in fine capitis. *Cætera cum venero disponam*, prout quoquè 1. ad Timoth. c. 3. & ad Titum 1. disposuit legem de Bigamo non ordinando &c.

Confirmatur ex continuo, & perpetuo usu, & praxi Ecclesiæ; ut videre est in canonibus Apostolorum, Conciliorum generalium, & Pontificum, in quibus multa sunt decreta, & ordinata, quæ in particulari non erant determinata per ius Diuinum, & naturale, & quidem si nil aliud esset, sufficerent præcepta nascentis Ecclesiæ de communione in Paschate, de confessione annua, de ieiunijs, de diebus Dominicis, & festis &c. imò ipsi hæretici semetipsos confundentes dies Dominicos ab Ecclesia constitutos, & varia festa Domini Sabaoth, signanter diem natalem Domini cum sequenti, feriam secundam Paschæ, & Pentecostes, & alia obseruant.

Prob. 2. de lege temporali, seu ciuili auctoritate Scripturæ; nam ad Rom. 13. dicitur, *Omnis Anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: itaquè, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*; ad Titum 3. *Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse*; ita etiam D. Petr. 1. c. 2. Prob. etiam ratione. Si in quauis familia priuata caput eiusdem potest præcipere filijs, & seruis; ergo contra rationem est, huiusmodi potestatem toti Reipublicæ, aut Regno denegare. Tum quia potestas ista usu omnium gentium comprobata nullibi in lege gratiæ abrogatur, immò, magis in allatis auctoritatibus firmatur, & stabilitur, ergo &c.

Cæterùm rationem cur leges humanæ sint admittendæ dat Scot. in 4. d, 26. q. unica. Expedit, inquit Doctor, supra legem naturalem ponere diuinum præceptum, quia homines minus obediunt præceptis legis naturæ, quàm Deo præcipienti, & minanti, & minus timent, ac reuerentur conscientias proprias, quàm auctoritatem Diuinam, ac proinde ex hoc capite fuit necessaria lex positiua D. Necessitas pariter legis humanæ deducitur ex corruptione naturæ humanæ per peccatum originale vulneratæ; unde homines deprauati minus obediunt Deo præcipienti, quàm auctoritati humanæ certis, ac determinatis pœnis in hac vita transgressores punienti, quas Deus non statim infligit. Vnde D. Isid. lib. 5. etymol. ait: *Factæ sunt leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, turaquè sit inter improbos innocentia, & inter ipsos improbos formidato supplicio refrenetur nocendi facultas*, Necessitati additur, & utilitas legis humanæ; cum enim lex naturæ non disponat de omnibus, quæ in varijs cir-

circumstantijs exiguntur (ad omnia namque singularia non descendit) vel pro varietate temporum, vel locorum, vel personarum statibus, & conditionibus, utile fuit per leges humanas determinatè explicare huiusmodi præcepta, eorumque circumstantias.

Arg. hæretici cont. conc. Deus fecit hominem natura liberum, & dedit ei dominium, ut præesset animalibus ut habetur Gen. 1. & non alijs hominibus; ergo &c.

Resp. Deum loc. cit. expressisse, quod natura conuenit omnibus hominibus, non tamen prohibuit, posse inter homines, quamuis natura æquales, ordinem institui, ut unus auctoritatem habeat præsidendi, & alijs imperandi, quod in natura corrupta fuit maximè necessarium. Immò, ut alibi dictum fuit, etiam in statu Innocentiæ, huiusmodi potestas, sine tamen imperfectione morali, locum habuisset, sicut etiam locum habet in Hierarchia Angelica.

Arg. 2. Christus Marci 7. damnat humana præcepta ex c. 29. Isaiæ dicens. *In vanum me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum*; ergo &c. Resp. Christum non damnare leges humanas, cum alibi iusserit reddi Cæsari, quæ sunt Cæsaris; sed redarguere multas, & vanas obseruantias Iudæorum superstitiosas; ideoque dicitur, in vanum &c.

Arg. 3. S. Scrip. facit homines ex leges, ut patet ad Galat. 5. *Vos in libertatem vocati estis*, & ibidem. *Si spiritu ducimini non estis sub lege*. & prima ad Timot. *Iusto non est lex posita*.

Resp. libertatem christiani non consistere in exemptione ab obedientia superioribus præstanda, sed in eo, quod supra explicatum est. Ad 2. dicimus, nos non esse sub lege eo modo, quo erant Iudæi, ideſt tanquam sub Pedagogo; sed potiùs supra legem. Vnde iusto non est lex posita, quatenus pœnas, & terrores minatur, cum iustus leges impleat non formidine pœnæ, sed amore honestatis.

Quæres 1. Quodnam sit ius canonicum.

Resp. licet ius canonicum, seu Ecclesiasticum latè sumptum comprehendat leges Pontificias, & Episcopales; tamen Ius canonicum simpliciter stat pro illo, quod continetur in his voluminibus, nimirum in Decreto Gratiani, Epistolis Decretalibus Gregorij IX. Sexto Decretalium Bonifacij VIII. Clementinis, & in extrauagantibus, tum Ioan. XXII. tum communibus.

Decretum fuit compilatum à Gratiano Monacho Benedictino circa annum 1150. ut refert Herincx, & ab Eugenio III. approbatum, immò, & legendum Gymnasijs publicis concessit, ac postremò auct. Greg. XIII. recognitum, ac retineri mandatum; Hoc autem Decretum diuiditur in tres partes. Prima continet dist. 101. diuisas in capita, seu canones, in quarum viginti prioribus agitur de iure in genere; in reliquis verò de Personis, seu Ministris Ecclesiasticis. 2. complectitur causas 36. quarum singulæ diuiduntur in quæstiones, & quælibet quæstio in capita, & tractatur de ijs, quæ ad formam, & materiam iudiciorum sub ecclesiastica potestate cadentium spectant. Causa vero 33. quę est matrimonialis quæst. 3. continetur; tractatus de pœnitentia diuisus in septem distinctiones, quæ subdiuiduntur in capita: 3. pars continet tractatum de consecratione diuisum in quinque distinctiones, & quælibet distinctio in capita, in quibus agitur de consecratione Ecclesiarum, celebratione missarum, Eucharistia, festis, & Ecclesiasticis ceremonijs, baptismo, confirmatione, & ieiunijs. Loca ex 1. p. desumpta citari solent hoc modo can, vel cap. Humana dist. 1. ex 2. p. sic can. vel c. Quicunque studet 1. q. 1. idest causa prima q. 1. Capita verò tractatus de Pœnit. solent sic alligari. can. vel c. Reperiuntur de Pœnit. dist. 3. & capita tertiæ partis citantur sic can. vel c. Vasa de consecrat. dist. 1. Cæterùm sunt etiam quædam, quæ appellantur Paleæ; quid verò nomine Palleæ intelligendum veniat, sub quo nonnulla Decreti capita inscribuntur, variant Interpretes. Miranda in manual. Prælat. tom. & Herincx in disp. 2. de leg. humana tradunt ex communi sententia esse additiones quasdam ad primam collectionem postea factas, siue ab ipso Gratiano, siue ab alio; quæ quidem paleæ non sunt contemnendæ, cum ipsæ ut notat Herincx, reperiantur in Decretalibus, & apud vestutiores Gratiano Collectores.

Decretalium autem compilatio prodijt mandato Greg. IX. per Raymundum de Pennaforti ex Ord. Prædicatorum Capellanum eiusdem Pontificis, & S. R. E. Pœnitentiari[illegible] ex varijs, tum eiusdem, tum aliorum Pontificum Epistolis, constitutionibus, & Concilijs, iam inde ab Alexand. III. usque ad Greg. abrogatis per ipsum anteriori-

bus

bus Decretalium compillationibus, quæ variæ erant. Edidit autem hoc opus sub nomine Decretalium, non solùm ad distinctionem Decreti Gratiani, sed etiam, quia duplo plures continet Epistolas Pontificum, quàm sint reliquæ auctoritates simul sumptæ. Vnde Decretum Gratiani continet longè plura Conciliorum Decreta, quàm Pontificum constitutiones, vel Decretales Epistolas. Corpus igitur Decretalium constat quinque libris, in quibus ipsa Iuris Pontificij materia ad res forenses accomodatè disponitur. In primo quidem libro agitur de Personis, penes quas est iurisdictio aliqua, nec non de Iudiciorum præparatorijs. 2. de ordine Iudiciorum. 3. de rebus Ecclesiasticis, quæ in iudicium venire solent. 4. de sponsalibus, & matrimonio. 5. de criminibus, & pœnis. Vnde versus.

Iudex, Iudicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Prædicti autem libri vocari solent extra, & ita apud Antiquiores præsertim citantur, eò quod sint extra corpus canonicum Gratiani tempore prius. Hodie tamen plerumque citatur sine addito, e. g. c. tua nos de iureiurando, & per excellentiam indicantur hic libri. Simpliciter etiam sæpè citatur solus numerus capitis e. g. c. 2. de pactis c. final. de Rescriptis. Si verò sub eodem titulo sint diuersa capita, quæ eamdem vocem initialem habent, citatur simpliciter numerus capitis, vel certè, quorum sit caput ità incipiens c. g. dilectus 1. de Simonia c. dilectus 2. de Simonia. Sextus Decretalium à Bonifac. VIII. ex Concil. Lugdun. decretalibus Epistolis Pontificum Gregorij successorum, immo & nonnullis ipsius Gregorij nouellis constitutionibus collectus, multis etiam ipsius Bonifacij constat totidem libris, quot Decretales Greg. IX. cuius citatio fit eodem modo, quo citantur Decretales excepto, quod capita, & tituli huius libri citentur cum addito, dicendo in sexto sic v. g. cap. Volentes de priuil. in 6. Clemens V. paulò post edidit pariter constitutiones, partim suas, partim ex Concil. Vien. cui præfuit, desumptas; quas, ipso mortuo, absoluit, & publicare fecit Ioannes XXII. & ab ipsarum Authore Clementinæ dictæ sunt, & citantur sic. Clement. dudum de Sepult. Denique Ioannes XXII. edidit constitutiones viginti, & post ipsius obitum diuersæ à diuersis Pontificibus exierunt, quæ extrauagantes di-

ctæ sunt, quia, licet nunc sint de corpore Iuris, tamen aliquamdiù extra illud extiterunt, & solent sic citari Extrauag. Vnigenitus, idest Constitutione extrauaganti sub titulo unigenitus.

Petes. An omnia, quæ continentur in iure canonico, ad sui obseruantiam obligent.

Resp. 1. quod libri Decretales, seu Decretalium, sextus, Clementinæ, & aliæ extrauagantes, seu Constitutiones, quæ reperiuntur insertæ in Corpore iuris canonici, & aliæ constitutiones aliorum Sum. Pontificum, qui postea successerunt, indubiè ab omnibus obseruari mandantur, cum fuerint factæ ab habentibus auctoritatem leges ferendi, & fuerint promulgatæ &c. Resp. 2. quod de Decreto Gratiani posset meritò dubitari, an omnia in eo inserta usque ad ipsas Patrum sententias habeant vim legis communis. Affirmarunt nonnulli, quos refert, & sequitur Felinus in c.2. de Rescrip. sed infundatè, ait Herincx, rationem assignans. Nam, cum Gratianus priuato studio Decretum collegerit ex constitutionibus Sum. Pontificum, Conciliorum, tum Generalium, tum Prouincialium Episcoporum, ac iuris ciuilis, & Patrum sententijs, nonnulla etiam adijciens de suo, ad ordinis rationem, & connexionem capitum, ac eorum conciliationem, quæ sibi inuicem aduersari videbantur, non potuit ijs à se collectis attribuere potestatem, quam ipse non habuit. Quarè non alia Canonum ibi contentorum est auctoritas, quam fontium, unde manarunt. Quarè nec leges ciuiles, per hoc, quod in Decretum sint coniectæ, censeri debent canonizzatæ; cum Gratianus auctoritatem nō habuerit illas in numerum Sacrorum canonum referendi. Nec refert, quod Greg. XIII. illud emendatum retineri iusserit, nec non vetuerit ei addi, vel quid quàm detrahi; nam hoc nihil facit ad confirmationem singulorum in eo contentorum; & non alio id fine factum, quàm ut fides sit penès Auctorem: ita discurrit Herincx cum Couar. Zoesio, Vallensi, & alijs.

Quæres 2. Quodnam sit ius ciuile.

Resp. Corpus Iuris ciuilis pluribus libris comprehenditur, nempe Institutionum, Digestorum, seu Pandectarum, Codicis, & Nouellarum. Institutiones, velut prima Iurisprudentia elementa, ac legum, præambula quatuor libris

continentur, in quibus compendiosè explicantur Iuris principia; & solent citari sic. Instit. de iust. & iure. Pandectæ quasi volumen omni scientiarum genere, & doctrina refertum, suo Digesta, quòd ex immensa, & confusa multitudine voluminum veteris iurisprudentiæ præcipua capita sint in hoc opus digesta; & citantur per duplex ff. Vnde si citetur sic l. omnes Populi ff. de iust. & iure; quærenda est lex, quæ ita incipit in lib. Digestorum sub tit. de iust. & iure. Codex quidem unus constitutionum Imperialium à Iustiniano anno 3. Imperij editus fuit; sed anno sexto postea emendatus prodijt, additis, detractisq; quamplurimis; quam id vocant Codicem repetitæ lectionis. Is continet libros duodecim; & citari solent, uti leges Digestorum, idest per C. magnum, quod significat Codicem. Accesserunt deinde Nouellæ Constitutiones Iustiniani post editionem recogniti Codicis factæ, quæ citari solent v.g. Nouella 66 §. igitur etiam; vel Auth. idest authentica constitutione, ut factæ nouæ constitutiones 66. inter Nouellas Iustiniani. Cæterum de his omnibus non est dubitandum, quin habeant plenariam Iuris auctoritatem; Antiquiora tamen recentioribus cedunt, ac proinde Digesta Codici, Codex Nouellis; an autem instituta cedant Digestis, Zoesius, & alij, ut refert Herincx, censent per Instituta derogare Digestis, eo quòd sint posteriora.

QVÆSTIO II.

Quænam sit materia legis humanæ.

NOt. 1. Quòd, ut alibi notatum fuit, actus sunt in triplici differentia, alij siquidem sunt honesti, vel boni, alij inhonesti, seu mali, & alij sunt indifferentes. Certum est, legem humanam non posse præcipere actus, seu actiones malas, talis enim lex esset contra primum principium morale, & diuinum: declina à malo: etsi impius Machiauellus ausus fuerit, dicere, ob bonum publicum posse à Principibus mala præcipi, & contraria veræ Religioni præcepta ferri, quod etiam Politici moderni amplecti non verentur.

Not. 2. Quòd leges humanæ non omnia vitia debent co-

hibere, sed tantum grauiora, & à quibus communitatis maior pars per legem poterit abstineri. Quare D. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 5. ait, *Humanas leges multa concedere, atque impunita relinquere quæ per diuinam prouidentiam vindicantur.* Tum quia, ut ipsa ratio ostendit, humanæ leges debent hominibus imponi iuxta eorum conditionem, & capacitatem, & fragilitatem, unde D. Isid. docuit, quod lex adhoc ut recta sit, esse debet possibilis secundum naturam, sed secundum hominum naturam labilem nequeunt omnes uniuersim homines ab omnibus vitijs abstinere, id namque reseruatur iustis, & perfectis; ergo per leges non omnia vitia debent cohiberi, sed satis est, maiora, & grauiora.

3. I. Concl. Lex humana potest præcipere, vel prohibere actiones ex natura sua indifferentes. Prob. communi ratione; lex humana præcipere, & prohibere potest omne id, quod potest esse utile communitati, & maximè si conducat ad bonum spirituale, sed actiones indifferentes quandoque possunt ita se haberi in ordine ad communitatem, ergo &c. patet etiam conclusio ex usu, & praxi. Etenim Princeps Ecclesiasticus vetat quaſdã actiones indifferentes, & præcipit, quæ hic, & nunc conducunt ad bonum Animæ. Vetat loqui e.g. cũ monialibus, quæ quidem locutio, in se absolutè spectata, est indifferens, nec bona, nec mala; nihilominus ratione circumstantiarũ potest esse mala; ac proinde huiusmodi prohibitio in bonum commune spirituale refertur.

II. Concl. Humanæ leges omnium virtutum actus præcipere possunt, & debent; hoc videlicet sensu, quod nulla sit virtutis species, de cuius actibus in communi, humanę leges non constituantur. Est D. Thomæ 1.2. q. 96. Herincx l. c. Mirandæ, & videtur communis. Prob. 1. ex Arist. qui lib. 5. Eth. c. 1. ait. *Leges ad communem vtilitatem omnium constitui, d: omnibusque debere dictare; & subdit, lex præcipit, fortis opera facere, & quæ temperati; & quæ mansueti, similiter, & alias secundum alias virtutes, & malitias, quædam quidem iubens, quædam autem vetans, & prohibens*, & Plato Dialogo 1. de leg. *Eos, qui de Diuina Republ. disserunt non ad particularia virtutis, & præsertim ad vagationem, sed ad vniuersam ipsos virtutem respexisse putandum, & per singulas earum species leges quæsisse.*

Prob. insuper ratione. Nam cum virtutum omnium species, ratione obiectorum distinguantur, & nullum sit obie-

ctum virtutis, quod ad bonum commune referri non possit, rectè infertur, quod leges de omnium virtutum actibus debent præcipere saltem in communi; quàmuis leges humanæ non debeant præcipere de omnibus singularum virtutum actibus in particulari. Sensus igitur conclusionis, & huius ultimi dicti est, quod leges debent quidem præcipere de aliquibus actionibus singularum virtutum; non tamen de omnibus, aut de singulis in particulari; sit exemplum in materia fortitudinis. Præcipit humana lex etiam cum mortis periculo Rempubl. esse defendendam, non autem dat hoc præceptum de amico, etsi id quoque spectet, vel spectare possit pariter ad fortitudinem, sed hoc relinquitur legi naturæ. Item in materia temperantiæ. Præcipit Ecclesia, quod certis diebus à fidelibus ieiunetur, at reliquo temporis anno, temperatè, & moderatè comedatur, relinquendo hoc legi naturæ. Itaque lex humana eas solas actiones præcipere debet, quæ ad commune bonum ordinantur, vel referri possunt mediatè, vel immediatè.

III. Concl. Lex humana sub propria ratione legis non respicit nisi actus futuros. Prob. Nam sicut frustra datur consilium pro illis, quæ iam transierunt, vel fiunt, neque sunt amplius in nostra potestate; ita pariter frustra pro illis datur præceptum, aut lex. Tum quia lex est regula actionum humanarum, ac proinde lex debet illis præcedere; non enim potest homo se dirrigere iuxta regulam, quæ non dum extat. Notanter dicitur sub propria ratione legis; eo quia potest superior per legem, quatenus habet rationem sententiæ disponere aliqua circa præterita, ea puniendo, vel irritando; sicut hoc potest sine lege per sententiam, quam vocant ab homine; quo sensu intelligenda sunt iura c. 2. & c. final. de constit. & l. leges c. de legibus: ita tenet Panormitanus, cum communi Iurisperitorum, qui in cap. final. eod. tit. ait, quod lex siue constitutio iuris antiqui declaratoria, addens nouam pœnam non extenditur respectu pœnæ ad præterita, immò respectu dictæ pœnæ censetur quasi lex, & constitutio noua: Et in fine d. cap. addit, quod ubi lex, siue constitutio est iuris naturalis declaratoria extenditur etiam ad præterita; quia ibi solummodò declarat, & nihil de nouo inducit iuxta id, quod habetur in iure in l. hæredes palam ff. de testamentis.

Vtrum lex humana præcipere posſit actus internos.

NOt. 1. Quòd actus humanus, alius eſt internus, & alius eſt externus; prior eſt ille, qui elicitur à potentijs internis, quales ſunt intellectio, volitio, & imaginatio; poſterior eſt, qui producitur à facultatibus, ſeu potentijs externis, quales ſunt operationes quinque ſenſuum externorum. Inſuper actus interni, vel ſunt purè interni, abſq; ulla prorſus connexione cum externis, vel non ſunt purè interni, ſed quandam connexionem habent cum externis. Duplici autem modo poteſt actus internus connecti cum externo, nempe, vel per ſe, vel per accidens. Tunc per ſe connectitur cum externo, vel quando eſt cauſa, & veluti forma illius, qua ratione voluntas adulterandi connectitur cum adulterio actuali: vel quando eſt conditio neceſſariò requiſita ad ſubſtantiam actus exterioris in genere moris conſiderati; quo pacto attentio connecti debet cum oratione vocali, & dolor internus contritionis cum confeſſione ſacramentali, & intentio baptizandi cum actione externa.

Not. 2. Quòd magnum diſcrimen eſt inter actus internos, qui connectuntur per ſe cum externis, & inter eos, qui per accidens tantum; nam primi ſufficienter manifeſtantur per exteriores, volitio enim furandi apertè manifeſtatur per furtum, quod externè perpetratur; at ſecundi non ſufficienter manifeſtantur per exteriores, recitatio ſiquidem exterior officij non ſufficienter manifeſtat attentionem, & deuotionem, cum poſſit eſſe ſine illis. Rurſus actus internus poteſt connecti cum exteriori non per ſe, ſed per accidens, etiam quantum adeſſe morale actionis, ſicut motiuum pœnitentiæ per accidens coniunctum eſt cum externo ieiunio, & motiuum vanæ gloriæ largitioni eleemoſynæ. Quæſtio igitur præſens procedit de omnibus recenſitis actibus, an videlicet lex humana poſſit illos præcipere, tam directè, quam indirectè.

I. Concl. Lex humana, ſiue ciuilis, ſiue canonica non poteſt directè præcipere actus internos nullam connexionem habentes cum externis. Eſt communis ſententia

Theo-

Theologorum contra Medinam eod. de tract. q. 15. De lege ciuili patet, & nulla est difficultas, quia hæc proximè respicit tranquillitatem, & pacem externam Reipubl. quæ à solis actibus exterioribus pendet: itaque probatur quoad legem Eccles. Lex humana nequit ferri nisi de actibus, de quibus Iudex humanus potest punire transgressores, quia ut docet Arist. lib. 10. Eth. c. 5. legislatiua potestas debet necessariò coniunctam habere potestatem coactiuam, aliàs esset inefficax, ac proinde inutilis, sed in Ecclesia non est potestas puniendi actus merè internos, quia, ut habetur cap. erubescant dist. 13. Ecclesia non iudicat de occultis, ergo &c.

II Concl. Actus interni coniuncti per se cum externis possunt præcipi à lege humana. Est communis. Prob. lex est regula actuum humanorum, sed actus humani esse nequeunt sine aliquo actu interiori, cum quo habet connexionem, ergo lex humana præcipiendo, vel prohibendo actum externum, velut regula prohibet, vel præcipit actum internum, qui requiritur, ut actus externus sit humanus, & voluntarius. Vnde si Ecclesia præcipit auditionem sacri, præcipit intentionem illud audiendi. Similiter si prohibet comestionem carnis, etiam prohibet propositum illam comedendi, estò propositum non prodeat in actum externum. Huic tamen doctrinæ contradicunt nonnulli Doct. inter quos est Meratius de leg disp. 11. sect. 3. Becan. c. 6. de leg. hum. q. 5. ut refert, & sequitur Stephan. à S. Paulo in theol. moral. disp. 3. de leg. hoc videlicet fundamento, quia de actu efficaci interno, si in nullum actum externum prodeat, non potest homo ferre legem, cum nequeat illum iudicare.

III. Concl. Quando actus interni coniunguntur cum externis, tanquàm necessarijs ad aliquod esse morale, vel quasi artificiale illius, possunt esse materia legis humanæ, ac proinde præcipi, vel prohiberi. Ita communior sententia. prob. Ad verum contractum per exteriora verba faciendum est necessarius consensus interior, sed Ecclesia, & Respubl. in multis casibus potest præcipere suis subditis, ut verè contrahant; ergo & potest præcipere illum interiorem consensum. Confirm. Etenim ad cultum Religionis in Ecclesia Dei necessarium, necessaria quoque est in Ec-

clesia potestas præcipiendi actus externos Sacramentorum, Sacrificij, Orationis &c. non tantùm secundùm materialem entitatem, qua perficiuntur, & constant, sed etiam secundùm esse formale talis entis moralis; vel quasi artificialis, videlicet, validitatis Sacramenti, & Sacrificij; at hoc esse morale Sacramenta habere nequeunt nisi dependenter ab actu interiori voluntatis, ergo ut sic possunt esse materia legis humanæ. Vnde infertur; Recitantes horas canonicas, vel audientes Sacrum cum voluntaria distractione non implere præceptum, & consequenter peccare mortaliter, & teneri fructus beneficij restituere, quod euidenter deducitur ex cap. Dolentes de celebratione Missarum ubi præcipitur, ut officium diuinum celebretur studiosè pariter, & deuotè.

IV. Concl. Quàmuis 3. concl. sit probabilior, nihilominus probabile est leges humanas non posse præcipere, nec prohibere actus internos, qui cum exterioribus per accidens coniunguntur; ac proinde qui recitaret horas canonicas, & sacrum audiret, & similia voluntaria distractione satisfaceret præcepto, nec teneretur ad fructuum restitutionem. Ita quam plures Recentiores, quos plena manu citat Diana, & signanter Enriquez lib. 11. de missa tom. 2. Less. lib. 2. c. 37. dub. 11. Layman lib. 4. tract. 1. c. 5. hac ratione ducti: quia lex hnmana non potest præcipere, nec prohibere quod non potest punire, nec punire quod cognoscere, ac iudicare nequit: sed nulla potestas humana potest cognoscere, ac iudicare actus internos; ergo nec eos præcipere, aut prohibere. Quare in cap. Dolentes cit. iuxta hanc opinionem solùm præcipiuntur actus studiosi interni, ut videlicet cum talibus circumstantijs exerceantur, quæ ad actum Religionis externum necessariæ sunt, & dumodo non fiat aliqua actio, quæ sit incompossibilis cum externa attentione, qualis esset confabulatio, visio, & similia.

Arg. 1. cont. 1. conc. Ecclesia propria auctoritate potest reseruare peccata merè interna, ergo &c. Resp. neg. cons. Nam reseruatio non fit præcipiendo, vel prohibendo actum internum, sed negando potestatem absoluendi, si fortè pœnitens habeat tale, vel tale peccatum.

Arg. 2. Ecclesia punit actus merè internos, nam cap. Excommunicamus §. credentes 13: de hæreticis excommunican-

cantur credentes hæreticis, & idem habetur in bulla Cœnę.

Resp. neg. assumptum, eò quòd per credentes intelliguntur, qui verbis, vel factis assentiuntur hæreticis, ut condistinguantur ab illis, qui hæresim docent, aut diuulgant, ut patet in iisdem allegatis canon.

Arg. 3. In Clement. de hæret. §. Verùm excommunicantur Inquisitores procedentes, vel procedere omittentes ex odio, aut simili prauo affectu; sed prauus affectus est actus internus; ergo &c. Resp. quòd intelligitur de prauo affectu cum actione externa coniuncto. Quare regula generalis est, quòd, quotiescunque Ecclesia videtur præcipere, aut prohibere actus internos, vel intelligi debet de actibus internis per externa signa manifestata; vel dicendum Ecclesiam hic, & nunc non ferre aliam legem, sed tantùm explicare quid iuxta naturam rei, vel præceptum D. fieri oporteat.

DISPVTATIO V.

De ijs, qui legibus subijciuntur.

QVÆSTIO I.

Vtrum Princeps, seu legislator teneatur suis legibus.

NOt. Quòd apud omnes Doct. pro certo habetur Principem, supposita sua lege taxante pretia rerum, teneri ad eam obseruandam; sicut etiam indubiè peccaret, si contractibus à se cum suis subditis initis non staret; quia naturalis iustitia exigit, ut æquè liberè contrahentes simul, equè grauiter per contractum ligentur. Itaque difficultas est: An legislator teneatur suis legibus, quæ equè ad ipsum, quàm ad subditos spectant, præter superiùs excepta; & præter eas leges, quæ ipsi Principi nec conueniunt: nec accomodari possunt; ut leges statutæ pro sutoribus, vel sartoribus, de non utendis vestibus sericis, de non portandis armis &c.

I. Concl. Vbi ipsa communitas leges condit, seu ubi Populus sui ipsius habet gubernationem; nec non ubi communitas gubernatur per Senatum, seu per aliquos Primates, communitas, & tales Primates obligantur directè suis le-

legibus. Prob. Nam singuli in particulari sunt inferiores, & subditi talis Communitatis, vel Senatus, sed certum est subditos directè obligari legibus suorum superiorum, ergo &c. Nec refert, quod ipsi cæteris coniuncti leges ferant, quia ut sic non sunt singuli in particulari, sed sunt ipsa communitas, vel Senatus, quam communitatem, vel Senatum singuli in particulari habent supra se, tanquàm suum superiorem. Ita passim Doctores.

II. Concl. Legislator, ut Rex, seu Princeps absolutus, tam ciuilis, quàm Ecclesiasticus non tenetur suis legibus, quoad vim coactiuam, benè tamen quoad vim dirrectiuam. Hęc pariter est communis sententia, maximè Theologorum. Prob. quoad 1. p. Aliquem obligari legibus quoad vim coactiuam, nil aliud importat, quam à potestate superiori posse cogi, & puniri ob legis transgressionem: sed Princeps absolutus nullum alium superiorem agnoscit, quàm Deum; ergo non potest ab ulla potestate cogi, & puniri; non enim ab alio Rege, quia in parem non habet potestatem; neque idem Princeps in se ipsum; nemo enim dicitur habere in seipsum imperium coercitiuum; neque ab ipsa lege, cum lex non habeat talem vim coactiuam, nisi ex potestate ipsius Principis. Vnde legislator non incurrit pœnas suam legem transgrediens, quæ pro transgressoribus sunt ab eodem Principe absoluto, & independenti statutæ. Prob. quoad 2. p. Aliquem ligari legibus secundùm vim dirrectiuam nil aliud est, quàm eas teneri in conscientia seruare; sed de iure naturæ membra se debent capiti conformare, illius leges obseruando: ergo & caput ex eadem lege tenetur membris accomodari simul cum illis proprias leges obseruando. Quarè in l. C. de leg. habetur. *Digna vox maiestate Regnantis, alligatum se legibus Principem profiteri*: & cap. cum omnes de constit. *Quod quis quis iuris in alterum statuit, ipse debet uti eo*: & ibidem ex Catone. *Patere legem, quam tu ipse tuleris*; & denique cap. iustum est d. 10. ex Isidoro. *Iustum est, Principem legibus ob temperare suis*.

Cæterum, licet Doct. omnes conueniant, Principem secundum vim dirrectiuam teneri &c. discordant tamen in assignanda ratione talis obligationis. Quidam namque censent non desumi huius obligationis radicem directè, &

im-

immediatè ex efficacia propriæ legis, ſed quia eſt indecens, legislatorem non ſeruare quod alijs præſcribit, quando ſubeſt ratio, qua ſtringit ipſum lex naturæ ad ſui obligationem, quæ quidem obligatio cum ſit iuris naturæ, videtur ſolum eſſe decentiæ, & honeſtatis. Ita Leſſ. Azor. Bonac. & alij: immò Diana part. 11. tract. 7. varijs Iuriſperitis citatis, reſoluit, Principem ſupremum contraueniendo ſuæ legi abſque ſcandalo, nunquam peccare mortaliter, quia tunc, inquit, illa naturalis æquitas non obligat grauiter. Verum alij aliter ſentiunt.

Dices, in l. Princeps ff. de lege dicitur, Princeps legibus ſolutus eſt. ergo non tenetur &c. Reſp. legem allegatam intelligi quoad vim coactiuam; non autem quoad vim dirrectiuam.

QVÆSTIO II.

Vtrum Clerici teneantur legibus ciuilibus, & Religioſi legibus Synodalibus.

NOt. 1. Quòd nomine Clerici veniunt omnes ij, qui iuxta Eccleſiæ morem cultui diuino ſunt dedicati; & in ſortem diuinam vocati, quod fit per tonſuram Eccleſiaſticam, aut ingreſſum approbatæ Religionis, ſiue quis ſit profeſſus, ſiue nouitius, aut conuerſus, qui apud nos dicitur laicus, ut condiſtinguitur à Clerico religioſo. Itaque omnes iſti ſunt exempti à poteſtate laica, & ciuili, ut clarè conſtat ex multis capitibus iuris, & ex Trident. ſeſſ. 25. c. 20. An verò hæc immunitas, ſeu exemptio ſit de iure Diuino, vel Humano, controuertitur à Doct. communis tamen opinio, & probabilior eſt, eſſe huiuſmodi immunitatem de iure humano; cum de iure Diuino non conſtet ex S. Scrip. aut Eccleſiaſtica traditione, maximè cum ſit communis doctrina, Chriſtum in noua lege non tuliſſe præcepta poſitiua diſtincta à Sacramentalibus. Similiter nec ratio naturalis, etiam ſuppoſita fide, dictat hanc exemptionem eſſe ſimpliciter neceſſariam, Quarè, ut notat Hetincx, olim Eccleſia ex agris ſuis pendebat tributum Imperatoribus Chriſtianis, ut patet cap. Si tributum 11. q. 1. & c. tributum 23. q. 8. Et quamuis talis immunitas à Principibus Eccleſiæ donata fuerit, non poſſunt tamen Principes

eam

eam reuocare, sicut sine sacrilegio nequeunt agros semel donatos Ecclesiæ repetere; præsertim cum exemptio ista sit concessa etiam potestate Pontificia, nec non Conciliorum roborata, & firmata, cui nequit potestas sæcularis derogare. Itaque exemptio in materia spirituali est iuris D. in reliquis consona æquitati naturali.

Not. 2. Quod Ecclesiasticorum exemptio à legibus ciuilibus non ita latè, atquè indistinctè protenditur, ut eximat ipsos ab obligatione, qua aliàs tenentur ex iustitia, atque ratione naturali; esset enim huiusmodi exemptio quodammodo irrationabilis; per quam Reipubl. membra (quales sunt etiam Ecclesiastici, & Regulares) in nulla re subderentur Principibus, & potestatibus sublimioribus, saltem ut alij ciues in ijs, quæ spectant ad iustitiam naturalem, quæ in bonum communitatis habet ordinare eius membra. Difficultas igitur non est de legibus repugnantibus libertati Ecclesiasticę, sed de legibus, quæ decent etiam Ecclesiasticos; An ad eas seruandas teneantur quoad vim dirrectiuam; certum est enim non teneri ex vi legis, seu quoad vim coactiuam; cum non possint cogi, ac puniri à Principibus, quorum non sunt subditi cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de constit. *Iurisdictio autem sine coactione inutilis censetur l. final. ff. de eo, cui mandata est iurisdictio.*

I. Concl. Clerici obligantur quoad vim dirrectiuam non minus, ac sæculares ad leges ciuiles generaliter latas, & bono publico utiles. Est communis sententia contra Nauar. conf. 3. de constit. putantem Clericos non obligari simpliciter legibus ciuilibus. Et contra Bonacin. & alios existimantes, Clericos ex sola æquitate naturali, nempe ex ratione conformitatis ad alia membra Reipubl. obligari ad leges ciuiles, ac proinde peccare venialiter tantum, si eas non obseruent. Excipiunt tamen contractus quoad valorem pretij, & similia, censentes in his grauiter peccare, sed contra legem naturalem iustitiæ. Prob. conc. Nulla apparet ratio eximendi Clericos à legibus non repugnantibus libertati Ecclesiasticæ; immò rationabilissimum est, ut Clerici quoad vim dirrectiuam illas obseruent, tanquam membra, & ciues, ergo &c. æquum est, ut huiusmodi legibus ligentur; alioquin maxima foret turbatio in laicorum commercijs cum Clericis, ut consideranti patet, ac proinde in

re.

re graui peccant mortaliter. Immò Præpositus q. 95. disp. 4. dub. 3. & plures alij Theologi, & canonistæ, ut refert Herincx, existimant, vim obligandi Clericos fundari in approbatione superiorum. Et Salas cum multis alijs satis probabiliter tradit, Clericos ad similes leges ciuiles obligari directè ex vi ipsarum legum: ita etiam Bontempio.

Cæterùm Clerici legibus ciuilibus generaliter latis contrauenientes non possunt puniri à potestate ciuili, sed à potestate ecclesiastica dumtaxat. Potest tamen Iudex sæcularis capere Clericum in fragranti crimine repertum, & ipsum ducere ad superiorem, ut tradunt noster Oritz in sum. c. 4. Nauar. in manuel. c. 17. Bonac. de leg. disp. 10. q. 2. p. 1. §. 1. & alij, quia in tali captura nihil fit contra immunitatem Ecclesiæ, ut etiam ostendit Diana tract. 2. de immunit. resol. 11. Similiter potest Clericus à Iudice sæculari capi ob delictum commissum ad effectum illum remittendi ad Iudicem ecclesiasticum; quia in tali casu, si de fuga sit suspectus capi, & carcerari potest Glos. in cap. cum non ab homine. Item quando agitur de delicto committendo, & tunc ut obuietur delicto futuro, potest capi. Abbas in cap. cit. Pariter si Clericus die, seu nocte incedat cum armis prohibitis, capi potest, & duci ad Iudicem ecclesiasticum, ut puniatur. Abbas cap. cit. & Couarr. pract. q. 33. An verò possit Princeps impedire Clericos ad transgressionem suæ legis paratos, dubium est. Et quidem Herincx affirmat, quia auferre à Clerico arma, aut merces, quæ contra prohibitionem defert, sic non est punire, sed solum impedire legis transgressionem, teste etiam Couarr, idque per viam puræ defensionis; licet arma, aut bona ablata non possint retineri, vel fisco tradi; Alij verò ut Megala in 3. p. lib. 3. c. 11. Alterius de cens. t. 1. Diana tract. 2. de immunit. resol 16. relati à Malet. lib. 3. p. 1. tit. 70. negant, à Principe auferri posse triticum quod à Clericis extra territorium exportatur, quia Clericus vi coactiua non tenetur statutis laicorum.

II. Concl. Religiosi exempti, quales sunt Mendicantes, & plures alij, gaudent non solum immunitate Ecclesiastica communi; sed insuper non obligantur legibus Episcoporum, aut Synodorum etiam Prouincialium... st contra Lezanam, & nonnullos alios. Prob. Religiosi exempti non

sunt propriè pars alicuius Diœcesis, cum nulli Episcopo subiaceant, sed imediate ipsi sum. Pontifici, & Sedi Apostolicæ, ut sapienter ostendit noster Rodriquez tom. 2. q. q. Reg. q. 63. art. 3. ubi solum excipit Legatos à latere, & illos, quibus super exemptos à Sede Apost. specialis delegatur facultas; prout etiam à Trid. conceditur Episcopis circa obseruationem festorum Episcopalium, & nonnulla alia, ut videre est apud Rodriq. ergo Regulares non tenentur legibus supradictis: facit adhoc etiam regula iuris, nempe exceptio firmat regulam in contrarium, ergo cum Trident. facultatem specialem conferat Episcopis, ut in quibusdam obligare, & cogere possint Religiosos, consequens est ipsos esse à reliquis simpliciter exemptos.

Confirmatur. Quia status religiosus est planè disparatus, & specialibus legibus adstrictus, ac proinde inter Clericos, & ipsos non debet esse omnimoda conformitas; prout non obligantur nouitij ad obseruanda præcepta Professorum eò quod non sint in eodem statu cum professis; ergo nec Religiosi exempti obligantur legibus Synodalibus &c.

Quæres. An Clericus coniugatus gaudeat ijsdem priuilegijs, & immunitate, quibus gaudet Clericus non coniugatus, Resp. Clericus coniugatus gaudet tantum priuilegio canonis, ut nimirum percutiens illum incurrat excommunicationem canonis. *Si quis suadente Diabolo &c.* & fori quoad causas criminales, adeòut pro illis nequeat trahi ad tribunal sæculare, siue agatur criminaliter, idest ad vindictam, siue ciuiliter, id est ad reparationem damni illati, hac tamen lege, ut deferat habitum, & tonsuram, & non sit bigamus cap. 1. de Clerico coniugato in 6. & ex Trid. sess. 23. c. 6. Quoad causas autem ciuiles ortas ex contractu, vel quasi contractu non gaudet Clericus coniugatus priuilegio fori, sicut nec sunt immunes à gabellis, & tributis, & oneribus Reipubl. ideoquè contrauenientes possunt capi, & puniri à Iudice sæculari d. cap. de Clerico coniug. At mortua uxore censetur etiam immunis à solutione gabellarum, & gaudet omnibus priuilegijs, quibus gaudent Clerici. Abbas in cap. Clericus 2. n. 4. de vita, & honest. Clerici.

QVÆ-

Vtrum Aduenæ, & Peregrini teneantur legibus, tã proprij territorij, quam loci extra suum Territorium.

NOt. 1, Quod nomen Aduena sumi potest dupliciter, nempe propriè, & impropriè; posteriori modo ille dicitur Aduena, qui non est ciuis, sed extraneus, seu externus; priori modo dicitur, qui ex uno longinguo loco in aliquod oppidum venit, teste Calepino verbo Aduena. Nomen Peregrini pariter sumitur dupliciter, generaliter, & specialiter, seu largè, & strictè; largè, seu generaliter dicitur Peregrinus quicunq; ab aliquo exiens loco ad alium pergit; talis enim quousque ad suum locum redierit, peregrinari censetur; strictè vero, seu specialiter appellatur, qui ad præsentiam Domini Papæ accedit, vel ad visitanda limina Apostolorum Petri, & Pauli, vel aliorum Sanctorum, ut notat Hostiensis lib. 2. in rubr. de peregrinantibus n. 1. Hinc liquidò patet Peregrinum largè sumptum non differre ab Aduena strictè accepto. Insuper nomine Vagabundi, seu Vagi, veniunt, qui nullibi domicilium fixum habent, in quo habitent, sed hinc inde vagantur, ideoque appellantur Vagi; ità Doctores.

Not. 2. quod Domicilium ex Iurisperitorum sententia sumi potest tripliciter, nempe natura, legis dispositione, & animo, seu voluntate incolæ; & coincidit cum alia diuisione ab ijsdem Doctoribus tradita, hoc est; Domicilium aliud est naturale, aliud accidentale, aliud & commune. Naturale est illud, inquit Soncin. cap. licet ratione n. 11. de foro competenti, & Alciatus in l. Prouincialis; quod ex ipsa natura nascitur, seu venit, ut natiuitatis propriæ, seu etiam Patris l. Ciues, ubi glos. C. de inculis, & hoc domicilium est imutabile. Accidentale est illud, quod comparatur assumptione, & vocatur domicilium habitationis, & facit inculas, ita Gaill. alios referens. Vnde ille dicendus est verus incola, qui in aliquam regionem domicilium suum contulit l. domicilium ff ad municipal, & l. Pupillus §. Incola ff. de verb. signif. Tale autem domicilium amittitur pro voluntatis arbitrio, ut tradit Bart. in d. l. assumptio. Domicilium denique commune est Ro-

ma, quæ dicitur communis Patria l. Roma ff. ad municip. teste Marian Soncin. in d. cap. licet ratione.

Cæterum ut clarius ad nostrum propositum loquamur. Parochiani sunt ij, qui in Parochia habent domicilium, vel quasi domicilium; censentur domicilium habere in Parochia, qui in ea habitant, animo ibidem perpetuò manendi, etiam si iam primùm aduenerint, & quasi domicilium, qui in Parochia habitant maiori parte anni v. g. studentes in Vniuersitate, milites in præsidijs &c. & Vagi, qui nullibi fixerunt domicilium, & ij sortiuntur Parochum loci, in quo diuersantur.

1. Concl. Nemo extra proprium territorium tenetur, vel ligatur eiusdem legibus. Hæc est communis sententia, & in praxi receptissima. Prob. ex cap. ut animarum 2. de Constit. in 6. ubi de statuto Episcopi, quo excommunicantur fures, dicitur. *Subditi eius furtum extra ipsius Diœcesim committentes minimè ligari noscuntur; cum extra territorium ius dicenti non pareatur impunè*. Similiter refertur cap. illa dist. 12. dictum Aug. *Cum Romam venio, Sabbato ieiuno, cum Mediolani sum, non ieiuno &c.* Prob. ratione. Quia legislator, tam Ecclesiasticus, quàm ciuilis non habet iurisdictionem extra suum Territorium, quod est quasi sphera suæ actiuitatis; ergo nec eius lex vim habet ligandi, & obligandi eos, qui pro tempore morantur extra proprium Territorium. Tum quia rationabile videtur, quod lex sit regula quædam communis pro bona territorij gubernatione, instituta, & lata; ergo non debet extendi ad subditos alibi existentes. Quæ quidem doctrina est intelligenda etiam de illis, qui sunt in loco exempto, ut passim docent Canonistæ in cap. Cum Episcopus, quia talis locus se habet, ac si esset extra territorium. Dummodò tamen locus sit exemptus localiter, siue secundum se, ut sunt aliquæ Parochiæ, & oppida Pontifici, & Episcopo extraneo, vel Comiti exempto immediatè subiecta; in quibus indubiè cessat iurisdictio Ordinarij, non tantum personaliter, seu ratione Personarum, prout sunt loca Regularium exemptorum, in quibus non liberantur subditi ab obseruantia legum Territorij; etsi nonnulli oppositum sentiant, quorum opinio nullatenus est admittenda, inquit Herincx, quia sequeretur hoc manifestum absurdum, nimirum Sæculares intra Claustra non

te-

teneri obseruari leges locales, seu Diœcesanas. Similiter verificatur hæc doctrina, & nostra conclusio etiam de ijs, qui ex industria proprium territorum ad tempus deserunt, ne videlicet teneantur abstinere ab opere seruili, ieiunare &c. eò quia tales utuntur iure suo, ac proinde existentes extra territorium licitè eximuntur ab obseruatione legis proprij territorij: Nec valet dicere; eos agere in fraudem legis; non valet, inquam, quia hic nulla fraus intercedit, sed nuda fuga obligationis præcepti, quæ non militat contra præceptum, cum nullus lege ieiunij teneatur manere in loco, ubi præcipitur ieiunare: ita Suarez, Sanchez, Bonac. Herincx, & quamplures alij. Hinc rectè infertur, delinquentem extra suam Diœcesim non incurrere censuram delicto annexam ex lege Diœcesana; nec in reseruationem peccato positam; ac proinde delinquens potest ibi saltem absolui ab ordinario Confessario; Immò nec ulla difficultas apparet, quin possit etiam à Confessario suæ Diœcesis absolui, si pœnitens dicat, se huiusmodi peccatum extra territorium perpetrasse, quia sicut reuerà non censetur reseruatum extra, ita non afficitur reseruatione ex eò, quod fateatur in proprio Territorio.

II. Concl. Probabile est, Peregrinos, & aduenas existentes extra proprium Territorium non obligari ad leges particulares loci, in quo sunt. Ita noster Villalobos, Sanchez Reginal. Granado, & Diana p. 1. tract. 10. ref. 13. & 15. plures alios citans. Prob. Quia legislator non habet potestatem, seu iurisdictionem in extraneos sibi non subditos, quales sunt peregrini, & aduenæ, qui in loco, in quo degunt, non habent domicilium, nec quasi domicilium, ut potè, cum non intendant maiori anni parte ibi permanere, sed peractis negotijs ad proprium domicilij sunt redituri. Tum quia tales non sunt partes communitatis, in qua sunt; ergo non ligantur legibus, quę pro ista sola communitate feruntur. Quod autem nonnulli extendant etiam ad peregrinos, qui pro maiori parte anni illic morantur, modo sedem ibi non figant animo perpetuò manendi; talis opinio communiter reputatur nimis laxa.

III. Concl. Probabilius est, Peregrinos, & Aduenas teneri ad obseruantiam legum, quæ præscribuntur in ijs locis, in quibus sunt, etiam tantùm per modum transeuntis.

Prob. ſolet concluſio ex dictis D. Auguſt. & ſignanter ex vulgatis verſibus.

Si fueris Romæ Romano viuito more.

Si fueris alibi, viuito, ſicut ibi.

Et etiam ex quadam reſponſione D. Amb. data D. Aug. Sed probatur ratione. Si Peregrini, & Aduenæ non ligarentur legibus loci, in quo ſunt, hoc eſſet, vel quia legislator non haberet poteſtatem illos obligandi, vel quia non intenderet eos in lege comprehendere, non primum, quia ex communi Doctorum conſenſu conſtat peregrinos legibus territorij quoad contractus, & formas in iudicijs ſeruandas de facto obligari; ergo non ex defectu poteſtatis in Principe. Neque ſecundum; quia ſicut illa legum à peregrinis obſeruantia ad bonum commune, ideſt ut ſe moribus conforment apud quos viuunt, conducit; ita legislator bonum commune intendens in ſua lege, cenſetur illos comprehendere. Tum quia iuxta regulam iuris in 6. *Qui ſentit commodum, debet ſentire & onus*; ergo rationabile videtur, ut peregrini ſubicijantur legibus locorum, in quibus degunt; alioquin nullis legibus peregrini extra proprium territorium ligarentur, quod eſt manifeſtum abſurdum: qua ratione etiam Vagi, ne ſoluti vagentur ab omnibus legibus, ex ſententia communi tenentur legibus locorum, per quæ tranſeunt. Quarè à fortiori habet locum noſtra concluſio; quando peregrini, & aduenæ veniunt ad locum, ubi ſeruatur ius commune, quod in ſuo territorio ob contrariam conſuetudinem non ampliùs viget, cum ubicunque reperiantur, ſint abſque dubio ſubiecti iuri communi, à cuius obſeruatione per accidens excuſabantur manentes in proprio territorio, Similiter malè operantur, qui in vigilia S. Bartholomæi, quæ e. g. Piſauri fit die 24. Auguſti, & Fani 23. eiuſdem Menſis, pergunt die 24. ad feſtum Fani, putantes eſſe ſolutos à ieiunio, quia reperiuntur Fani, ubi non vigilia, ſed feſtum celebratur; eo quia ius commune Eccleſiæ obligat ad ieiunandum in vigilia S. Bartholomæi, ſiue fiat die 23. ſiue die 24. Crederem tamen, euntes ad Fani Ciuitatem iuſtis de cauſis poſſe vigiliam anticipare, nimirum ieiunando die 23. & ſic ius commune ſeruare.

Arg. cont. 1. concl. & præſertim contra id, quod addi-

tur,

tur, posse videlicet de industria quemlibet deserere proprium Territorium &c. Non videtur licitum esse, dare operam ludo pilæ, venationi &c. ea intentione, ut quis per similia factus impotens, non ieiunet, ergo nec est licitum exire è proprio territorio ea intentione,ut à ieiunio liberetur. Resp. neg. conf. est enim latum discrimen, quia exiens extra territorium vult quidem, & intendit facere, quod præcepto ieiunij prohibetur, sed non ubi, & quando dictum præceptum obligat, sed ubi, & quando cessat omninò obligare, idest extra Territorij limites; secùs autem ludens pilæ &c. cum voluntariè se impotentem reddat ad ieiunandum, ut non ieiunet; ac proinde non vult ieiunare ubi, & quando præceptum ieiunij per se obligat.

Arg. cont. 3. conc. In cap. à nobis 21. de sententia excomun. dicitur sententia excommunicationis generaliter latam in furtum comittentes, non nisi subditos obligare; ergo nō peregrinos &c. Resp. Herincx cum alijs: In cit. cap. non agi de pœna imposita per legem, sed per sententiam generalem,& præceptum,quod non respicit locum,sed personas,ac proinde non solet comprehendere nisi Personas simpliciter subditas: lex autem solet immediate respicere territorium,& eo mediate personas, ideoq; obligare potest personas repertas in territorio, estò nonsint absolutè subditi.

Quæres 1. An proficiscens è proprio territorio, in quo est festum ad aliud territorium, in quo non est festum, teneatur ante exitum in suo territorio missam audire.

Resp. Variant doctores; quidam enim asserunt, quod si in proprio Territorio fiat unum tantum sacrum, idquè celebretur antequam ille exeat è territorio, teneri illud audire, nisi habeat intentionem alibi missam audire. Ratio, quia obligatio audiendi missam tunc urget. Alij dicunt, eum, qui è loco, ubi festum celebratur, egreditur, ipsa die, ut pergat ad locum, ubi non est tale festum, non obligari ad missam manè audiendam; si ante meridiem peruenturus sit ad locum, ubi festum non celebratur, Ratio, quia in proprio loco poterat missæ auditionem differre usque ad horam diei duodecimam, quo tempore existens in alio loco liber est à præcepto audiendi missam: ita Sanchez, Malder. Caspensis,& alij; contrarium tamen sentiunt Sayrus Filiuc. noster Bontempio, & alij.

Queres 2. An pergere volens extra proprium territorium, ubi est dies ieiunij, ad aliud, in quo non fit ieiunium, possit comedere carnes, ientaculum sumere mane, si sciat vespere futurum esse in loco. ubi non ieiunatur.

Resp. Doctores omnes conueniunt non posse carnes comedere, quia obligatio abstinendi à carne est præceptum negatiuum, ac proinde semper, & pro semper obligat, & potest integrè adimpleri quolibet momento, sicut quolibet momento obligat. Difficultas igitur solùm remanet de ientaculo, cui Doctores passim respondent affirmatiuè, etsi nonnulli contradicant. Ratio est, quia, cum præceptum de ieiunio sit indiuisibile, hoc est, obligans pro integro die, & non pro aliqua parte tantùm, sequitur, quòd is, qui una parte diei non obligatur ad ieiunium ut in proposito, nec teneatur reliquis diei partibus; non enim tenebitur ad ieiunium perueniens vesperi ad locum, ubi ieiunium non seruatur, ergo neque tenetur mane, sed ientare poterit.

Cæterùm notant passim Doctores, quòd, ut subditus extra territorium ligari non possit, debet esse extra territorium non solùm ratione suæ personæ, sed etiam ratione rei, circa quam operatur, ipsiusque operationis. Vnde manet obligatus legibus territorij rem ipsam afficientibus, v.g. tenetur quis soluere tributum ex prædio, quod habet in alieno territorio; similiter Clericus beneficiatus tenetur legibus alterius territorij concernentibus beneficia, quæ ibidem obtinet, ac proinde pœnas, etiam excommunicationis, suspensionis ibi statutas pro non residentibus, incurrit. Res namque præcepta afficit territorium, & ratione illius censetur ibidem peccatum personæ alibi existentis moraliter consumari. Idem dicendum de eo, qui extra territorium existens occidit existentem intra territorium: is enim verè delinquit in territorio, ac proinde censuris contra sic delinquentes ligatur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum pueri, Amentes, & Ebrij teneantur legibus?

NOt. Quòd licet omnibus sit exploratum, infideles nullis ecclesiasticis legibus teneri, cum non sint subditi

Ecclesiæ, quam nemo ingreditur nisi per baptismum; hæretici tamen omninò adstricti sunt legibus ecclesiasticis; estò enim in pœnam suæ rebellionis sint extra Ecclesiam eiecti; cogi tamen possunt ab Ecclesia, ut regrediantur, ad quod continuò obligantur, & interim ligantur eius legibus, & indubiè peccant toties, & quoties eas transgrediuntur. Hinc patet responsio ad quæstionem, qnam mouet Caramuel. in Theol. fund. t. 1. fund. 19. q. 2. videlicet Catholicos inter hæreticos conuersantes teneri legibus Ecclesiasticis, cum nemo se possit conformari consuetudini iniquæ, pertinaciter introductæ contra mentem Ecclesiæ Catholicæ, quæ suos subditos leges non obseruantes punit.

I. Concl. Infantes ante rationis usum nulla lege ligantur humana, vel diuina, vel naturali; sicut nec ulla lege in actu secundo obligantur perpetuò amentes. Ratio est manifesta. Quia lex est regula actuum humanorum, idest, elicitorum cum præuia cognitione; sed in carentibus usu rationis talis cognitio non reperitur, ergo non tenentur. Idem dicendum de inculpabiliter ignorantibus, dormientibus, & inculpabiliter ebrijs pro eo tempore, quo in tali statu existunt. Vnde Doct. tradunt, pueris, aut Amentibus dari posse carnes comedendas in quadragesima; nec peccare Parentes, vel alios impediendo illos ab audiendo Missam die festo; secluso scandalo; talis enim cooperatio nec quidem materialjter est mala; cum non sit actus illicitus, quoad Amentes autem putat Castro Palao de leg. disp. 1. punt. 24. licitè illis ministrari cibos vetitos, non quia carent ratione, sed quia amentia est infirmitas excusans à ieiunio: Verùm ratio assignata conc. militat etiam in Amentibus. Cæterùm non esse licitum, ebrijs, vel Amentibus etiam perpetuò incitare ad copulam carnalem, aliosque actus iure naturæ omnibus illicitos, & in se respectu omnium malos, nulli dubium esse potest.

II. Concl. Dum pueri peruenerunt ad rationis usum (quod censetur communiter esse circa septennium) statim incipiunt subijci legibus etiam Ecclesiasticis, generaliter omnes respicientes; præterquàm legi ieiunij, & communionis; immò & censuris, ac pęnis ab homine latis *ex cap 1. de delictis puerorum*: & insuper non comprehendi censuris à iure, vel generaliter latis putat cum alijs Castro Pal.

 estò

estò opinio contraria sit communis; excipiens solummodò excommunicationem à iure latam in percussorem Clerici *ex cap. super eo, & cap. Pueris; quamuis de sentent. excom.*

Aduertendum tamen, quod ly, statim, in conc. positum non est sumendum physicè, sed moraliter, maximè circa præcepta Ecclesiastica. Siquidem pia Mater Ecclesia non videtur pueros obligare v. g. ad Missam audiendam statim atque sunt capaces rationis, nisi ad summum sub veniali ob apprehensionem adhuc imperfectam tum mysteriorum, tum ipsius præcepti. Ex quo fit, ut facilè negligant præceptorum requisita: Ideoque Iacob. Marchant. in resol. pastoral. putat, eos tantum sub mortali obligari ad Missam audiendam, quando capaces sunt ad Eucharistiam recipiendam: quod plerumque fit circa annum 10. vel 12. Idem asserit Sotus de præcepto confessionis annuæ. Verùm videtur, hæc potius relinquenda esse determinationi seu iudicio prudentum Confessorum, nec non Parentum. Præterea censent nonnulli pueros post septennium, vel circa ligari præcepto diuino Confessionis in mortis articulo; posito. quod aliquid egerint, cui possit subesse peccatum mortale; idque ob periculum damnationis æternæ: & quidem id multum prodesse potest, adeoque omitti non debet à Parentibus, & Parochis.

QVÆSTIO V.

Vtrum leges humanæ tam ciuiles, quàm Ecclesiasticæ obligent in foro conscientiæ.

NOt. 1. Quòd hæretici Vualdenses, ut notat Guido lib. de hæresibus tenuerunt, quod nullæ leges humanæ in foro conscientiæ obligare possunt, nec qui eas transgreditur fit reus culpæ apud Deum; eundem errorem suscitarunt Io. VViclef, & Io. Hus, quos secutus est Caluinus lib. 4. Instit. cap. 15. ubi etsi concedat Prælatos, & Magistratus politicos posse leges aliquas ad conseruationem pacis inter ciues præscribere, negat tamen, eas in conscientia obligare. Cum consciẽtia, inquit Caluin. soli Deo subdita sit; ideoq; ab eo solo ligari, seu lege coerceri possit; contra quos stat definitio Concil. Constant. sess. 8. & 15. & Bulla Leonis X. contra Lutherum.

Not. 2. quod etiam inter Theologos est maxima controuersia circa præsentem quæstionem. Quidam enim, ut Gerson, Almain. & nonnulli alij asserunt; solum Deum obligare in conscientia, quorum sententia, ut sonat, accepta, culpatur erroris; eam tamen nititur explicare, & Doct. recensitos à censura liberare noster Petrus Marchant. t. 2. sui Tribunalis tract. de leg, ubi sic loquitur. Colligitur 3. Nonnullos parum prudenti oculo respexisse Gersonem cum Almaino, & alijs, dum temeritatis, & erroris eos arguunt, ex eo, quod docuerint solum Deum posse obligare ad culpam in foro conscientiæ; quasi ex eo necessariò inferratur Ecclesiam. & Sum. Pontificem non posse, quod verè erroneum esset, in conscientia obligare. Si enim attendissent Vicariam potestatem agere in virtute principalis, & præcepta Ecclesiastica, quæ à Vicario Christi procedunt, à potestate spirituali procedere, quæ idem forum cum Deo participat, non iudicassent absurdum cum Gersone asserere, solum Deum obligare ad culpam in foro conscientiæ: cum participatæ potestatis D. sit, quod Ecclesia ad culpam obliget. Hactenus Marchant. Alij contendunt leges ciuiles non posse obligare in conscientia, sed leges Ecclesiasticas tantùm; quia hæ immediatè à Deo deriuantur, illæ ab hominibus immediatè. Ita Almai. de potest. Eccles. quam sequitur Vulpes, ut refert Mastrius in Theol. moral. Alij denique legem humanam non solum Ecclesiasticam, sed etiam ciuilem, & temporalem vim habere obligandi in conscientia: ita communiter Theologi, Iurisperiti, & summistæ.

I. Concl. Lex humana, tam ecclesiastica, quam ciuilis vim habet obligandi subditos in conscientia. Hæc est de fide definita in Concilio supra allegato contra hæreticos: & perspicuè habetur in S. Scrip. & præsertim ad Rom. 3, ***Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo &c.*** & subdit; ***Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam***, hoc est, non solum ob pœnam à Iudice infligendam, sed etiam ob culpam in Anima.

Prob. etiam ratione. Quilibet legislator humanus accipit à Deo immediatè potestatem regendi, posita electione communitatis, quia dicitur sap. 6. ***Audite Reges, quoniam data est à Domino potestas vobis,*** & Prouerb. 8. ***Per me Reges regnant:***

ergo cum imperant, nomine Dei imperant, ac proinde vim obligandi in conscientia habent. Quæ doctrina à fortiori militat in Principe, seu Prælato Ecclesiastico. Quare Ecclesia in suis præceptis obligat in conscientia ad eorum obseruantiam, etiam secluso contemptu, scandalo, aut consuetudine transgrediendi; nec audiendi sunt, qui oppositum dixerunt, cum à DD. passim censura meritò notentur.

II. Concl. Lex humana, siue Ecclesiastica, siue ciuilis, supposita grauitate materiæ, & finis legis, obligat sub peccato mortali, quando legislator id expresse, vel æquiualenter declarat. Hæc pariter est communis; & patet; quia tunc adest potestas, & Voluntas sufficienter intimata. Siquidem hanc suam voluntatem legislator Ecclesiasticus declarat, quando expresse dicit: sub reatu peccati mortalis, vel quando addit in lege: sub interminatione diuini iudicij, sub pœna maledictionis æternæ, sub indignatione Dei, & SS. Apostolorum, in virtute sanctæ obedientiæ &c. Insuper appositio grauis pœnæ spiritualis, qualis est, excommunicatio maior. suspensio totalis, & totalis interdicti, degradatio, depositio, priuatio omnium beneficiorum, officiorum, inhabilitas per modum pœnæ, priuatio ecclesiasticæ sepulturæ; huiusmodi namque pęnæ non infliguntur nisi ob peccata mortalia, saltem probabiliùs; ac proinde sunt signa grauis obligationis. Notant tamen non pauci Doctores, quod tales pœnæ sint sententiæ latæ; nam si dictæ pœnæ essent solùm, præmissa aliqua monitione, ferendæ, tunc ad earum incursionem deberet interuenire contumacia; unde ex ijs ut sic non posset sufficienter colligi, actum pręteritum secundùm se spectatum fuisse mortalem; sicut nec colligitur ex eo, quod legi sit apposita pœna excommunicationis minoris; quæ ob solum peccatum veniale incurri potest; secùs autem si aliquid prohibeatur sub pœna irregularitatis, cum hæc iuxta probabiliorem sententiam supponat peccatum mortale; si per modum pœnæ ob delictum irrogetur; Quàmuis nonnulli apud Dianam p. 1. tract. 10. de leg. res. 21. id adhuc negent quoad suspensionem, & aliqui quoad irregularitatem; Immò Valentia, Solonius, & alij apud Dian. volunt, suspensionem, interdictum, & irregularitatem ob solum peccatum veniale incurri posse; sed de hoc in part. 4. in tract. de censuris.

Adde,

Adde, quod quædam leges ecclesiasticæ sunt purè pœnales, ac proinde non ad culpam, sed ad solam pœnam obligant, ut colligitur ex illo Decreto Pij Papæ, & martyris; pœnam statuentis in Sacrdotem, cuius negligentia aliquid de Sanguine Domini in terram deciderit, in quo decreto nulla culpa imponitur; & generaliter mihi certum est, inquit Petrus Marchant. omnes illas leges pœnales Ecclesiæ non obligare ad culpam, quando vel pœnæ ex natura legis non habent culpam annexam, vel quando materia legis aliàs nullum peccatum includit, ut sunt pœnæ irregularitatis ex defectu, bigamiæ &c. Immò quam plures censent, satis probabile, quod si lex Ecclesiastica solam pęnam temporalem statuat, sub ea tantum obliget; ratio est, quia legislatores ecclesiastici possunt, & solent comminari pęnam spiritualem, dum in conscientia, & sub mortali obligare intendunt.

III. Concl. Quamuis in lege ciuili pęna etiam grauis taxetur, & ipsa etiam materia sit grauis; non obid statim iudicandum est, legem obligare sub mortali. Ita noster doctissimus Villalobus, Nauar. Valent. Mirand. in suo Manuali, & ex parte sequitur Caspensis Castro Palaus tract. 3. d. 1. punct. 15. Diana p. 10. tract. 15. res. 46. Franciscus Bonæ spei, & alijs. Ratio est quia cum legislatores ciuiles absolutè loquendo sufficienter consequi possint finem suum, pacem nimirum externam, & publicam tranquillitatem, comminando pęnas temporales, rationabiliter præsumitur, eos nolle aliud onus imponere transgressoribus suarum legum, quàm subeundi pęnas præscriptas; ergo &c.

Confirm. eò quia, dum non constat de mente legislatoris, debemus in benigniorem partem legem interpretari, iuxta regulam illam l. benignius; ergo cum non appareat in lege intentio legislatoris obligandi ad culpam, censendum est ad pęnam solam obligare; nam qui ex duobus propositis alterum tantum affirmat, alterum negare videtur *l. cum Prator ff. de iudic. cap. Non de præsumptione*, ergo legislator, qui ad pęnam temporalem obligare potest, & etiam ad æternam, si exprimat in pęnā temporalem tantum, non apparet voluisse obligare ad æternam. Accedit etiam, quod consuetudo communis sic interpretatur leges pęnales, ut satis sit, si homo pęnas luat pro transgressione; nec Princi-

pes unquam expresserunt in suis legibus pęnalibus, velle obligare subditos ad culpam theologicam; ergo, ipsa consuetudine interpraetante, leges huiusmodi solùm obligant ad pęnam temporalem; quantumuis sit grauis, qualis est mortis pęna, bonorum confiscatio &c. Ex qua doctrina euidenter deducitur, non peccare mortaliter eos, qui merces vetitas traducunt ex una Prouincia in aliam absque solutione gabellarum, & vectigalium, quae à Principe praescribuntur, nec teneri ante Iudicis sententiam ad restitutionem, quia ut eleganter aduertit Petrus Marchant. t. 3. sui tribunal. Rex, vel Princeps in impositione gabellarum, tantam taxat pęnam, quae prudenter considerata sufficit ad damnum reparandum, quod ex defraudatione gabellarum euenire potest. Nec refert, subdit Doctor, quod defraudens gabellam saltem voluntariè dat causam damno, cui incertum est, an per deprehensionem fraudis prouideri poterit, quia omnium canonistarum calculo Regi nihil plus, aut minus aduenit, siue gabellae defraudentur, siue non: Nam publicani, & Collectores non plus reddent Regi, quàm quod conuentum est, ubi gabellas à Rege conduxerunt; Nec ipsis Collectoribus damnum infertur, quia sola consideratione damnorum, quae inferri possunt, multò minori praetio illas emerunt, & obtinuerunt. Accipientes insuper in suum commodum, & lucrum quicquid à defraudantibus per vigiliam suam accipere possunt, & sic nulli aliquid perit. Prob. conc. quoad 2.p. Ex illa Regula iuris. *Actiones agentium non operantur vltra eorum intentionem* ergo legislator non intendens obligare, etiamsi materia sit de se grauis, lex non obligat sub graui culpa; Quicquid dicat Vasquez existimans, legislatorem humanum non posse in graui materia obligare leuiter, sicut in leui materia non potest obligare grauiter; non enim haec pari passu currunt, ut consideranti patet.

Arg. Nullus potest obligare, ubi non potest iudicare; sed homo iudicare nequit, quod latet in aliorum conscientia, ergo nec etiam ligare potest in conscientia. Deinde homo non potest infligere pęnam aeternam; ergo nullus legislator potest saltem obligare ad culpam mortalem, ad quam necessariò sequitur pęna aeterna. Resp. disting. mai. nullus homo &c. sua potestate absoluta, & simpliciter conc.

conc. mai. potestate humana, quatenus ab æterna, & naturali lege Dei, & ipsius ministerio fungitur, teste Apost. ad Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo,* neg. mai. Ad aliam rationem distinguo ant. homo non potest infligere pœnam æternam directè, & immediatè, conc. ant. indirectè, hoc est quatenus potest suis legibus obligare ad culpam mortalem &c. neg.

Arg. 2. Potestas ciuilis est corporalis, ergo nequit obligare conscientiam, quæ est spiritualis, cum eius finis sit pax temporalis Reip. & non pax conscientiæ, & pax æterna. Resp. neg. conf ob rationem superius assignatam; quia etiam leges ciuiles diuina lege præcipiuntur obseruari, & certè multum conducit ad pacem externam Reip. potestas obligandi in conscientia, cum per hanc obligationem arceantur fideles à transgressione legum. Itaque quamuis finis legis ciuilis sit pax externa, attamen in conscientia nos obligat, ut hanc pacem seruemus.

Arg. cont. ult. conc. à Thomistis, asserentibus, legem, etsi pœnalem, nisi aliter constet de mente legislatoris, obligare in conscientia auct. S. Scrip. Prima desumitur ex Epist. 1. D. Petri c. 2. ubi dicitur. *Subiecti estote omni creaturæ propter Deum*, & paucis interpositis, concludit, *quia sic est Voluntas Dei*; & infra subdit. *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis*. 2. desumitur ex Apost. ad Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Et ne quis sibi blandiatur interpretando huiusmodi scripturas allegatas obligare quidem ad pœnam, non autem in conscientia, in eadem Epist. vers. 4. dicitur. *Ideò necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo, & tributa præstate. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*. Quod prius præceperat ipsemet Christus Matt. c. 22. dicens: *Reddite ergo, quæ sunt Cesaris, Cesari &c.* Resp. allatas auctoritates significare Principes posse, si velint obligare suis legibus subditos in conscientia; at an de facto in legibus non præceptiuis, sed pœnalibus obligent, vel nec ne; negamus iuxta fundamentum conclusionis. Et quidem quoad tributa non possunt Principes obligare subditos in conscientia, nisi quatenus ad substentationem Principis, & Reipublicæ sunt necessaria. Verùm

nostris temporibus. interpretante consuetudine, non obligant, vel etiam ex alio capite, nempe, quia proprium est legis humanæ ut humanæ obligare ad pęnas temporales, etiam usque ad mortem corporis. Quare in hoc sensu locutus est Christus; *Reddite quę sunt Cæsaris, &c.* expendo (ly quæ sunt) idest quæ iure naturæ debentur Principi ratione sui status, & ratione seruandi Rempublicam &c.

Dices. Patres videntur passim damnare transgressores legum humanarum ut habetur *Cap. Imperatores. 1. q. 3.* Resp. Patres loqui de legibus, tam præceptiuis, quam pęnalibus, supposita earum iustitia, & voluntate Principum obligandi; quia legum obseruatio multum conducit ad bonum regimen Reip. ad quietem, & populi pacem, sicut earum transgressione multa incomoda, & perturbationes in Republica eueniunt, maximè resistendo potestati &c.

Arg. ratione. Leges pęnales sunt veræ leges, sed compertum est de ratione legis esse præcipere, vel prohibere, ac proinde ad culpam obligant; quia pęna correspondet culpæ: ergo, si infligitur pęna, prius supponitur culpa.

Resp. leges pęnales, ut infra ostendetur, non esse veras leges in rigore, cum obligent tantum ad pęnam; sicut etiam obligare solent Religiosorum constitutiones, quas nemo dixerit, esse consilia. Itaque correspondet in lege solùm pęnali culpa iuridica, seu ciuilis non verò theologica, & in hoc sensu verificatur maxima &c.

Quæres 1. Vnde dignosci possit leges obligare in conscientia, vel nec ne, & maximè ad mortale.

Resp. per sequentes regula. Prima regula fundatur in intentione legislatoris. ut supra etiam indicauimus; nam leges à voluntate legislatoris sumunt vim obligandi, vel non. Itaquè, si legislator expresse declarat suam intentionem obligandi, vel non obligandi, standum est suæ intentioni declaratæ. Quod si de mente eius non constat, ex verbis in lege positis, poterit eius mens deprehendi. Vnde sit Regula 2. assignata à Clemente V. in Clement. Exiui de Paradiso. Quidquid per verbum præcepti statuitur, aut inhibitionis, aut alicuius æquipollentis præcepto, aut inhibitioni, obligat ad culpam. Vnde verba præceptiua, qualia sunt, præcipio, impero; item iubeo, mando, aut verba inhibitoria, qualia sunt, prohibeo, inhibeo, veto, inter-

di-

dico sunt signum sufficiens grauis obligationis, ut tradunt Doctores communiter, & declaratur in allegata Clementina, quæ etsi agat de regula S. Francisci, habet tamen hac in parte, ut inter alios notat Herincx, vim iuris communis, cui est inserta. Idem sentiunt Doctores post Clement. cit. de verbis præcepto æquipollentibus, cuiusmodi sunt v. g. omnes obligentur, teneantur, nemini liceat, nemo possit &c. De verbo, debeo, communis sententia docet, importare non solum honestatem, & cõuenientiam rei, sed etiam necessitatem imperij, secùs autem de hoc verbo oportet, & de verbis imperatiui modi v. g. facite, cauete, nemo audeat &c. Quamuis ex circumstantijs, siue attenta materia, & usu, sufficiant, ut declaratur in Clement.

Regula 3. Verba communia, & indifferentia præcepto, & exhortationi, qualia sunt, volumus, decernimus, ordinamus, statuimus, sancimus &c. per se loquendo non sufficiunt ad præceptum, nisi ex circumstantijs, aut verbis adiunctis restringantur ad rigorosum præceptum.

Regula 4. Non obligant ad culpam leges pœnales, quæ neque præcipiunt, neque prohibent, sed sub hac forma feruntur, qui hoc, vel illud fecerit, & similia, soluat hanc, vel illam pœnam.

Regula 5. Grauitas, vel leuitas materiæ, circa quam lex versatur, est signum obligationis leuis, vel grauis. Grauis autem materia censetur hic non solum illa, quæ per se, & absolutè spectata semper, & in omni euentu talis est, sed etiam illa, quæ licet secundùm se, præcisè considerata sit leuis, nihilominus ratione circumstantiarum, loci, temporis &c. grauis euadit, quia in his, vel illis circumstantijs plurimùm confert ad bonum commune.

Regula 6. Grauis obligatio dignoscitur etiam ex consuetudine, quando videlicet communis usus legem ita ræcepit; nam consuetudo est optima legum interpres.

Regula 7. Quotiescunque verba sunt dubia, ex quibus vir prudens, attentis circumstantijs, nequeat iudicare, an in lege sint signa sufficientia voluntatis obligatiuæ legislatoris, iudicandum est pro non obligatione: & quoties dubitatur de obligatione, an sit grauis, vel leuis, iudicandum est, esse leuem; iuxta reg. 30. iuris in 6. *In obscuris minimum est sequendum; & in culpis, uti in pœnis benignior est interpretatio*

fa-

facienda reg. 49. in *6.* cum melior tunc sit conditio subditi suam libertatem possidentis; qua in dubio non est priuandus.

Quæres 2. An leges fundatæ in præsumptione obligent in conscientia, veritate in contrarium inspecta.

Resp. Quòd duplex est præsumptio iuris, alia iuris tantùm, alia iuris, & de iure. Prior est, cum ius in aliquo facto dubio præsumit, sed super illud nil statuit; ut in his: *Semel malus, præsumitur malus de reg. iur in 6. Quilibet præsumitur bonus cap. final. extra de præsumpt.* Posterior est quando ius præsumit super incerto, ex aliquibus coniecturis adeout super illo statuat aliquid ac si verissimum esset, ut in casu cap. is, qui extra de Sponsal. ubi dicitur quod si quis carnaliter cognouit sponsam de futuro præsumitur; quod secum voluerit contrahere matrimonium per verba de præsenti; contra hanc non admittitur probatio in contrarium, bene tamen contra illam, Adde, quod datur alia præsumptio, quæ dicitur præsumptio periculi, Itaque leges fundatæ in præsumptione iuris simpliciter non obligant in conscientia, quia sunt velut leges conditionatæ, ac proinde deficiente conditione, deficit earum obligatio; leges verò fundatæ in præsumptione iuris, & de iure, & pariter in præsumptione periculi obligant in conscientia. Ratio prioris partis est, quia sic lex pro bono communi disponit; ac proinde, etiam veritate in contrarium inspecta, tenetur quis ad eius obseruantiam, ut in casu proximè allato ex canonico textu; quidam tamen aliter sentiunt, ut habetur infra in quæsito 2. q, 3. disp. *6*

Ratio posterioris est; nam ad iustificationem huiusmodi legum, quæ fundantur in præsuppositiua præsumptione satis est, ut factum sit dubium, & ex illo aliquid mali possit euenire e, g. Si apud sæculares fieret aliqua lex, ut cum infidelibus nullo modo communicarent, seu apud Religiosos, ut fieri interdum solet, quod nullus ingrediatur talem Domum, vel per siluam deambulet propter mala, quæ fortasse exinde possent nasci, obligarentur in conscientia, & sæculares non communicare cum infidelibus, & Religiosi non ingredi domum, vel per siluam ambulare; etsi hic, & nunc in aliquo nullum periculum mali adesset; sufficit igitur, quod ut plurimum in similibus actibus pericula

ma-

mali adsint, seu nata sint ad esse, ideóque generaliter sunt iustè prohibiti; ut ex communi tradunt Herincx, Miranda, & Marchant. sic discurrit. Quia lex fertur ad auertendum malum commune, & tollendam omnem occasionem generaliter: quod, sicut in commune est magnum Ecclesiæ bonum, sic eius oppositum æstimatione mali, quod contingere potest, est grande malum, & materia grauis, & sufficiens ad obligandum ad culpam mortalem.

Quæres 3. An lex humana obliget cum periculo vitæ.

Resp. quod quamuis lex humana regulariter loquendo non obliget ad sui obseruantiam cum periculo vitæ, aut magni alicuius nocumenti temporalis, ut docent Doct. omnes; potest tamen in certis casibus obligare ad actus, quibus etiam graue vitæ periculum annexum est; unde quòd lex debeat esse moraliter possibilis, siue non, & difficilis nimis, non est necessarium ad legem pro quibusdam casibus particularibus. Quorum primus est. Quando violatio legis humanæ cederet in contemptum fidei, Religionis, aut Ecclesiasticæ potestatis, aut etiam ciuilis legislatoris, ut legislatoris. Ratio est, quia pluris interest, fidem, Religionem, potestatem Ecclesiasticam, & ciuilem non contemni, quàm vitam corporalem non seruari; nam tales contemptus cedunt in detrimentum honoris Dei, qui omnibus rebus creatis præferri debet.

Casus 2. est, quando obseruatio legis humanæ plus confert communi bono Reipublicæ, aut Religionis, quàm conseruatio vitæ propriæ æstimetur; vel e contra quando violatio legis humanæ plus nocet communi bono, quàm propriæ vitæ amissio. Sic miles in statione tenetur cum vitæ periculo vigilare, & pugnare contra hostem; Similiter si quis ab hæreticis, aut infidelibus urgeretur diebus ab Ecclesia prohibitis manducare carnes sub pœna mortis, tunc mortem potius subire tenetur, quàm carnes manducare. Secùs autem, si à peruersis hominibus catholicis cogeretur; quia tales non præsumuntur agere in contemptum Religionis christianæ.

Casus 3. Interueniente scandalo; quo casu teneremur potiùs sustinere mortem, quàm transgredi leuissimam legem, exemplo Eleazaris, qui mortem potiùs eligere voluit, quàm simulare, se carnes comedisse lege prohibitas, ne adolescentes scandalizarentur.

Dices. Quælibet obſeruatio legis eſt actus virtutis, ſed quilibet actus virtutis eſt maius bonum, quàm vita corporalis, ergo pro quocunque actu virtutis tenetur quis ſuſtinere mortem. Reſp. ad mai. quod adueniente hac circumſtantia non eſt actus virtutis; quia iam lex ceſſat obligare, & ſubintrat aliud præceptum, vel ſaltem in talibus circumſtantijs lex non habet vim obligandi.

QVÆSTIO VI.

Vtrum in legem humanam cadere poſsit interpretatio.

NOt. Quòd interpretatio legis nil aliud eſt, quàm explicatio verborum legis quoad eorum ſignificatum, ſeu ſenſum à legislatore intentum. Significatio autem verborum eſt duplex alia materialis, alia formalis, prior eſt purus ſenſus gramaticalis, poſterior verò includit etiam intentionem legislatoris;& hæc ſubdiuiditur in ſignificationem naturalem; videlicet, quæ ex communi hominum uſu ſumitur, & in ciuilem, quam nimirum habent verba ex impoſitione, aut fictione iuris. Sic mors ex fictione iuris ſignificat non ſolum mortem naturalem, ſed etiam ciuilem. Quo modo Religioſi dicuntur ciuiliter mortui, & filius ſecundum acceptionem ciuilem ſignificat etiam filium adoptiuum. Inſuper duplex eſt interpretatio, ut aduertit Sebaſtianus Medices Iuriſconſultus in tract. de legibus, & ſtatutis, alia mentis, alia verborum l. ſcire ff. de leg. Mens tamen præualet verbis; quia potior eſt finis, quàm ea quæ ſunt ad finem, nam omnis actus à fine iudicatur l. rem non nouam C. de Iudicijs, verba ſiquidem propter mentem, & non è contra inſtituta ſunt l. labeò. ff. de ſuperl. legata. Tum quia verba dependent à mente, & non è conuerſo.

I. Concl. In legem humanam ſæpè cadit rationabilis interpretatio. Prob. ratione deſumpta ex fragilitate, inconſtantia, & obſcuritate mentis humanæ, maximè in ſubditis; & etiam ex impoſſibilitate legem obſeruandi, in ſubditis, conſideratis rebus humanis; quibus ipſa impoſſibilitas non rarò ſubeſt; ergo frequenter eſt neceſſaria interpretatio legis. Conſtat inſuper concluſio ex toto tit. 2. de Conſtit. lib. 1. Decretal. & in 6. eodem tit. cap. 1. Item tit. 3. de reſcri-

ſcriptis lib. 1. In quibus Pontifices manifeſtè oſtendunt conſtitutiones ſuas interpretationem admittere; ſiue ut nihil contineant in præiudicium, aut grauamen intollerabile tertij; ſiue ne una conſtitutio ſit prioris deſtructiua; & à fortiori militat ratio de lege ciuili, ergo &c.

II. Concl. ~~Aſſignari ſolet~~ quadruplex interpretatio legis humanæ. Prima eſt auctoritatiua, quæ fit ab ipſo conditore legis. Sic Princeps aliquando declarat ſuam legem; ſic Pontifex, Epiſcopus ſuas leges Diœceſanas, & S. Congregatio Cardinalium interpretatur Concil. Trid. ex commiſſione Pontificis: 2. eſt doctrinalis, quæ fit à Doctoribus, & ſcriptoribus approbatis: ad quam requiritur primò, ut ſit conformis verbis uſualibus legis 2. ut ſit menti legislatoris accommoda: 3. ut non ſit difformis à lege naturali, & Diuina, vel contra aliam legem humanam: 3. dicitur uſualis, & eſt quæ de lege iudicat prout eſt in uſu, & praxi apud pios, & timoratos, quorum vita, & mores legem interpretantur. Qualiter e. g. lex ieiunij in accidentalibus multis menſuranda venit ex uſu piorum, & timoratorum. 4. dicitur æquitas, ſeu Epikia, & eſt, quæ ex bono, & æquo (maximè in anxietate, & perplexitate) iudicat agendum contra verba expreſſa legis. Quod tripliciter contingere poteſt. Primò, ubi duæ leges concurrunt, nec utraque poteſt ſimul impleri. e. g. Vrget in feſto præceptum de audienda Miſſa, urget neceſſaria aſſiſtentia infirmo præſtanda ex alia parte; in tali caſu æquitas interpretatur, legem de audienda Miſſa non obligare cum tanto detrimento præcepti charitatis. 2. quia aliquando lex videtur nimis dura, ardua, vel moraliter impoſſibilis, e. g. Petrus in feria 6. reperitur in loco, ubi nullus cibus ei ſuppetit niſi carnes commedat, in tali euentu per rationabilem Epikiam cenſetur lex non obligare cum tanto periculo, vel infirmitatis, vel mortis. 3. Epikia verſatur circa legislatoris mentem, quæ non videtur ſe extendiſſe ad caſum præſentem, e. g. Eccleſia prohibet lectionem librorum hæreticorum; interim occurrit caſus, quo debeam meam fidem tueri, & hæreticum conuincere, quod nullatenus poſſum ſine lectione talis libri prohibiti; cenſetur in tali caſu, Eccleſia non comprehendiſſe huiuſmodi caſum: & in hoc æquitatis iudicio, quilibet eſt interpres, ubi ratio probabilis oc-

 cur-

currit, nec patet recursus ad superiorem. Verùm hoc intercedit discrimen inter recensitas interpretationes: quod interpretatio auctoritatiua, seu Principis declarantis verba obscura legis, vel suæ, vel suorum Prædecessorum, vel etiam inferiorum obligat ad sui sequelam; debet tamen ad hoc, ut vim legis habeat populo sufficienter proponi, siue per promulgationem solemnem, siue per hoc, quod corpori iuris sit inserta: sic pariter interpretatio facta ex commissione, qualis est, declaratio Trid. facta à Cardinalium Congregatione ex Papæ comissione. Item interpretatio usualis ex communi consensu, & legitima consuetudine inducere potest obligationem, ut communiter tradunt Doctores. Difficultas tamen oritur de sententia Principis litis decisiua, an habeat vim obligandi. Iurisperiti existimant, eam habere vim legis ad similes causas decidendas; oppositum tenent quamplures Doctores cum Couuar. eo quod sententia decisiua litis, ut sic respiciat bonum priuatum, non commune; tum quia non futurum, sed præteritum, vel iam præexistens inter partes spectat, ac proinde non est obligatiua, sed potius applicatiua iuris uni parti, quàm alteri. Itaque, ut sententia decisiua habeat vim legis, debet constare, Principem id voluisse; vel per aliud equiualens. Ita Herincx cum alijs disp. 3. de leg. q. 14. At interpretatio doctrinalis ad sui sequelam non obligat, cum fieri possit à quouis docto viro, & prudenti; possumus tamen eam sequi in praxi eo modo, quo opinionem probabilem. Ad hanc reuocatur interpretatio consuetudinis non præscriptæ, & interpretatio iudicialis facta à Iudicibus inferioribus. Similiter facta ab ipso Principe, sed tanquàm Doctore priuato, aut opinatiuè rescribente; prout Innoc. IV. ius canonicum interpretatus fuit.

Quæres. Vnde sit desumenda doctrinalis interpretatio legis. Resp. per sequētes regulas traditas à Roder. in compend. qq. regul. Rodriq. & à Miranda in manual. Prælat. Reg. quæ quidem regulæ inseruiunt ad interpretandum, & explicandum non solum leges, & iura, sed etiam priuilegia.

I. Regula, & principalis est, quod ad proæmium recurrendum est ex eo enim mens legislatoris conijcitur; contineturque in eo causa finalis l. fin. ff. de hæred. restituend. ubi Bart. Bald. Angelus, & alij.

II. Re-

II. Regula. Quod Priuilegia, gratiæ, & concessiones recipiunt interpretationem à supplicatis; menti enim supplicantis præsumitur se conformare concedens cap. inter Dilectos §. Cæterum de fide instrum. ubi Felin. Iason in l. Gallus Decius conf. 10. & alij.

III. Regula. Quod verba canonum legum, & priuilegiorum debent intelligi iuxta id, ad quod principaliter proferuntur à legislatore l. 1. §. non autem ff. de flumine; nam verba posita ad unum finem ad eundem finem sunt interpretanda cap. fin. de verborum signif. sicut etiam actus agentium non operantur ultra eorum intentionem iuxta Philosophos, & Iurisconf. l. non omnes ff. de rebus creditis.

IV. Regula. Quòd una Scriptura non solùm explicatur per alteram partem eius, sed etiam per alias omninò ab ea separatas. Exemplum habetur in l. 1. ff. de rebus dubijs, ubi Vulpianus ait, alteram partem alternatiuè per alteram interpretari; & in cap. 2. requisitis 41. de appellat. ubi dicitur, ea, quæ in principio ad medium, & ad finem, illa verò quæ in medio ad finem, atque principium sæpè referri; hoc est per media declarantur extrema, & per unum extremum declaratur aliud, de quo Bart. in d. l. 1. de rebus dub. Alexander conf. 69. volum. 6. Decius conf. 15.

V. Regula. Quòd voluntas legislatoris declaratur à verosimili; sicut voluntas hominis à verosimili indagatur l. non est verosimile ff. de eo, quod metus causa; nam qui arguit à verosimili, arguit à ratione naturali; cum similitudo sit cognata naturæ, & pro lege habeatur, de quo Bald. conf. 180. n. 3. vol. 3. Oltrad. conf. 13. ad quod faciunt tradita à Suarez in tract. de leg.

VI. Regula. Quando verba non soleant in iure usurpari; nisi in significatione ciuili, tunc secundùm eandem sunt explicanda; sic in iure ciuili, usucapio, præscriptio &c. & in iure canonico suspensio, interdictum &c. Similiter si verba habent solum significationem naturalem iuxta eandem sunt intelligenda. At si verba habeant utramque significationem præferri debet per se loquendo naturalis, quæ in communi conuictu est frequentior. Quod si aliquod verbum habeat duplicem significationem naturalem, præferenda est usitatior, nisi ex signis aliud colligatur. Immò significatio communis præferri debet propriæ, quia lex,

 quæ

quæ loquitur omnibus censetur loqui iuxta intellectum communem. Ita in hac regula Herincx.

VII. Regula. Perpendi debent leges, an sint fauorabiles, vel odiosæ, nam iuxta vulgatam regulam iuris: fauorabiles ampliandæ, odiosæ restringendæ sunt. Quæ autem censendæ sint fauorabiles, vel odiosæ certa regula non potest diffiniri. Illud tamen certum est, quod lex pœnalis priuans aliqua re, odiosa iudicari debet, & similiter lex correctoria iuris communis, & exorbitans, cum correctio legum maximè vitari debeat ex reg. iuris in 6. Lezana verb. leges dicit, eam legem vocari fauorabilem, quæ primariò prodest aliquibus, etsi alijs secundariò noceat; è contra verò illam esse odiosam, quæ primariò pœnam continet, etsi alijs secundariò prosit.

VIII. Regula. Quando lex est fauorabilis explicari potest iuxta utramque significationem verborum, nempe naturalem, & ciuilem; & sic nomine filij venit etiam adoptiuus, & legitimatus. Vbi verò lex est odiosa explicari debet iuxta communem sensum verborum, & mitior interpretatio est amplectenda cap. pœnæ de pœnit. dist. 1. & c. odia de reg.

IX. Regula. Nunquam debet lex ampliari, aut restringi detorquendo verba ad significationem impropriam, nisi ad vitandum absurdum, ne lex reddatur illusoria, & ridicula; vel nisi contineret iniustitiam, vel præiudicium innocentis, vel nimium rigorem, aut simile inconueniens. Vnde lex, etiam odiosa contra sui naturam est amplianda l. 1. §. penult. ff. ad S. C. Maced. & idem dicendum in lege pœnali. Tum quia iuxta vulgatam reg. iur. omnis dispositio interpretanda est, ut valeat potius, quàm pereat. Et, quod dicitur hic de lege fauorabili debet extendi etiam ad alias causas fauorabiles, quales sunt causæ Matrimonij libertatis, dotis, testamenti, & pietatis. Circa hanc ultimam notat Gobat. nomine pietatis, seu piæ causæ venire iuxta communem sententiam Doctorum tam theologalium, quàm legalium, dotem pro honesta puella, victus necessarius congruus statui, aut si pro studio Theologiæ quis legatum faciat &c.

X. Regula. Lex, quantumuis fauorabilis non est extendenda vltra proprietatem verborum ad similes casus ob simi-

militudinem, aut identitatem rationis, ut etiam tradit Bonacin. & alij contra plurimos iurisperitos, & Theologos, ut notat Herincx. Ratio, quia si verba legis casum similem non comprehendant, nec lex comprehendere censetur. Excipitur tamen, quādo ex non extensione sequeretur iniquitas, & imprudentia in lege, vel legislatore.

XI. Regula. Lex non includit illud, ad quod mens, & ratio legislatoris non se extendit l. cùm Pater §. dolo ff. de leg. 2. Mens autem Principis in dubio semper præsumitur fuisse talis, qualis de iure esse debet, de quo Panorm. in cap. suggestum, Bald. l. ex facto.

XII. Regula. In legibus pœnalibus argumentum à simili, aut ab identitate rationis non valet; rigor enim pœnæ potius debet restringi, & mitigari, quàm ampliari, ideoque proprium casum non excedit, ut definitur in iure, & sentit glos. cap. in pœnis 49. de reg. iur. in 6. Ratio; quia lex pœnalis non omninò pendet à ratione, sed à sola voluntate legislatoris taxante certam aliquam pœnam; ita Castro de leg. pœn. lib. 1. c. 7. Anton. de Butrio c. ult. de consuetud. Rodriq. & alij.

XIII. Regula. In rescriptis, & priuilegijs semper præsumendum est, Principem velle se conformare iuri communi, & rationi; ita tamen quod aliquid addatur per priuilegium dispositioni communis iuris, ne superfluum reddatur l. si quando C. de inofficioso testam. vel aliquod dubium tollendo confirmet concessionem.

XIV. Regula maximè necessaria ad interpretationem statutorum regularium est, quod in illis non debent de toto rigore apices iuris seruari, sed secundum æquitatem naturalem (quod bonum, & æquum iurisperiti vocant) interpretari oportet; nam sæpè sæpiùs perniciosè erratur, allegata solùm auctoritate scientiæ iuris, ait Iurisconsultus in l. si seruum §. sequitur ff. de verborum obligatione. Monet tamen Rodriq. Superiores Regulares; & Iudices, ne in suis causis procedant de bono, & æquo ad libitum, & beneplacitum suum absolutè, sed iuridicè iuxta terminos Iuris naturalis, & gentium, de quo Bald. in rub. C. de constit. pecun. & in cap. 1. §. qui viduam; & idem tradit etiam noster P. Miranda in manual. Prælat.

De lege pœnali, & irritante.

QVÆSTIO I.

Vtrum lex pœnalis obliget ante Iudicis sententiam.

NOt. 1. quod lex pœnalis dicitur, quæ pænam aliquam transgressoribus imponit, ad differentiam legis moralis, quæ nullam imponit pœnam, sed mores dirrigit obligando ad actus positionem, vel omissionem. Quod si lex obliget ad actum, & simul ad pœnam dicitur lex mixta, nempe ex morali, & pœnali; si verò solam pœnam intentet, nec ad actum faciendum, vel omittendum obliget, appellatur purè pęnalis. Quæ quidem lex pęnalis, distinguitur in ciuilem, & Ecclesiasticam; & utraque insuper est multiplex pro multiplicitate pęnarum, quæ siue in iure ciuili, aut Ecclesiastico, siue in tribunalibus sæcularibus, aut Ecclesiasticis imponuntur. Specialiter autem in iure canonico, & iudicijs Ecclesiasticis solent irrogari pęnæ excommunicationis, suspensionis, interdicti, cessationis à Diuinis, depositionis, & degradationis. Irregularitas quoque pęnalis infligi solet, sed à Iure; hæc respiciunt Animam; quoad corpus verò numerantur carcer, verbera, bannum, seu relegatio, damnatio ad triremes &c.

Not. 2. Quòd recta legis pœnalis diuisio est in legem pœnalem sententiæ ferendæ, & latæ: prior dicitur ea, in qua legislator tantum comminatur pœnam, seu mandat Iudici, ut reo pœnam infligat: posterior est ea, in qua legislator de facto transgressori pœnam imponit, & ad eam damnat. Quare sententia hic non accipitur pro iudiciali definitione, qua per Iudicem controuersiæ terminantur, sed generaliter pro quouis decreto superioris, siue fiat in iudicio, citatis reo, & testibus, siue fiat in aliqua lege. Et quidem si priori modo fiat vocatur sententia ab homine; & diuiditur in declarationem facti, & in condemnationem pœnæ, & rursus in interlocutoriam, & diffinitiuam. Si posteriori modo fiat dicitur sententia à iure; quod nomen usus obtinuit, ut soli constitutioni iuris pœnalis tribuatur, ita ex communi tradit Herincx.

Not.3. Quòd tria sunt pœnarum temporalium genera: in primo genere reponuntur;quę solum priuant bonis temporalibus, seu ciuilibus, ut pecunijs, & aliquibus fortunę bonis: in 2. reponuntur, quæ priuant bonis naturalibus, ut carceratio, fustigatio, exilium &c. In 3. denique reponuntur, quæ bonis spiritualibus priuant, ut excommunicatio, quæ excommunicatum priuat Ecclesiæ suffragijs, fidelium consortio &c. suspensio, interdictum, & huiusmodi, inter quas pœnas hoc discrimen intercedit, quod pęnæ 3. generis in sola priuatione, & passione consistunt; pœnæ autem 2. generis requirunt quamdam actionem, seu executionem actiuam, qua infligantur; pœnæ verò primi generis sunt quasi mediæ, quàmuis enim quandam actiuam executionem postulent, v. g. dare eleemosynam, ieiunare, & similia, nihilominus cum non sint pęnæ graues, personæ condemnatæ possunt eas per se absque magno incomodo executioni mandare. His prænotatis sit.

I. Concl. lex humana potest obligare transgressores ad pęnas 3. generis, quæ nimirum in sola passione, & priuatione bonorum spiritualium consistunt, subeundas ante Iudicis sententiam. Prob. Nulla apparet repugnantia, non enim minoris est virtutis sententia legis, quàm sententia Iudicis, sed Iudex per sententiam potest condemnare Reum ad pęnam statim subeundam; ergo, & sententia legis id potest. Vnde constat, Ecclesiasticas censuras deberi à delinquente statim obseruari, cessando, & abstinendo ab operationibus per tales censuras prohibitis, ita Doct. &c.

II. Concl. Pęnæ 2. generis, nempe quæ bonis naturalibus priuant, & postulant inflictionem, seu executionem quandam actiuam non incurruntur ipso facto: ita Doctores communiter. Hinc persona delinquens non tenetur ad recensitas pęnas legis subeundas ante Iudicis sententiam, immò nec ante ipsius sententiæ executionem. Siquidem leges humanæ nequeunt graues, & notabiles pęnas imponere tali præcepto, ut delinquens ex sedebat in conscientia exequi, & exercere; naturali enim legi repugnat, ut seipsum quis occidat, vel publicè, & cum infamia grauiter se flagellet; sibi manum abscindat, & similia. Quare ad patibulum damnati se ex scala præcipitare non debent, sed expectare, donec à iustitiæ Ministro proijciantur. No-

ties lex pœnam imponit per verba præsentis tempori, indicatiui modi, qualia sunt, excommunicamus, priuamus, & similia, pœna est latæ sententiæ: sicut etiam si dicatur, est excommunicatus, est priuatus &c. III. Regula. Quoties lex imponit pœnam per verba imperatiui modi quibus, vel nulla significatur actio, vel nulla saltem Iudicis, aut iustitiæ Minister, tunc est latæ sententiæ; ut cum de reo in lege dicitur careat, subijaceat, incidat, vel sit inhabilis, vel sit inane, irritum &c. Quod si dubium est, an verba legis contineant sententiam latam, vel ferendam censendum est, quod tantum contineat ferendam nam in pœnis benignior interpretatio est adhibenda de reg. iur. in 6. Notat insuper Herincx cum Præposito q. 96. d. 3. dub. 7. paucissimas leges videri esse, quæ ita strictè obligent, & forte nullas ciuiles. Immò ultra censuras, & irregularitatem nullam aliam pœnam propriè dictam, qualis est priuatio alicuius iuris quæsiti, seu cæpti possideri, incurri ante sententiam declaratoriam criminis, praxis habet, ut post Farinac. & alios tradit Castro Palao disp. 2. p. 2. n. 12. adeout nullatenus possit executioni mandari. Declaratoria verò sententia requirit citationem partis, teste Iulio Claro, & ab ea dari potest appellatio, ut docet Farinac. & alij passim. Ex quibus colligitur, subdit idem Doctor, pœnam priuationis officiorum, beneficiorum, actuum legitimorum, confiscationis bonornm, inhabilitatis ad hæreditatem adeundam, & similes non obligare in conscientia ante sententiam declaratoriam criminis, etsi ipso iure imponantur.

Neque obstat, hinc sequi frustra poni in lege pœnali verba, ipso facto, & absque alia declaratione, si non contrahitur pœna, delicto commisso; ideoque nullam esse differentiam inter legem latæ sententiæ, & ferendæ; non obstat, inquam; eo quia pœna imposita à lege ipso facto non requirit sententiam condemnatoriam, sed sufficit declaratoria criminis; secùs verò dicendum est de sententia ferenda. Quare consultò in nostris constitutionibus declaratur, quod licet statuta aliqua dicant ipso facto &c. non incurrantur pœnæ ante Iudicis sententiam.

Quæres 1. Ad quid obliget lex pœnalis post Iudicis sententiam: Resp. breuiter cum Caspensi, & Bonacina omissis varijs Theologorum, ac Iurisperitorum sentẽtijs. Quando

tiam semel latam reuocare. Quarè videant Religiosi ad quos in Prouincijs spectat ferre pęnales sentētias; & sciant non esse in suo arbitrio non sententiare iuxta leges,& Constitutiones Religionis; licet aliquando ratione circumstantiarum possint intra taxam legis minuere, vel augere pœnas. Cæterùm, si Iudex supremus sit, non tenetur ad pęnam taxatam per legem; potest namque pœnas remittere, & arbitrari, cum lex ipsum non arctet. Nihilominus si absque legitima causa id faciat, tradunt Doctores, illum peccare ad minùs venialiter.

QVÆSTIO II.

Vtrum ignorantia excuset à pœna legis humanæ.

NOt. Quòd ad pleniorem intelligentiam præsentis quęstionis faciunt ea, quæ tradita fuere de ignorantia in tract. de actibus humanis. Vnde cum illa repetere superfluum sit; solum ad mentem reuoco, quod alia est ignorantia facti, alia iuris, & licet ignorantia facti, & non iuris excuset à pœna, ut habet reg. 13.Iuris in 6. attamen certum est omnem ignorantiam in foro conscientiæ, de quo non loquitur regula allata, excusantem factum à peccato, excusare etiam a pœna ex cap. 2. de constit. ubi dicitur. *Rem, quæ culpa caret in damnum vocari non conuenit*; & ratio est, quia lex iusta non imponit pœnam nisi, ut pœnam, qualis non est, nisi præcesserit culpa. Quæ doctrina, ut obseruat Herincx cum Suarez locum habet etiam in lege purè pęnali, videlicet, illum non incurrere pęnam, cuius opus, vel omissio fit ex tali ignorantia, ut non esset peccaminosum, si sub culpa fuisset præceptum.

I. Concl. Ignorantia quæ excusat à graui culpa, etsi non excuset à peccato veniali, excusat à graui pœna. Secùs autem ignorantia non excusans à culpa graui, nisi lex ad incurrendam pœnam requirat scientiam, aut dolum. Ita ex communi docet Herincx disp. 5. de leg. penal. q. 4. Prima pars patet, quia tunc cessat causa, ob quam grauis pęna imponitur. Ratio 2. partis. Quia hæc ignorantia non tollit causam pœnæ; ergo nec pœnam tollit. Aduertit tamen, quod si actus sit quidem culpabilis, non tamen ea-

cul-

culpa, ob quam est imposita pœna; non incurritur pœna. Certè peccat percutiens scienter, & deliberate alterum, si tamen inuincibiliter ignoret eum esse Clericum non incurrit pęnas latas in percutientes Clericos: Neque coniugatus incurrit priuationem iuris, seu facultatis petendi debitum, si cognoscat alienam, quam inuincibiliter nescit esse suæ uxoris consanguineam.

Notanter dicitur in conc. Nisi lex ad incurrendam pœnam requirat scientiam, vel dolum. Nam si utatur his, aut similibus verbis. Qui temerè hoc attentauerit, præsumpserit, scienter hoc fecerit &c. non sufficit ad pœnam incurrendam quæuis culpa grauis, sed culpa, quæ supponat scientiam, adeout si quis transgrediatur legem ex ignorantia vincibili, aut crassa; etsi sufficienti ad peccatum mortale, non incurrat similes pęnas. Secùs est iuxta Suarez, & plures alios, ut obseruat Herincx, contra Bonacin. disp. 1. de cens. q. 2. p. 1. quando similes leges violantur ex ignorantia affectata, eò quod in iure ipsa æquiparatur scientiæ, ac temeritati.

II. Concl. Qui transgreditur legem humanam in materia iuris diuini, vel naturalis, sciens quidem se agere contra legem Dei, aut naturæ, ignorans tamen inuincibiliter legem humanam, non excusatur à pęna legis humanæ exceptis censuris. Ita Scot. 4. d. 6. q. 8. Suarez, & alij. Ratio est; quia tunc non cessat causa pęnæ; lex enim humana non solum intendit punire sui formalem transgressionem, sed etiam legis D. aut naturalis, præsertim si cadat in materiam à se etiam præceptam.

Notanter dicitur in conc. exceptis censuris. Siquidem probabilissimum est & iam communiter receptum inuincibilem ignorantiam legis Ecclesiasticæ excusare à censura. Quando enim preceptum Ecclesiæ ignoratur, peccans non censetur eam contemnere, aut contumax esse. Quod certius est in censuris latis per Iudices ordinarios cap. Vt animarum de Constit. in 6. ubi dicitur. *Vt Animarum periculis obuietur, sententijs per statuta quorumcunque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes*. Cæterùm etsi Scot. l. c. videatur velle, quod ignorantia canonis non excuset à censura, loquitur de culpabili, ut explicat Hugo Cauellus in Scholio.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrum omnis lex prohibitiua sit irritatoria actuũ, quos probibet: & an leges irritantes obligent conscientia ad non faciendos actus illos sic irritos.

NOt. 1. Quod omnibus compertum est, tum ex usu, & praxi Ecclesiæ, nec non Conciliorum, tum ex praxi Principum sæcularium esse in potestate legislatoris irritare. & inualidare quosdam actus humanos; Aliud enim est, actum esse simpliciter humanum, aliud illum esse validum, seu habere moralem efficaciam, ac proinde posterius potest separari à priori. Dupliciter autem potest actus aliquis humanus quoad moralem efficaciam per potestatem publicam irritari. Primò immediatè, & directè, v. g. contractus Matrimonij clandestini irritatur à Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de Reformat. Et tunc contrahentes relinquuntur habiles ad contrahendum, & solum redduntur inhabiles ad sic contrahendum. 2. mediate, & indirectè; nempe inhabilitando personas aliàs habiles ad contrahendum, & ex consequenti dumtaxat irritando ipsum contractum, prout v. g. personæ consanguineæ affines sunt inhabiles, ac proinde earumdem matrimonia inualida, & irrita.

Not. 2. quod lex irritans est, quæ actum aliàs validum impedit, ne effectum sortiatur; & diuiditur in legem ferendæ, & latæ sententiæ, ad quod dignoscendum faciunt regulæ superiùs allatæ. Siquidem quando lex irritans est latæ sententiæ nulla requiritur sententia iudicis etiam declaratoria, nisi quando lex irritans est pęnalis, seu constituta in pęnam delicti. Actus enim irritantur, vel in pęnam, vel ob bonum publicum, seu commune, vel mixtim, quod ex occasione legis, & subiecta materia est iudicandum. Quare aliquæ leges sunt pęnales, aliquæ non: quando sunt merè pęnales, sequuntur regulas legum pęnalium; & sic requirunt sententiam declaratoriam criminis, estò sint latæ sententiæ. Similiter requirunt scientiam legis adesse, adeout ignorantia excusans actum à culpa, etiam excusét ab irritatione incurrenda. Secùs est, quando irritatio non est constitata in pęnam, aut certè simul, ac principaliter ob bonum commune, ac moralem decentiam di-

ſtinctam à punitione delinquentis. Sic conſtat ex ſenſu Eccleſiæ profeſſionem factam ante præſcriptum tempus à Trid. eſſe inualidam, ſic matrimonium clandeſtinum, aut cum alio impedimento dirimente contractum eſſe inualidum, etſi lex irritans ignoretur.

I. Concl. Leges humanæ, tam canonicæ, quam ciuiles prohibitiuæ non irritant actus, quos prohibent. Hæc eſt communis, & recepta ſententia contra nonnullos Iuriſperitos, & Canoniſtas, aſſerentes omnem legem prohibentem actum, etiam illum irritare; afferentes inter alia pro fundamento regulam iuris 64. *Quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi*. Prob. conc. quoad 1. part. cum Maſtrio diſp. 2. de leg. q. 5. art. 4. De fide eſt, aliud eſſe actum eſſe irritum, & aliud, eſſe prohibitum; eſt enim de fide, ſacerdotem degradatum validè conſecrare, cum tamen id ſit ei prohibitum: Epiſcopum validè ordinare non ſubditos: immò addit Herincx iſta nec irritari poſſunt ab Eccleſia. Idem patet etiam in præceptis Eccleſiaſticis, v. g. illicitum, & tamen validum eſt matrimonium contractum abſque denunciationibus præuijs, aut cum impedimentis impedientibus tantùm. Vnde in his habet locum regula iuris. *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*. Nec contradicit altera regula ſuperius allata. Quæ contra ius fiunt &c. quia ut explicat Maſtrius cum Arriaga, intelligenda eſt de iure irritante; ſed fortaſſe meliùs reſpondetur cum Herincx, quod regula ſolum vult, actus, etſi contra legem merè prohibentem factos, meritò per Iudicem in pœnam poſſe reſcindi, quando irritabiles ſunt iuxta illud, quod dicit Io. Papa c. Videſ. diſt. 10. *Quod contra leges accipitur, per leges diſſolui meretur*. Prob. 2. pars. Nam ex natura rei aliud eſt prohibere, & aliud irritare, & effectus irritationis non eſt neceſſariò connexus cum prohibitione: prohibere namque eſt obligare, ne fiat actus, irritare autem eſt reddere actum inualidum, & nullum; ergo niſi lex ipſa ciuilis prohibesn exprimat irritationem, non irritatur actus. Ita Innocent. in cap. ſi verè de ſent. excom. Felin. in cap. 2. de Conſtit. & alij Iuriſtæ.

II. Concl. Leges prohibentes, & irritantes ſimul actus obligant in conſcientia ad non ponendum actum, ut ſi dicatur prohibeo, veto, præcipio, ne talis res fiat ſine tali,

vel tali conditione &c. volo, ut sic facta non teneant; leges autem, quæ non prohibent, sed tantum præscribunt conditiones quasdam necessarias ad valorem actus, vel contractus per se non obligant in conscientia directè ad illum actum omittendum, sed præcisè, ut non reputetur validus, si fiat sic v. g. lex præscribens formam, qua testamentum condi debet, non obligat simpliciter, & absolutè, sed solùm, quod si aliter testetur, testamentum sit nullum; sic lex irritans contractus minorum; quibus nihilominus non est illicitum facere huiusmodi contractus. Verùm foret illicitum actum irritum facere; quando sit talis conditionis, ut non possit fieri honestè, nisi fiat validè, v. g. si lex præscribat formam actus, ad quem aliquis ex iustitia obligatur; tenetur enim ponere actum validum. Idem est si lex versetur in materia Religionis, nam grauiter aduersari videtur reuerentiæ rebus sacris debitæ, exercere talem actum inualidè; ideoque per legem humanam constituitur medium in materia talis virtutis necessariò seruandum. Hinc matrimonium inualidum contrahere communi sensu est graue sacrilegium. Item inualidè absoluere, profiteri, eligere, beneficia conferre &c. Ita ex communi sententia tradunt Mastrius, & Herincx.

Quæres. Vnde dignosci possit, legem aliquam irritare actum. Resp. duobus modis dignosci posse legem prohibentem velle etiam irritare actus prohibitos; primò quando verbis expressis iniungit, & exprimit irritationem v. g. dicendo. Actus sit nullus, sit irritus, sit inualidus, sit nullius roboris, vel sub alijs æquipollentibus dicendi modis, qui mentem legislatoris satis indicent: 2. modo, quandò lex præscribit formam essentialem, seu substantialem; irritat actum aliter factum, cum res subsistere nequeat sine sua forma substantiali; talem autem formam certò præscribit, si addat clausulas irritantes, ut si dicat. Aliter facta non valeant, sint irrita, cassata, effectum non sortiantur, omni prorsus robore careant, cassamus, annullamus &c. tunc enim lex apertè resistit valori actus. Vnde electio, collatio, sententia, & similes actus aliter exerciti absquè dubio sunt inualidi, sed difficultas est, quando lex non apertè exprimit, unde agnosci possit esse formam substantialem, vel accidentalem, de quo videndi sunt Doct. qui de ea latè tractant.

Quæ-

Quæres 2. An lex irritans fundata in præsumptione suum sortiatur effectum, quando præsumptio non subsistit.

Resp. Quàmuis responsio huius quæsiti ex dictis non obscurè dedu ci possit, attamen pro uberiori doctrina respondeo cum Rodriq. & Suarez; Quod lex fundata in præsumptione non obligat in foro conscientiæ, inspecta veritate in contrarium; tum propter æquitatem, iuxta quam intentio legislatoris est interpretanda arg. l. ex facto ff. de vulg. tum quia contra eam legem passim admittitur probatio, conditionaliter enim tantum obligare censetur dicta lex, nempe si veritas non sit in contrarium cap. veritate dist. 8. Quod procedit etiamsi præsumptio legis sit iuris, & de iure, quæ tam efficax reputatur, ut pro veritate habeatur, ut notant glos. & Doct. in cap. is, qui fidem de Sponsal. & cap. tua nos eod. tit. Id enim non tollit, quin intentio legislatoris secundùm æquitatem interpretanda sit, ne præsumptio veritati præferatur, de qua si constet legitimè, puta per partis confessionem, lex cessat etiam in foro exteriori ex glos. singul. in l. C. de non num. pecun. Idem etiam dicendum est, si præsumptio sit suppositiua (ut vocant) seu quæ supponit posse ita esse, vel non esse; quia lex in illa fundata non semper nititur veritate, ac proinde sublato dubio, in quo fundatur, per veritatem in contrarium inspectam, omnis præsumptio, & lex illi innixa cessat. Et in hoc sensu intelligenda est doctrina superiùs tradita de lege præceptiua fundata in præsumptione iuris, & de iure de Sponsalibus idest in foro fori, seu externo, non autem in foro conscientiæ, estò cogi possit à Iudice, casu quo non possit probare veritatem facti.

Quæres. An pœna conuentionalis obliget in conscientia. Resp. breuiter. Si talis pœna debeatur ad satisfactionem interesse obligat in conscientia ad sui solutionem; ita Corduba lib. 1. q. 36. Caiet. Felin. Nauar. & Fernandez. Si autem non debeatur ex interesse, sed solum ob omissionem, aut actionem aliquam culpabilem contra contractum debetur quidem in conscientia, si petatur ab alio contrahente, non expectata Iudicis sententia, opinio tamen opposita censetur ab Herincx probabilis, nempe quod non teneatur quis soluere huiusmodi pœnam nisi post Iudicis sententiam.

DIS-

DISPVTATIO VII.

De Cessatione, & mutatione legis humanæ.

QVÆSTIO I.

Vtrum lex cesset, cessante fine, seu causa finali.

NOt. 1. Quòd lex humana cessat, seu mutatur, quando eius obligatio tollitur; id autem diuersimodè fieri solet: Aliquando namque lex cessat cessante fine, quæ quidem cessatio dicitur ab intrinseco; aliquando verò cessat velut ab extrinseco; vel quia superior illam reuocet, vel abroget, vel per consuetudinem contrariam; impræsentiarum quærimus tantùm de primo modo, de alijs enim agetur in sequentibus quæstionibus.

Not. 2. quod duplex potest esse finis legis, alius intrinsecus, qui à lege, seu præcepto non distinguitur, sed eum inseparabiliter sequitur e. g. Si legislator præcipiat ieiunare, orare propter honestatem, quæ in ieiunio, & oratione reperiuntur. Alius extrinsecus, & à materia præcepti distinctus; v. g. si præcipiatur ieiunium ob carnis mortificationem, peccatorum satisfactionem &c. Quare interdum cum fine intrinseco, & materia præcepti coniungitur, & spectatur etiam finis extrinsecus, aliquando verò solum finis intrinsecus. Hinc quoties materia præcepti de se habet honestatem, & lex illam præcipit, censetur præcipere ob finem intrinsecum illius; estò simul habeat plures fines. At quoties materia præcepti de se honestatem non habet, vel si illam habet, à legislatore non intenditur, sed solùm illius executio, quatenus alicui fini extrinseco conuenit, tunc ex illo fine extrinseco sumenda est tota honestas rei præceptæ, ut inter alios tradunt Suarez, & Castropal. disp. 5. de legibus.

Not. 3. quod legis finis duplici modo cessare potest, nempe contrariè, seu positiuè, & negatiuè, seu contradictoriè; tunc censetur contrariè cessare finis quando nimirum lex contrarium finem sortiretur, adeout quod prius erat iustum iniustum fiat; tunc autem cessat negatiuè, quando videlicet lex non transit in contrarium statum; ità quod

legis obſeruatio fiat impoſſibilis, iniqua, aut nimis nociua, & ardua, e. g. latum eſt generale præceptum, ne arma noctu deferantur ob vitandas rixas, & perturbationes; Petrus certò ſciens non eſſe ſecuturam ullam perturbationem aut rixam, poterit arma deferre, cum in tali caſu finis legis ceſſet negatiuè. Similiter ſuperior præcipit, ut nullus Religioſus deambulet in loco, ubi poteſt eſſe occaſio ſcandali; quod ſcandalum ceſſare poteſt, & de facto ceſſat in Religioſo Sene. Difficultas igitur eſt de fine ceſſante negatiuè, certum eſt enim; quod quando finis legis ceſſat contrariè, lex quoque ceſſat, quia in tali caſu lex fit iniuſta.

I. Concl. Quando lex fertur ob duplicem finem, nempe intrinſecum, & extrinſecum ſpectandus eſt ſemper finis intrinſecus pro perſeuerantia legis, vel eius ceſſatione. Ita noſter Doctiſs. Caſtro de poteſtate legis pœnalis quem ſequuntur Recentiores, ut Palao, Salas, Bonac. & alij; ratio data fuit ſupra: ideo &c.

II. Concl. Lex ceſſat ob ceſſationem cauſæ finalis eiuſdem in toto; ita communis ſententia. Ratio eſt. *Quia res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur* de reg. iur. in 6. ſed obſeruatio legis inducitur ob talem cauſam; ergo ceſſante tota cauſa finali, ceſſat eius obligatio. Tum quia legislator non intendit obligare ceſſante in totum cauſa legis. Verùm ſi eadem lex habeat plures fines, uno ceſſante remanentibus cæteris; non ceſſat obligatio legis. Similiter ſi finis adæquatus ceſſet pro aliquo tempore tantùm, non ſtatim inferri poteſt, legem abſolutè ceſſaſſe, ſed pro eo tempore remanet ſupenſa lex quoad obligationem.

III. Concl. Vbi lex reſpicit, magis bonum generale communitatis, quam priuatum uniuſcuiuſque in particulari, nunquam ceſſat lex ratione finis ceſſantis reſpectu unius in particulari, niſi ceſſet reſpectu omnium. Hæc eſt communior, & probabilior contra Dianam p. 1. tract. 10. & alios ab eo relatos. Prob. lex, & generale præceptum non reſpicit caſus ſpeciales, ſed ea, quæ communiter contingunt l. ea, quæ rarò ff. de reg. iuris; ergo dum communiter caſus contingere poſſunt, quilibet eſt cenſendus obligatus, quia iam videtur comprehenſus ſub lege, & ſub fine eius. Præterea, dum vulgariter dicitur ceſſare ratio legis in caſu particulari, reuerà non ceſſat omnis ratio in tali caſu, etiam

reſ-

respectu personæ particularis, quia adhuc manet finis generalis, & altior nempe bonum commune, cui est valdè utile seruare legem in tali casu; videlicet, ut sit conformitas in membris communitatis, & via præcludatur varijs,& multis incommodis; nam quisque, ut eleganter discurrit Herincx facilè sibi blandiri posset,causam legis hic,& nunc in se cessare.

IV. Concl. Quàmuis lex respiciat magis bonum particulare singulorum, quàm generale communitatis, adhuc non cessat lex respectu unius particularis; licet cessare videatur finis respectu ipsius in particulari. Hæc probatur ijsdem rationibus, quibus supra &c. lex enim ieiunij, in qua secundum D. Thom. Ecclesia attendit ad id, quod communiùs accidit, magis bonum particulare uniuscuiusque respicit, quàm bonum generale communitatis, prout etiam facit lex confessionis annuæ, & abstinentiæ à carnibus,quę quidem leges etiam ex doctrina Dianæ attendunt ad id, quod communiter solet accidere, non verò ad id quod respectu unius in particulari accidit. Notant tamen Villalob. Rodriq. Harincx, & alij passim, quod, si in aliquo casu particulari lex redderetur notabiliter grauis,ac difficilis quoad obseruantiam, tunc non solùm dicitur lex, seu finis legis cessare negatiuè, sed etiam aliquo modo contrariè.

QVÆSTIO II.

Quomodo lex humana cesset per reuocationem, seu per abrogationem superioris.

NOt. Quòd licet naturalis ratio ostendat, mutationem legis,seu eius abrogationem non debere fieri sine causa urgente, nisi appareat aliqua maior, & necessaria utilitas; Vnde habetur in l. 2. ff. de constit. Princip. *In rebus nouis constituendis euidens esse vtilitas debet, vt recedatur ab eo iure, quod diu aquum visum est.* Nihilominus interdum huiusmodi mutationem ab ingenij imbecillitatem, hominum fragilitatem, temporum successionem, & subditorum ingenia, negotia, & ob alias rationabiles circumstantias contingit prudenter fieri reuocando, & abrogando per superiorem legem latam. Quæ reuocatio si sit totalis, propriè vocatur

 abro-

abrogatio legis; si autem sit partialis, idest una pars; v. g. pœna per legem taxata, vel ipsius legis pars aliqua tollatur, dicitur derogatio.

I. Concl. Lex humana per ipsum legislatorem, vel eius successorem, aut in iurisdictione superiorem abrogari, seu derogari potest: Concl. est clara; & c. 16. Ethicorum habetur registrata Artexensis excusatio his conceptis verbis. *Nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate, & necessitate temporum, ut Respublica possit utilitas ferre sententiam.* Quod si legislator sine legitima causa legem mutaret, malè, & imprudenter quidem ageret, factum tamen tenebit, quia lex essentialiter pendet à legislatoris voluntate.

II. Concl. Episcopus potest constitutiones Synodi Diæcesanæ abrogare, inconsulta Synodo; estò nonnulli contrarium teneant. Ratio est. Quia solus Episcopus est legislator, cæteri autem Clerici, qui in Synodo comparent, se habent tantum, ut Consiliarij, à quibus non dependet legis constitutio, ac proinde nec eius abrogatio; ergo Episcopus extra Synodum potest leges Synodales, tanquam suas leges abrogare.

III. Concl. Nullus inferior potest legem superioris abrogare, nisi ab ipso facultatem habeat. Est communis; & probatur per Clementinam. *Ne Romani Pontificis*, ubi à Clement. V. decernitur legem superioris non posse per inferiorem abrogari, corrigi, aut mutari: ratio, quia legis abrogatio est actus iurisdictionis, & potestatis legislatiuæ, quæ residet tantum in superiore; ergo inferior nequit &c.

QVÆSTIO III.

Vtrum lex cesset per contrariam consuetudinem.

NOt. 1. Quòd consuetudo sic passim describitur ex Isid. l. 1. etymol. cap. 3. est ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum lex deficit, & habetur dist. 1. c. consuetudo. Quæ consuetudo duplex est altera facti, altera iuris: prior est frequentia liberè operandi, vel omittendi: posterior est quasi altera lex obtinens parem obligandi potestatem. Consuetudo pro iure acce-

pta ortum habet à consuetudine facti, quatenus idem est quod actus publicè frequentatus. Rursus consuetudo triplex est, nempe contra legem, præter legem,& iuxta legem. Prima consistit in actibus frequentatis contra legem,& vim habet abrogandi legem: 2. consistit in frequentatione actuum, qui nulla lege prohibentur: 3. declarat, seu interpretatur legem, & consistit in frequentatione actuum secundùm legem, & per hanc consuetudinem lex firmatur.

Not. 2. Quòd, ut consuetudo abroget legem contrariam quinque conditiones postulantur. Prima, ut oriatur ex pluribus actibus liberè frequentatis;non enim consuetudo vim legis habere potest nisi per actus liberos, & voluntarios: 2. requiritur temporis diuturnitas, quæ iuxta Recentiores tam in legibus ciuilibus, quam Ecclesiasticis sufficit tempus longæuum, idest decem annorum; licet plures Doct. pro lege Ecclesiastica requirant tempus 40. annorum ex cap. de quarta &c. ad aures de præscrip. ubi tamen, ut aduertit Herincx, est sermo de præscrip. contra bona, & iura Ecclesiæ: 3. requiritur scientia, & consensus saltem tacitus, & interpretatiuus; qui consistit in eo quod Princeps cognoscens talem consuetudinem non contradicat, ubi facilè potest; nam in hoc differunt lex,& consuetudo, quod in illa expressus consensus, in hac tacitus interueniat: 4. ut actus à populo, vel à maiori parte frequentetur quasi ex obligatione, seu animo introducendæ obligationis, non verò ex sola deuotione; ut vesperi recitare Aue Maria, in die Cinerum cineres recipere &c. In dubio autem, an sit introducta animo se obligandi, an ex mera deuotione,præsumendum est non esse introductam animo se obligandi; quia in dubijs fauorabilior pars est tenenda, & nemo præsumitur velle sibi onus imponere, nisi constet de ipsius voluntate: tum quia tunc melior est conditio communitatis adhuc libertatem suam possidentis: 5. exigitur, ut id, quod introducitur per consuetudinem possit esse materia legis; ideoque contra Ius Diuinum, & naturale non potest consuetudo introduci, ac proinde consuetudo debet constare, ut vim legis habeat, ex actibus,qui sint liciti, & honesti, hoc est non repugnantes legi D. nec naturali l. consuetudinis C. quæ sit longa consuetudo; & sic dicitur rationabilis.

I. Concl. lex humana cessat, ac proinde eius obligatio per contrariam consuetudinem, quæ constat omnibus conditionibus supra recensitis, ac explicatis. Hæc est communis. Prob. Huiusmodi consuetudo habet vim legis, sed certum est, legem præcedentem posse per legem contrariam superuenientem abrogari, ergo & per consuetudinem contrariam; maior patet ex communi sententia, & habetur expresſè in can. consuetudo dist. 1. Hinc bene infertur consuetudinem præcedentem per contrariam consuetudinem superuenientem cessare, & abrogari; si introducta sit à personis habentibus auctoritatem ad eam inducendam; quales non sunt pueri, mulieres, furiosi, & similes, quia hi legem condere non possunt. Ita Roder. t. 1. q. 69. art. 1. & Auctor eius Compendij citans D. Thom. & alios. Cæterùm ad hoc ut consuetudo censeatur præscripta, debet esse consuetudo non interrupta; sicut etiam ut legem abroget; Vnde cap. final. dicitur. *Non debere iuri positiuo praiudicium generare, nisi fuerit legitimè prescripta*; legitima autem præscriptio, ut notant Doct. continuitatem postulat. Quare si consuetudo per actus contrarios quandoque interrumpatur, debet de nouo præscriptio inchoari contra legem. Quot autem actus requirantur ad firmandam consuetudinem, variant Doct. Panorm. Azorius, Barthol. Reginal. apud Dian. p. 1. tr. 10. de leg. ref. 7. & Rodriq. cum suo compilatore censent sufficere duos, vel tres actus, factos contra legem, sciente Principe, & non contradicente, cum facilè possit; quia frequentia alicuius actus, aiunt, habetur quando aliquid bis fit, nam quod bis fit, frequenter fieri dicitur. Quod si actus habeat causam successiuam, & continuationem temporis sufficientis ad consuetudinem inducendam, dicunt, sufficere unicum actum. Aduertit tamen Herincx, quod determinatum tempus non est necessarium, quando consuetudo tollit legem, non via præscriptionis, sed via conniuentiæ, seu tacitæ approbationis personalis Principis; tunc enim videtur, solùm requiri tempus determinandum iudicio prudentis Viri, attentis omnibus circumstantijs &c. Idem dicendum de consuetudine præter legem. De qua re videndi sunt Doct.

Quæres 1. Vnde dignosci possit consuetudinem introductam esse animo obligandi, si de ea dubitatur.

Resp. in dubio præsumendum est, non fuisse animum obligandi, ut supra indicatum est; nisi de ea sufficienter constet, vel nisi indicia moraliter certa aliud ostendant. Iudicia autem ad iudicandum pro obligatione consuetudinis morali iudicio est relinquendum, ait Herincx. Ad quod iudicium prudenter formandum, tradunt communiter Doctores sequentia. Primò; si consuetudo sit difficilis, & de re graui, & communiter à Populo seruata: 2. si superiores eam obligare supponant, & transgressores puniantur. 3. si prudentes, & timorati malè sentiunt de non seruantibus consuetudinem. Denique si obligatio consuetudinis bono publico multùm conducat.

Quæres 2. Quomodo consuetudo probetur.

Resp. Probari per duos testes, si agatur in foro externo. Ita Seraphin. decis. 1349. citans Rotam Roman. anno 1600. 14. Aprilis, Iason, Nauar. Dian. p. 8. tract. 5. res. 28. & alij. At in Belgio, ut refert Herincx, & Sellder consuetudo probatur per turbam, seu turmam, turma autem ad minus debet constare Personis decem.

Quæres 3. An lex prohibens consuetudinem, tolli etiam possit per consuetudinem.

Resp. affirmatiuè si à lege non reprobetur. Ratio est: quia lex, quæ est essentialiter prohibitio potest abrogari per consuetudinem, cur ergo prohibitio consuetudinis non potest consuetudine abrogari? Tum quia prohibitio consuetudinis includitur implicitè in omni lege, in qua prohibetur fieri ipse actus. Ita Suarez lib. 7. de leg. & alij plures. Ratio posterioris est, quia ius reprobans consuetudinem declarat illam non esse rationabilem, nec bono publico expedire, nisi tanta mutatio superueniat, ut non censeatur manere sub ijsdem circumstantijs; sub quibus erat reprobata. Qualiter autem per legem abrogetur consuetudo, ponitur talis regula. Per legem uniuersalem non abrogantur consuetudines speciales locorum, aut statuta specialia; non continentia solum ius commune, aut priuilegia, nisi eorum fiat mentio in lege, aut nisi saltem in genere reuocentur expressè; dicendo, qualescunque contrariæ consuetudines ex cap. 1. de constit. in 6. Verùm consuetudo particularis per legem particularem abrogatur, etiamsi non sit facta illius mentio. Ita Suarez lib. 1. c. 2. Salas disp.

19. sect. 13. & alij. Consuetudo tamen immemorabilis nunquam censetur abrogata per clausulam generalem derogatoriam omnis consuetudinis, nisi specialiter excludatur, & illi derogetur, hæc enim comparatur priuilegio. Ita Rodriq. tom. 1. q. 9. art. 5. citans Couar. Guttierez, Mieres, & Tiraquel.

QVÆSTIO IV.

Vtrum lex cesset per dispensationem.

NOt. 1. Quòd dispensatio est actus iurisdictionis, quo relaxatur lex in casu particulari, vel persona, sub qua subintellige etiam Personam fictam v. g. Monasterium, Religionem &c. relicta eiusdem legis obligatione in uniuersali, aut quo legis obligatio suspenditur ad aliquod tempus. Vnde si obligatio in totum tollitur, dicitur dispensatio totalis, si tantum in partem, dicitur dispensatio partialis. Ad valorem dispensationis requiritur actus internus Superioris legitimè dispensantis, exterius tamen manifestatus, consequenter ipsius consensus adeò est necessarius, ut inualida sit dispensatio, quam superior fictè concessit absque consensu, quia *actus agentium non operantur ultra intentionem eorum l. non omnis ff. si certum petatur.*

Not. 2. Quod ad dispensandum plures sunt causæ. Prima est utilitas communis, vel etiam priuata: 2. est necessitas publica, vel priuata: 3. est pietas. Verùm posita una ex his causis non semper tenetur superior dispensare, tenetur tamen ad dispensandum, quando necessaria est dispensatio ad euitandum damnum publicum, vel etiam priuatum Animæ, vel corporis &c. vel ad euitandum scandalum, ut quando v. g. Vir paratus est ad ducendam mulierem, quam deflorauit, & periculum est, ne illum pœniteat cum ipsa contrahere, tunc superior potest dispensare in impedimento matrimonij, etiamsi Papæ sit reseruatum. Ita Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 10. Salas disp. 20. sect. 4. Herincx, & alij, & infra magis patebit.

I. Concl. Legitimus Superior cum inferiore subdito in lege potest ipsum eximere ab obligatione legis, adhuc perseuerantis respectu aliorum. Est communis, & certa. Prob. Quia obligatio legis humanæ inducitur per voluntatem le-

legitimi superioris præcipientis; ergo etiam per ipsius voluntatem potest auferri iuxta reg. iur. *Res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur;* nisi aliud obstet. Potest insuper superior maior superioris inferioris, qui legem tulit, in legibus ab ipso superiore inferiore latis dispensare; nam ut legitimus superior, & potestas non confertur priuatiuè, sed cumulatiue; Item æqualis in iurisdictione potest dispensare in legibus latis ab eo, cui iniurisdictione successit; quia eadem potestate gaudet. Quare Papa dispensare potest à legibus canonicis, siue sint latæ à Pontificibus, siue à Concilijs.

II. Concl. Superior, seu legislator in suis legibus, vel in ijs, in quibus potest alium dispensare, potest etiam secum dispensare. Ita D. Thom. 22. q. 185. Corduba q. 31. Suarez, Sanchez, & alij. Prob. quia dispensatio est actus iurisdictionis voluntariæ; sed huiusmodi actum potest superior in seipsum exercere, quia ipse non est deterioris conditionis alijs; secùs est de actibus iurisdictionis inuoluntariæ, seu contentiosæ; hæc enim poscit distinctionem personarum, cum importet coactionem, vel sententiam, quæ dicitur ius inter partes. Itaque habens ordinariam potestatem dispensandi, uti cum alijs, ita secum dispensare potest. Hinc præter Pontificem, & Episcopos, etiam Generales, Prouinciales, & superiores locales possunt, & cum alijs, & secum dispensare. Immò & is, cui potestas dispensandi generaliter, & sine limitatione est delegata; alioquin esset deterioris conditionis alijs.

III. Concl. Inferior superior non potest dispensare in lege superioris, quoties superior reseruauit sibi dispensationem, aut inferiori prohibuit dispensandi facultatem. Ratio est euidens, quia inferior non habet potestatem in superiorem, seu in eius leges; cum illæ dependeant à potestate superioris. Nihilominus Episcopi possunt dispensare in lege Pontificis; & Conciliorum generalium, quando adest magna necessitas, & est periculum in mora, & impotentia adeundi Ponlificem, & materia est parua, aut leuiter obligans: nam tunc ex rationabili interpretatione censetur Episcopus habere potestatem dispensandi etiam in expressè reseruatis Pontifici; ut in censuris, votis, impedimentis matrimonij &c. ita Panorm. in c. ac si Clericus §. de adulter.

ter. n. 9. & ibi Decius, Felin. & passim Theologi Azor. p. 1. lib. 5. c. 15. q. 7. plures citans, Vasquez, Rodriq. Villalob. Herincx &c. Immò etiam Prælati Regularium exemptorum possunt cum suis subditis dispensare in legibus Pontificijs in ijs, casibus, in quibus possunt Episcopi cum suis, quia in ijs, quæ sunt iurisdictionis gaudent potestate Episcopali respectu suorum subditorum, ut tradit signanter Roder. in qq. reg. & alij.

IV. Concl. Licet regulariter ad dispensationem requiratur causa; tamen si dispensatio concedatur à legislatore, vel ab alio habente facultatem dispensandi, valida est, sed illicita. Ita communis opinio contra nonnullos. Prob. lex pendet in fieri, & conseruari à voluntate superioris, ut habeat suam vim, ergo poterit legislator, si velit, aliquem eximere ab obligatione legis etiam sine causa. Aduertit tamen Herincx, quod si dispensatio redundaret in damnum iniustum aliorum, ut si cæteris Communitatis imponeretur grauius tributum ratione exempti à lege, adeout lex tributaria aduersaretur iustitiæ commutatiuæ, esset inualida quoad quoram, saltem iniusti excessus. An verò utens tali dispensatione, posito, quod sit valida, peccet; non conueniunt Doct. Nauar. Roder. & plures alij tenent, quod peccet saltem venialiter, quamplures alij censent nec quidem venialiter peccare, quia iam à lege est solutus; secùs si ad indebitè dispensandum superiorem scienter induxerit.

V. Concl. Dispensatio concessa ab inferiori superiori in lege superioris maioris absque causa, inualida, & irrita est; ita Theologi, & Canonistæ; & signanter D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. Prob. Etenim inferior dispensat in alienis bonis, & aliena voluntate superioris, ac proinde, ut dispensatio valide fiat, requiritur iusta causa, qua deficiente superior non censetur consentire, nec iustè præsumi potest eius potestas; nec rationi consonat, superiorem velle concedere, in tali casu dispensationem, vel dispensandi potestatem. Immò nec censetur valida dispensatio facta ab eo, qui bona fide credebat, causam esse iustam, & sufficientem, cum reuerà non esset; licet dispensatus sit tutus in conscientia, donec sibi de insufficientia causæ sibi certò constet; eo quia, sicut bona fides petenti dispensationem sine

cau-

causa sufficienti, non efficit dispensationem validam, ita neque illam reddit validam bona fides concedentis. Sic discurrunt Bonacin. de leg. disp. 1. q. 2. p. 3. Pontius de matrim. Castropal. & alij.

VI. Concl. Quando Prælatus aliquem inhabilem ad aliquod officium promouet, censetur cum eo dispensare, si impedimentum sit iuris humani. Ratio, quia ad dispensationem non requiritur causæ cognitio, sed solum voluntas dispensandi, de qua in præsenti casu satis constat, si inhabilem scienter promouet; in ijs autem, quæ sunt Iuris D. non censetur dispensare, cum ad talem dispensationem exigatur causæ cognitio, & examinatio. Similiter taciturnitas Prælati videntis aliquem iure impeditum exercere actum sibi interdictum, est tacitæ dispensationis signum, & inducit dispensationem; ita Paludan. in 4. d. 36. q. 4. art. 4. Azor. lib. 5. c. 15. q. ult. Salas de leg. disp. 20, sect. 9. & alij, nam taciturnitas est ratihabitio de præsenti, quæ sufficit ad concedendam iurisdictionem.

Cæterum potest ordinarius loci cum forensibus in suo territorio existentibus, sicut cum subditis dispensare in legibus tam communibus, quàm municipalibus; non autem in votis, iuramentis, irregularitate, aut alio singulari impedimento; sic enim refertur, declarasse S. Congregationem Card. quoad vota &c. estò opinio contraria videatur Herincx probabilis.

QVÆSTIO V.

Quomodò dispensatio reddatur inualida ob taciturnitatem veri, vel ob errorem, & metum.

NOt. Quòd subreptio est subticentia veri, & obreptio est narratio falsi; unde Iuristæ distinguunt inter rescriptum, seu dispensationem subreptitiam, & obreptitiam; hæc enim tunc est, quando obtinetur per suggestionem, vel narrationem falsi; illa verò quando per taciturnitatem veri obtinetur, quàmuis frequenter ista inter se confundantur, ut passim notant Doctores.

I. Concl. Taciturnitas qualitatis, quàm iura volunt exprimi, reddit gratiam subreptitiam, quamuis constet, quod,

ea expressa, superior eandem facultatem concessisset. Prob. Quia iura pro forma exigunt expressionem talium qualitatum; sed forma substantialis est semper seruanda ergo &c. Idem dicendum est de qualitate, quæ ex stylo Curiæ semper est exprimenda necessariò in impetratione dispensationis, ne reddatur subreptitia, etsi constet, ea expressa, à superiore adhuc gratiam fore concedendam. Ratio est, quia cum stylus Curiæ faciat ius cap. Quàm graui de crimine falsi. ab eo non est recedendum. Ita Suarez tom.2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. ult. Sanchez lib. 8. de matrimonio, & alij. Secùs est, si nec Ius, nec stylus Curiæ, neque consuetudo specialiter præscribunt aliquid in dispensatione exprimendum, quis tacuerit qualitates dispensationi extrinsecas, quia tunc valebit dispensatio. Verùm vitiatur dispensatio, si taceantur qualitates intrinsecæ dispensationi, & maximè causa finalis; quibus expressis, Prælatus non concessisset eodem modo, quo concessit. Suarez, Sanchez Bonacin. & alij.

II. Concl. Quoties in præcibus duæ narrantur causæ copulatiuæ, quarum altera est vera, est altera falsa, spectanda est causa finalis, atque ea existente vera, non obstat alterius falsitas ita Panormit. & alij, quos refert, & sequitur Mascard. de probat. concl. 325. n. 3. Ratio est, quia quando plura copulatiuè narrantur, quę de iure non sunt omnia necessaria, resoluitur, copulatiua illa in disiunctiuam. Verùm cum disiunctiuè narrantur causæ, sufficit alteram esse veram, ne rescriptum sit subreptitium, ut habetur expresse in cap. inter cæteros de rescriptis, & tradunt Guttierez quæst. Can. lib. 2. Sanchez lib. 8. de matri. disp. 21. & alij. Si verò narretur una tantum causa, & ea sit falsa, inualida absque dubio erit dispensatio, quia tacetur aliquid, quod prudentem habet connexionem cum materia dispensationis.

III. Concl. Vitiatur dispensatio, fitquè subreptitia, quando in supplicatione committitur error circa moralem substantiam rei; sicut enim alij contractus; sic & dispensatio tunc est inualida, & nulla. Quod verum est, ait Herincx, etsi errore detecto, superior etiam faciliùs dispensasset. Quare non valet dispensatio petita in residentia beneficij simplicis, cum sit curatum; in 3. gradu consanguinitatis,

cum

cum ſit affinitatis, eſtò in hac diſpenſatio ſit facilior, aut è contra. Item in impedimento dubio, cum ſit certum; quia tunc non exprimitur moralis ſubſtantia rei, & diſpenſans cenſetur diſpenſare in ſpecie ſibi expreſſa; idem eſt, ſi petatur diſpenſatio in 3. gradu, cum ſit ſecundus. Secùs eſt iuxta Bonaci. q. 2. p. 5. & plures alios, ſi petatur diſpenſatio in 2. gradu, cum ſit tertius, aut in 3. cum ſit 4. eo quia non ſunt ſpecies condiſtinctæ, ſed 2. gradus continet tertium, & 3. quartum, ut minorem; diſpenſans autem in toto cenſetur etiam diſpenſare in parte contenta.

IV. Concl. Ex regula expreſſa Pij V. Conſtit. 13. in Bullar tom. 2. ad diſpenſationem in conſanguinitate, & affinitate, requiritur, ut gradus propinquior exprimatur, ſi ſit primus à ſtipite, v. g. ſi Patruus cum nepte, ex fratre, aut ſorore, vel Amita cum Nepote ex fratre, aut ſorore matrimonium inire deſideret; cum (ut ibidem dicitur) in eo ſua ſanctitas nunquam diſpenſare intendat.

Cęterùm dum perſonę diſpenſandę diſtant in gradu inęquali v. g. 2. & 3. vel 3. & 4. expedit quidem omninò id declarari, ut rectè aduertit Herincx; & ſæpè facultates apoſtolicæ, quæ quibuſdam delegantur, ſe extendunt, v. g. ad 2. & 3. mixtum, quæ tamen non ſe extendunt ad 2. gradum purum; etſi non neceſſariò debeat propinquior tunc exprimi, cum remotior trahat ſecum propinquiorem iuxta regulam allegatam Pij V. obtentis tamen poſtea, ut ibidem additur, litteris pontificijs declaratorijs gradus propinquioris, non expreſi in petitione, quæ ſiquidem non exiguntur ad valorem iuxta Dicaſtil. diſp. 8. de matrim. dub. 9.

V. Concl. Diſpenſatio obtenta per metum incuſſum ad eam obtinendam valida eſt. Ita Sanchez l. 3. de matr. diſp. 39. Suarez de leg. l. 6. c. 21. Herincx, & alij. Ratio, quia geſta per metum valida ſunt, exceptis caſibus in iure expreſſis; ſecus autem diſpenſatio obtenta per dolum, & mendacium, quoties dolus, & mendacia verſantur circa cauſam finalem, & motiuam; quia diſpenſatio vim ræcipit à voluntate diſpenſantis, & diſpenſans non habet voluntatem diſpenſandi, quoties decipitur circa cauſam finalem, & motiuam, ergo &c. Quod ſi dolus, & mendacia verſentur circa cauſam ſolum impulſiuam, valida eſt diſſatio, ut paſſim tradunt DD. nec vitiatur diſpenſatio, ſi

erre-

erretur in nomine personę, vel in nomine Dięcesis: Ita DD.

VI. Concl. Gratia absolutè concessa non expirat morte concedentis, etiam re integra, ut passim tradunt Doct. Verùm si est gratia facienda expirat morte concedentis, re integra; secus autem, si non sit res integra; ut habetur ex cap. Si cui nulla de præbend. in 6. Vbi deciditur facultatem alicui concessam conferendi beneficia non expirare morte concedentis, etiam re integra. Secùs si detur potestas conferendi beneficia certis personis, non in fauorem, & gratiam collata, sed in gratiam eorum, quibus beneficia conferenda sunt. Ratio, quia in primo casu hæc gratia facta erat omninò perfecta, & nullius executionis indigens respectu illius, in cuius fauorem concessa est. At in posteriori casu non erat gratia facta, sed facienda respectu eorum, in quorum fauorem data est.

Quæres. In quibus casibus censetur electa industria Personæ si potestas alicui sit delegata.

Resp. Præsertim in quinque casibus. Primò, quando aliquid ratione confidentiæ alteri committitur: 2. quando grauia, & ardua negotia mandantur: Quando dicatur, Tu, vel per Te agnoscas, vel per te ipsum; quia propter geminationem intelligitur electa industria personæ; ac proinde non potest, committi, seu alteri delegari: 4. quando alicui non committitur iurisdictio, sed nudum ministerium, v. g. ut excommunicet, absoluet &c. quo casu non potest alteri subdelegari, nisi is, cui facta est commissio, esset legatus ex cap. fin. §. ult. de officio delegati: 5. quando Princeps committeret ea, quæ sibi sunt reseruata in signum supremæ potestatis, tunc enim nequit fieri subdelegatio: 6. Quando causa commissa est per verbum mandamus, vel præcipimus; nam cum talia verba necessitatem inferant, non poterit fieri subdelegatio glos. in leg. sepè audiui Cæsarem ff. de officio prætoris. Ita Mallet. lib. 2. tit. 1.

QVÆSTIO VI.

Quomodo cesset lex per priuilegium.

NOt. 1. Quòd priuilegium sic communiter describitur, est priuata lex in alicuius fauorem data à Principe con-

contra Ius commune; dicitur data à Principe; nam solus ille, qui potest legem ferre, potest etiam per priuilegium à lege eximere; & sicut in politicis, seu temporalibus; sic in spiritualibus, cæteris paribus, est discurrendum; Vnde solus Papa potest dispensare in sacris canonibus, & priuilegia spiritualia concedere; Dicitur contra legem, seu ius commune; quia quando alicui conceditur priuilegium præter Ius commune, & sine præiudicio alterius, non est propriè priuilegium, sed beneficium dicitur, ut notat Miranda in Manual. Prel. t. 2. ex Panormit. in cap. olim de verb. signif.

Not. Quod priuilegium aliud est reale, aliud personale. Reale est, quod conceditur alicui respectu loci, muneris, & dignitatis; personale, quod immediatè conceditur personæ ratione sui. Qnarè hoc discrimen est inter ista, quod personale personam sequitur, & cum persona extinguitur; Reale autem rei cohæret, & cum eadem expirat. Item priuilegium aliud dicitur gratiosum, quod videlicet gratis conceditur; aliud conuentionale, quod conceditur interueniente pacto, & aliud purum, quod absolutè conceditur. Insuper priuilegium partitur in id, quod respicit bonum commune, & in id, quod respicit bonum priuatum; Rursus, aliud est purè fauorabile, nempe, quod confert fauorem, & commodum, & nemini affert præiudicium; aliud odiosum, nimirum, quod uni confert fauorem, & alteri præiudicium. Denique aliud est, quod motu proprio Principis conceditur, aliud verò in gratiam petentis.

Not. 3. Quòd materia priuilegij debet esse honesta, rationabilis, fauorabilis, & debet consistere in aliqua facultate ad agendum aliquid, vel non agendum, ad recipiendum, vel non recipiendum. Effectus autem priuilegij respectu priuilegiati consistit in facultate aliqua faciendi, vel omittendi. Vt autem actus facti virtute priuilegij sint validi, requiritur, ut seruetur forma substantialis contenta in priuilegio; actus enim sine forma substantiali celebratus, ut aliàs notauimus, est inualidus Verùm obseruandum, quod priuilegium duobus modis concedi potest; primò absolutè, nullo alio opere iniuncto ad fructum priuilegij consequendum: 2. iniuncto aliquo opere, quod duobus modis iniungi potest, nempe sub conditione, vel

sub-

ſub quodam modo, & ſolemnitate accidentali: ſi in priori forma, præſtandum eſt opus iniunctum, ut fructus priuilegij obtineatur, quia conditio videtur importare formam ſubſtantialem; ſi autem in poſteriori forma, tunc priuilegium valet, etiamſi opus, ſeu modus iniunctus non adimpleatur; de quo videndus Bonac. diſp. 1. de leg. q. 3. p. 4.

Not. 4. Quòd differt priuilegium à lege, etſi dicatur lex priuata, nam priuilegium ex natura ſua non poſtulat eſſe perpetuum, aut concedi communitati perfectæ, aut ſolemniter promulgari. Inſuper per ſe loquendo non obligat priuilegiatum ad eo utendum, nemo enim cogitur uti beneficio. Nihilominus per accidens poteſt quis teneri ad utendum priuilegio; quando videlicet, hoc expreſsè in priuilegio præcipitur, prout fit Clericis, ut utantur priuilegio Clericali Canonis. Si quis ſuadente &c quod quidem priuilegium ſimul habet veram rationem legis; ſicut etiam habent priuilegia ſtabilia, quæ ſunt inſerta corpori Iuris, aut ſolemniter promulgata reſpectu eorum, quibus prohibetur contrauenire, prout ſunt priuilegia Minorennium, & pupillorum. Poteſt pariter per accidens fieri, ut quis teneatur uti priuilegio; ſi per illud fiat habilis ad actum lege præceptum: ſic per priuilegium exemptus à communi interdicto, tenetur die feſto audire ſacrum.

I. Concl. Per priuilegium à Principe alicui conceſſum; ſiue ſcripto, ſiue ſine ſcripto, & bullatione ceſſat lex reſpectu eius, cui indultum eſt: conc. eſt communis, & conſtat ex ſupradictis; etenim Princeps, in cuius poteſtate eſt legem condere, etiam poteſt alioquos iuſtis de cauſis eximere ab ipſa lege. Confirm. Quia ſi per priuilegium lex non ceſſaret, maximè eſſet quia præiudicium inferretur bono communi, & Reipublicæ; ſed hoc non obſtat; licet enim priuilegium reſpiciat bonum priuatum, cedit tamen mediatè in bonum commune, cum non legitimè concedatur, niſi quia expedit Reipublicæ Perſonis, aut rebus, quibus conceditur bene eſſe. Siquidem conceditur priuilegium ijs, qui ſunt de Republica benemeriti, aut de quibus ſperatur, quod ſint benemerendi; multum planè refert, ut remunerentur benemeriti; & ut prouocentur alij ad benemerendum. Quam quidem veritatem tradunt etiam SS. PP. nempe quotquot de priuilegijs mentionem fecerunt,

ſigni-

ſignificando; ideò eſſe retinenda, & conſeruanda, quia non erant nociua communi bono; quin potius utilia, utpote quibus honor exhibetur benemerito, vel quies procuratur, vel impeditur oppreſſio. Quare D. Greg. lib. 7. Epiſt. 39. ita diſertè ſcribit. *Graue nimis, & contra Sacerdotale conſtat eſſe propoſitum, velle cuiuſquam Monaſterij priuilegia olim indulta confundere, & ad irritum, quæ ſunt pro quiete diſpoſita niti deducere.*

II. Concl. Priuilegia varijs modis deſinere poſſunt, aut amitti. Deſinit itaquè primò priuilegium, ceſſante cauſa, ob quam fuit conceſſum; dummodo priuilegium non ſit executioni mandatum l. Vrianus ff. de fideiuſſoribus. Aduertunt tamen paſſim Doct quod hæc concluſio eſt intelligenda cum aliqua exceptione, ſeu limitatione. Primò niſi priuilegium concedatur ad vitandum aliquod morale periculum incontinentiæ, non ceſſat hoc diſpenſationis priuilegium ceſſante ipſo morali periculo ob ſenilem ætatem, ob infirmitatem, vel ob alias cauſas: 2. niſi illud ſit de re, quam Princeps etiam ſine graui cauſa honeſtè concedere poteſt; ita ſe habet priuilegium de anticipando Miſſæ Sacrificio ante auroram ob legitimas cauſas: 2. Deſinit, ſeu amittitur priuilegium per reuocationem; ac proinde priuilegium gratioſum extinguitur per reuocationem concedentis, vel ſucceſſoris, vel eius ſuperioris; priuilegia autem remuneratoria, qualia ſunt priuilegia Mendicantium Regularium; ut loquitur Pius V. in Bulla, *Etſi Mendicantium* non poſſunt reuocari per ſe; Ratio eſt, quia Princeps iure naturæ tenetur ſeruare pacta, & conuentiones etiam cum ſubditis, per accidens tamen, ſicut poteſt priuare ſubditos alijs bonis, quando neceſſitas boni communis id poſcit; ita etiam poteſt eos priuare priuilegijs antea conceſſis. Quæ quidem reuocatio fit in ſpecie, vel per clauſulam generalem: non obſtantibus quibuſcunque priuilegis, per quam clauſulam nō cenſentur reuocata priuilegia contenta in corpore iuris communis, niſi quoque eorum clauſula derogatoria exprimatur. Idem dicendum de priuilegijs conceſſis per modum contractus: ita communiter Doctores. 3. Amittuntur priuilegia, ſeu ceſſant, per non uſum, vel deſuetudinem, aut per uſum contrarium, quando nimirum ſunt odioſa, & redundant in grauamen, & quaſi

seruitutem aliorum, ut expresse habet l. & de nundinis. Ratio est, quia omnes obligationes tam reales, quàm personales sic extinguuntur, nempe spatio decem annorum inter præsentes, 20. autem inter absentes. Cæterùm Priuilegium Ecclesiæ concessum cessat per non usum 40. annorum, & contra Ecclesiam Romanam spatio 100. annorum; contra Monasteria, loca pia, personas, vel bona Religiosorum non currit præscriptio, & non usus, nisi post 60. annos; & ut currat præscriptio requiritur notitia priuilegij, & voluntas non utendi illo. At si priuilegium non cedat in alterius grauamen non amittuntur per præscriptionem, quia neque ipse priuilegiatus contra se ipsum, neque alij, ad quos non pertinet præscribere possunt: ita Rodriq. t. 3. qq. Reg. q. 35. art. 2. & alij: 4. Amittitur per delictum ipsius priuilegiati; quod duplex esse potest, unum non pertinens ad usum priuilegij, & tale delictum non tollit priuilegium, nisi in casibus à iure expressis; quo pacto Clericus mercaturam exercens perdit priuilegium clericale fori cap. ult. de vita, & honest. Cler. Alterum pertinens ad usum priuilegij, idest abusus priuilegij, vel per excessum facultatis concessæ, vel sumendo inde occasionem licentiùs viuendi, & liberiùs peccandi, præsertim cum scandalo, & detrimento boni communis: *Nam priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate* ut dicitur cap. ubi dist. 74. & cap. priuilegium 11. q. 3. Idquè contingit ex iuris dispositione, quæ est pœnalis; ac proinde requiritur sententia Iudicis (qui respectu Regularium exemptorum est Pontifex) saltem declaratoria criminis.

Denique amittitur priuilegium per voluntariam renuntiationem exterius factam, & à concedente acceptatam. Secùs est, si renuntiatio sit tantum interna, ac non dum acceptata, prout patet à simili in alijs iuribus, donationibus, & fauoribus. Hoc tamen locum habet in solis priuilegijs, quæ dantur per modum alicuius potestatis faciendi, vel omittendi aliquid in futurum, qualis est facultas audiendi confessiones, eligendi Confessarium &c. non autem in illis, quæ habent effectum momentaneum, seu operantur statim atque sunt obtenta, qualis est dispensatio in irregularitate, legitimatio &c. hæc enim non possunt redire per renuntiationem, nec etiam per reuocationem Principis.

Quæres 1. Quando priuilegium sortitur suum effectum?

Resp. cum Herincx ex communi sententia. Ordinariè priuilegium non sortiri suum effectum, antequàm innotescat, & acceptetur à priuilegiato, vel eius nuntio, seu procuratore. Ratio, quia priuilegium est veluti quædam donatio, & consequenter exigit, quod innotescat, & acceptetur; licèt in aliquibus priuilegijs non sit necesse, quod adsint tales conditiones; ut tradunt Suarez, Sanchez, & alij. Immò iuxta Sanchez lib. 4. sum. c. 48. Bonac. & quamplures alios contra Suarez, & Vasquez priuilegium obtinet suum valorem à tempore acceptationis factæ à Procuratore, etiam respectu actus per ipsum priuilegiatum exercendi. Hinc inferunt validum esse matrimonium contractum post dispensationem Romæ simpliciter factam, & à Procuratore acceptatam; etsi contrahentibus nondum innotuerit. Similiter valida est confessio facta Sacerdoti post datam ab Episcopo, & acceptatam à Procuratore facultatem; si Sacerdos id ignorans intendat absoluere quantum potest.

Quæres 2. An, & quomodò fiat communicatio Priuilegiorum, quæ sunt Regularibus concessa.

Resp. Quod communicatio priuilegiorum consistit in extensione quadam, seu multiplicatione priuilegij, per quam fit, ut ius uni Religioni concessum, etiam alteri concessum censeatur. Hæc autem priuilegiorum communicatio dupliciter fieri potest, nempe perfectè, & imperfectè; quando priuilegium communicatur perfectè, eius communicatio dicitur ad instar: quando verò communicatur imperfectè, idest, non cum omni fauore, & gratia &c. eius communicatio non dicitur ad instar.

Itaque gaudent Regulares Mendicantes priuilegiorum communicatione ex Leone X. in constit. quę incipit *Dudum per nos* an. 1519. & ex Pio V. per bullam incip. *Romanus* an. 1567. & pro nostro Seraph. ordine extat amplissima concessio Clement. VIII. in Bulla 2. in qua motu proprio, & ex certa scientia tribus Ordinibus S. Francisci communicat omnia indulta, gratias, indulgentias, & alia quæcunque priuilegia concessa, & concedenda alijs quibuscunque Ordinibus, tam Mendicantibus, quàm non mendicantibus, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent.

 Com-

Communicant pariter in priuilegijs Societatis Iesu, ut videre est apud Rodriq. in q. q. reg. tom. 1. & apud Mirand. & alios, qui docent etiam, communicationem priuilegiorum intelligendam esse respectiuè ad Religionem, cui communicatur; nimirum hac lege; ut quæ conceduntur pro Generalibus, Prouincialibus &c. intelligantur communicata illis, qui, etsi non eodem nomine, eodem tamen munere fruuntur. Similiter priuilegia concessa festiuitatibus Sanctorum unius Ordinis, censentur etiam concessa festiuitatibus Sanctorum alterius ordinis. Itaque priuilegia communicata ad inuicem ita fiunt propria illius Religionis, cui communicantur, ac illius, cui primò erant concessa.

Verùm in generali communicatione priuilegiorum non comprehenduntur priuilegia exorbitantia, quæ videlicet non sunt solita concedi. Similiter priuilegia, quæ fuerunt priori Relgioni ex aliqua ratione speciali concessa, quæ non reperitur in alijs. Excipiuntur pariter priuilegia, quæ sunt preiudicialia, ut priuilegia de non soluendis decimis &c. ut censuit Rota in una Vallis Toletan. quartæ funeral. 19. Aprilis 1606. & deniq; exceptio est de priuilegijs sconcedentibus ea, de quibus in iure reperitur sancitum, ut in generali concessione non veniant, nisi in specie exprimantur. Ita Mallet. Insuper in communicatione priuilegiorum non communicatur usus, vel non usus, sed ius utendi priuilegio; ac proinde, licet unus non utatur priuilegio multis concesso, non præiudicat alijs non utentibus illis. Item priuilegia cōcessa uni Monasterio unius Ordinis censentur etiam concessa omnibus Monasterijs eiusdem ordinis. Secùs est de priuilegio concesso uni tantum Religioso. Ita Doctores communiter.

Quæres 3 Quid sentiendum sit de confirmatione Priuilegiorum Regularibus concessorum.

Resp. Priuilegia Regularibus concessa, maximè vero nostro Ordini à pluribus Pontificibus ante, & post Concil. Trid. fuisse confirmata ex certa scientia, ac per Apostolicam potestatem, nempe à Paulo II. Sixto IV. Clement. VII. & VIII. & alijs, quos signanter referunt Rodriq. Potel. Mirand. & Herincx. Et generaliter omnia priuilegia omnium Mendicantium Ordinum confirmauit Pius V. Bulla *Etsi Mendicantium Ordines*. Cui in hac parte, ut passim no-

notant Doctores supracit. non derogant aliæ Pontificum Tridentino posteriorum Bullæ priuilegiorum confirmatiuæ, in quibus additur clausula. *In his, quæ non aduersantur Decretis Concil. Trid.* Etenim ut plurimi Doctores obseruant, clausula illa non intelligitur de omnibus priuilegijs, quouis modo contrarijs Tridentino, sed tantùm de ijs, quæ formaliter ipsi contrariantur, & quæ Concilium ipsum expresse, & signanter reuocat. Nec obstat, quod Trid. sess. 25. cap. 22. de Regularibus decernat Quod omnia, & singula in superioribus Decretis contenta obseruari S. Synodus præcipit; non obstantibus priuilegijs sub quibuscunque verborum formulis conceptis: eò quia loquitur Trid. de decretis huius sessionis dumtaxat; ut satis colligitur ex textu, & alijs circumstantijs. Siquidem imponit coronidem sessioni dicens. Hæc omnia, & singula in superioribus decretis (non ait sessionibus) contenta &c. Quòd si etiam alia fuisset Concilij mens; ut sapienter discurrit Herincx Episcopus Iprensis, statuisset derogationem ad calcem totius Concilij, seu ordinationum omnium. Vnde in decretis aliarum sessionum aliquando exprese derogat priuilegijs, quæ summariè exprimit Rodriq. tom. 1. q. 8. art. 8. aliquando non.

Quæres 4. Qualiter interpretanda sint priuilegia.

Resp. Quàmuis in q. 6. disp 5. plures regulæ inseruientes ad leges, & etiam priuilegia interpretanda traditæ sint; nihilominùs sequentes addo, quæ peculiariter priuilegij interpretationem respiciunt.

I. Regula. Priuilegium regulariter strictè est interpretandum: quia cum priuilegium aliquid contra ius contineat, & plerumque ius alterius diminuat, oportet illud interpretari ità strictè, ut quàm minimè possibile est, derogetur iuri communi, neque ius alterius diminuatur ex cap. Cum dilectus §. final. de consuet.

II. Regula. Priuilegium, quod non est contra ius commune, sed tantum contra legem priuatam, siue scriptam, siue non scriptam interpretandum est latè cap. Olim de verb. signif. Item non sunt strictè interpretanda priuilegia, quando ex stricta interpretatione nihil operantur. Verùm priuilegium, quod sapit beneficium est latissimè interpretandum ex l. benef. ff. de constit. pariter priuilegium fauo-

rabile est latè interpretandum; odiosum autem strictè iuxta regulam iuris. Odia restringi, fauores conuenit ampliari.

III. Regula. Priuilegium contentum in corpore Iuris non est strictè interpretandum: ita passim Doctores cum Couar. 4. decret. 2. q. c. 8. §. 8. Secùs autem priuilegium, non contentum in corpore iuris.

IV. Regula. Priuilegium, quod dicitur ad instar ita explicandum est, ut per ipsum censeatur concessus omnis fauor, & gratia cum eadem extensione, & limitatione, quæ continetur in alio ad instar cuius priuilegium est concessum; ut ex communi tradit Suarez de leg. lib. 8. cap. 15.

V. Regula Priuilegium, quod est ab homine est potentius consuetudine extensiuè, idest in ordine ad pluralitatem effectuum. Consuetudo verò est potentior intensiuè in ordine ad eosdem effectus. Ratio primæ partis est, quia per priuilegium potest concedi aliqua potestas, quæ per consuetudinem etiam immemorabilem acquiri non potest: ita Panormitan. cap. Quanto de consuetudine. Ratio posterioris est, quia faciliùs perditur priuilegium, quàm consuetudo, quia maior est vis eius priuilegio.

VI. Regula. Priuilegium censetur concessum solummodo personis, quæ sunt in priuilegio expressæ, vel quæ in eo comprehenduntur ex significatione verborum priuilegij, aut propter materiæ, & actionis connexionem, aut propter iuris dispositionem. Vnde priuilegium concessum Religiosis, extenditur etiam ad Moniales. Item priuilegium concessum filijs extenditur etiam ad filias; & priuilegium concessum fratribus extenditur etiam ad Sorores. Item priuilegium concessum bonis Mariti extenditur etiam ad bona uxoris communia cum bonis Mariti; Similiter uxor gaudet priuilegio nobilitatis obtento à Mato. Deniquè priuilegium audiendi diuina officia tempore interdicti extenditur etiam ad familiares, ac domesticos: hactenus de legibus.



TRA-

TRACTATVS SEXTVS DE PECCATIS.

DISPVTATIO I.

De natura, & essentia peccati in genere.

QVÆSTIO I.

In quo consistat ratio formalis peccati.

NOt. 1. Quòd peccatum multipliciter accipi potest. Primò pro quocunque defectu siue naturæ, siue artis, & sic à Philosopho in 2. Physicorum monstra vocantur peccata naturæ, & errores alicuius artis, ut grammaticæ, Rethoricæ &c. appellantur peccata artis. 2. sumitur in S. Scrip. pro victima, quæ offerri solebat pro peccatis à populo commissis, sic in Osea cap. 4. dicitur: ***Peccata populi mei comedent***, subintellige Sacerdotes: 3. sumitur pro occasione peccati, quo sensu Deuteronomij cap. 9. ille vitulus aureus, qui fuit Israeli occasio peccati Idolatriæ, dicitur peccatum. ***Peccatum vestrum, quod feceratis, inquit Moyses, arripiens igne combussi.*** Similiter concupiscentia quatenus inclinat nos ad peccatum, dicitur à Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali, peccatum, & aliquando etiam sumitur pro effectu peccati propriè dicti iuxta illud ad Romanos 7. ***Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*** idest, ut explicat D. Aug. Concupiscentia ex peccato originali orta: 4. sumitur pro defectu moris non concernente finem supernaturalem, seù prout deuiat à recta ratione absque lumine fidei, & sic dicitur peccatum philosophicum. Denique sumitur pro transgressione alicuius legis naturalis, vel Diuinæ, vel humanæ, quatenùs nobis præscribunt modum agendi in ordine ad finem supernaturalem, & de hoc peccato theologicè sumpto hic quæritur, non quidem prout comprehendit etiam peccatum originale, de quo egimus in tract. de homine in statu naturę lapsæ,

ſed de peccato perſonali, hoc eſt, quod fit immediatè à libero arbitrio uniuſcuiuſque perſonæ.

Not. 2. quod quatuor à DD. adducuntur definitiones peccati iuxta quatuor genera cauſarum. Prima ex parte cauſæ efficientis, & eſt huiuſmodi. Peccatum eſt trangreſſio legis Diuinæ: 2. ex parte cauſæ materialis ſic iuxta D. Aug. Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei æternam, quæ defiſitio explicari poteſt tàm de peccato commiſſionis, quàm omiſſionis, dicendo non factum, non dictum, quando quis tenebatur: 3. ex parte cauſæ formalis ſic. Peccatum eſt carentia rectitudinis debitæ, quæ deberet ineſſe actui ſecundo, & non ineſt, & hæc eſt D. Anſel. & Scot. 4. ex parte cauſæ finalis. Peccatum eſt auerſio à Deo tanquam ab ultimo fine ſupernaturali, & conuerſio ad creaturas.

Not. 3. quod peccatum aliud eſt habituale, aliud actuale; habituale diuiditur in originale, & perſonale; illud eſt carentia iuſtitiæ originalis in noſtro protoplaſto, & ad nos traducta; hoc autem eſt à voluntate propria cuiuſcunque hominis. Actuale diuiditur in mortale, & veniale. Mortale eſt tranſgreſſio voluntaria legis Diuinæ, vel humanæ grauiter obligantis. Veniale verò leuiter obligantis. Item peccatum actuale ſubdiuiditur in peccatum commiſſionis, & in peccatum omiſſionis. Primum eſt quod fit contra legem prohibentem aliquem actum, ut ſi quis furetur: 2. eſt quod fit contra legem præcipientem, nimirum omittendo aliquem actum præceptum, ut ſi quis non audiat Sacrum. Conueniunt omnes Theologi peccatum omiſſionis formaliter conſiſtere in aliqua priuatione, ideſt in libera omiſſione actus debiti; differunt tamen in quo conſiſtat ratio formalis peccati commiſſionis; quidam enim volunt conſiſtere in aliquo poſitiuo, hoc eſt vel in ipſo actu, qui prohibetur, vel ex eo, quod actus ille liberè tendat in obiectum, quod proponitur, ut prohibitum. Alij cum Ferrarienſi contra gentes c. 9. cenſent, rationem formalem peccati conſiſtere ſimul in actu poſitiuo, & negatione gratiæ ſanctificantis, aut rectitudinis debitæ. Alij denique cum D. Bonau. in diſt. 35. art. 1. & cum Scoto in 2. diſt. 33. rationem formalem peccati tenent eſſe reponendam in priuatione rectitudinis, & conformitatis ad legem Diuinam,

vel

vel humanam, quæ talem actum præcipit, vel prohibet, & hæc inter Theologos est magis communis, iuxta quam sit.

Concl. Ratio formalis peccati consistit in carentia conformitatis, seù rectitudinis, quam actus voluntarius habere deberet, sed non habet ad legem diuinam, vel humanam, contra cuius præscriptum elicitur, vel omittitur. Hæc est germana Scoti sententia loc. citat. ubi cum impugnasset alias opiniones concludit. Concedo igitur iuxta solutionem conclusionis præmissam, quod peccatum est formaliter corruptio rectitudinis in actu 2. non quidem, quæ inest, sed quæ deberet inesse, quod sic probat. Voluntas libera debitrix est, ut omnem actum suum eliciat conformiter regulæ superiori, scilicet secundum diuinum præceptum, & ideò quando agit difformiter ab illa regula, caret iustitia actuali debita (hoc est) iustitia, quæ deberet inesse actui, & non inest, & hæc carentia in quantum est actus voluntatis deficientis est formaliter peccatum actuale. Prob. nostra concl. auct. SS. PP. & signanter D. Aug. qui exponens illud Ioan. *Sine ipso factum est nihil, aut, peccatum non per ipsum factum est, quia peccatum nihil est*, & lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 5. conformiter loquens inquit. *Nemo ergo efficientem causam malæ voluntatis quærat, neque enim est efficiens, sed deficiens*. D. Greg. Nise. orat cathechetica c. 5. ubi ait: *Vitium omne, improbitas in boni priuatione suam habet formam, & characterem*: & D. Basil. asserentis, *vitium virtutis esse priuationem, ut caligo lucis est recessus*: idem tradunt etiam alij Sancti Patres: ergo ratio formalis peccati consistit in carentia, seù priuatione boni moralis.

Prob. ratione à priori. Nulla res est, aut dicitur mala, siue in se, siuè in ordine ad aliud, nisi per priuationem, aut defectum bonitatis, sed peccatum commissionis est maximum malum in genere moris: ergo eius malitia formalis in priuatiuo, & non in positiuo consistit. Confirm. Ex ratione bonitatis, ut opponitur malitiæ, quæ semper in perfectione consistit, vel in complemento rei, siue in se ipsa, siuè in ordine ad alia: ergo ex opposito sequitur, malitiam in defectu talis integritatis, vel complementi consistere. Adde quod malum tàm in genere naturæ, quàm artis consistit in priuatione conformitatis ad leges, & regulas naturæ, & artis, hoc est in deficientia, ac deuiatione ab ipsis:

et-

ergo tantò magis malum morale consistit in deficientia, & recessu à legibus, & regulis morum. Prob. insuper ratione Scoti in 2. dist. 37. Posita voluntaria, & libera priuatione conformitatis ad legem, & regulas morum in voluntate, vel in eius actu; præciso, vel secluso quocunque positiuo illis superaddito, intelligitur peccatum: ergo peccatum quod est malum morale formaliter consistit in priuatione.

Confirm. Etenim posita tota substantia actus cum libera tendentia in obiectum, quod proponitur prohibitum, adhuc actus non intelligitur formaliter malus, nisi intellecta tali priuatione: ergo &c. Prob. modò quod peccatum non consistat formaliter in aliquo positiuo morali, quæ dicatur relatio dissonantiæ, vel disconuenientiæ ad legem, aut ad rationem, ut putat Vasquez, quem sequitur Caspens. Talis enim dissonantia, & disconuenientia non benè concipitur, vel explicatur per modum ordinis positiui, & contrarietatis ad legem, aut ad rationem, sed potius explicari debet per negationem, nempè per modum recessus à lege, & sic non importat aliquam relationem positiuam. Tum quia non considerata illa disconuenientia positiua in actu, sed tantum carentia debitæ honestatis, & conformitatis ad rationem, habetur totum id, quod requiritur ad rationem malitiæ: ergo superfluit quęcunque alia ratio positiua dissonantiæ, seu disconuenientiæ.

Arg. cont. concl. Malum naturale respectiuum, seu malum alteri sæpè consistit formaliter in positiuo, ut patet de errore intellectus, qui est malus, non tantum quia priuat scientia per suammet entitatem positiuam, & de dolore, qui præter voluptatis priuationem, adhuc est malus: ergo & malum morale consistit in positiuo præter negatiuum.

Resp. neg. assumptum in ant. nam error intellectus est talis per carentiam rectitudinis, & sic dolor est priuatio perfectionis, seu voluptatis.

Arg. 2. Actus malus est talis formaliter ab eo, à quo habet tendere liberè in obiectum: sed talem tendentiam liberam in obiectum, ut sic propositum, habet actus antecedenter ad quamcumque negationem, vel priuationem, & hoc totum est positiuum: ergo secundùm entitatem positiuam, ut sic tendentem in obiectum, est formaliter malus: min.

pa-

patet, nam omnis actus specificatur ab obiecto formali.

Resp. dist. mai. Actus malus &c. habet ab obiecto, quatenus tale obiectum est dissonum rationi, vel legi, conc. mai. quatenus est per se tale, neg. mai. seclusa enim lege, illa tendentia libera in obiectum non esset mala.

Contra. Tendentia positiua in obiectum, prout rationi dissonum, in actu est prior, quàm priuatio conformitatis ad legem, quia talis tendentia est causa priuationis sequentis: ergo tendentia positiua actus in obiectum prohibitum priùs intelligitur specificata in genere moris, quam intelligatur priuatio conformitatis. Resp. neg. assumptum in ant. nam, sicut obiectum est malum, quia est dissonum rationi, vel legi, ita etiam illa libera tendentia positiua in obiectum est mala ob eandem dissonantiam.

Contra. Actui malo per se, v. g odio Dei secundùm esse positiuum, & quatenus est formalis auersio positiua à Deo, conueniunt omnia prædicata, quæ competunt malitiæ formaliter: ergo actus malus secundùm suum esse positiuum erit talis, & non per negationem conformitatis.

Confirm. eo quia saltem in actibus intrinsecè malis, quale est odium Dei eorum malitia consistit in entitate positiua, & non per conformitatem ad legem, alioquin non essent per se, & intrinsecè mali: ergo non omne peccatum commissionis consistit in priuatiuo formaliter.

Resp. neg. ant. ad confirm. dicimus nullum dari actum per se malum, quod non sit tale per difformitatem à lege vel æterna, vel naturali, vel positiua, ut ostendimus in disp. 2. de leg. q. 1. Vnde actus odij ipsius Dei dicitur malus intrinsecè, quatenus est difformis à lege æterna, qua per impossibile sublata, non esset intrinsecè malus; tales enim actus ideo sunt necessario mali quia lex æterna necessariò dictat esse tales, & non è contra.

QVÆSTIO II.

In quo consistat ratio peccati habitualis.

NOt. 1. Quòd in præcedenti quæst. diximus peccatum aliud esse actuale, aliud habituale, & ibidem de actuali data est descriptio; habituale autem sic definitur: Est trans-

transgressio legis D. vel humanæ iam præterita, adhuc tamen moraliter permanens, instar habitualis effectus usque dum sufficienter sit retractatum, & deletum. Et quamuis doctores circa descriptionem peccati habitualis, non videantur discrepare; attamen non omnes conueniunt in modo explicandi, in quo nempe consistat ratio peccati habitualis. Thomistæ putant consistere in sola, ac simplici priuatione gratiæ. Alij præsertim Recentiores opinantur peccatum habituale nil aliud esse, quàm ipsum peccatum præteritum, & carentiam condonationis diuinæ, & æqualis satisfactionis ex parte peccatoris, quod idem est ac dicere, peccatum habituale esse actum præteritum ex parte Dei non condonatum, & ex parte peccatoris non efficaciter retractatum. Alij denique ut Scotistæ antiquiores ponunt rationem peccati habitualis in reatu quodam, seu in quadam obligatione ex actu peccaminoso contracta, qua quis statim ac peccat, realiter obligatur ad pœnam peccato correspondentem: ita Bassol. Almainus Tataret. Nicol. de Nyse, quibus consonant Aretinus, Fauent Gauatius, & doctiss. Mastrius, qui in disp. 8. ita loquitur de Scotistis recentioribus in sententiam Neutralium abeuntibus.

Verùm, quia Thomistæ præsertim iuniores adeò acriter in hanc opinionem Scoti insurrexerunt, ut ne dum falsitate, & improbabilitate omnimoda eam notauerint; sed etiam in Ecclesia iam damnatam esse dixerint inter propositiones quasdam Michaelis Baij: Hinc factum est, quod recentiores Scotistæ tot clamoribus, atque minis perterriti hanc germanam Scoti sententiam hactenus à nobilioribus Scotistis egregiè defensam timidè nimis deseruerint, illam inuitè ad recentiorum sententiam trahentes.

Cæterùm Scotistas Iuniores à veteribus solum discordare censeo in modo explicandi mentem Doctoris, cum omnes affirment in peccatore, transacto iam actu peccati, remanere reatum culpæ, quod per Sacramenta, ut determinat Concil. Trid. contra quosdam hæreticos, deletur.

Not. 2. Pro intelligentia Scoti doctrinæ, idest in quo consistat ista macula habitualis, seu reatus culpæ, & pœnæ, de quibus loquitur Scotus in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. quod per reatum, & obligationem ad pœnam duo intelligi possunt, nempè vel ordinatio, & deputatio ad pœnam, quæ

est

est denominatio extrinseca, aut relatio sumpta ab actu diuinæ voluntatis, quo peccator ob actum peccaminosum præcedentem, deputatur ad pœnam illi debitam, vel denominatio extrinseca, aut relatio ab actu ipso peccati prçterito desumpta, quæ est dignitas pœnæ, vel deputationis, & ordinationis ad pœnam, quatenus eo ipso, quo homo peccauit, redditur dignus ratione peccati, ut ordinetur ad pœnam. In primo sensu talis obligatio ad pœnam dicitur simpliciter, & absolutè reatus pœnæ, at in secundo sensu propriè dicitur reatus culpæ, qui veluti passio consequitur ad ipsum actuale peccatum, & manet moraliter, vel habitualiter in peccatore, quo sensu locutus est Scotus, quando loc. cit. dixit, reatum, seu obligationem ad pœnam esse peccatum habituale, qui quidem reatus appellatur etiam dignitas pęnæ, idest quatenus est dignus pęna.

I. Concl. ratio formalis peccati habitualis non consistit in priuatione gratiæ sanctificantis: ita Scotus in 4. dist. 14. q. 1. contra D. Thomam, & Thomistas omnes. Prob. 1. Si peccatum habituale consisteret in sola gratiæ priuatione: ergo sequeretur (inquit Scotus) qui commisisset duo peccata mortalia, & qui unum tantùm, essent æquè peccatores intensiuè, & extensiuè, quia tota gratia quantùm ad intensionem, & sola ipsa quantùm ad extensionem priuat, tàm in eo, qui commisit unum peccatum, quàm in eo, qui duo millia, & ideò unus non dicitur minus peccator post actum transeuntem, quàm alius, sed hæc videntur absurda: ergo &c. Prob. sequela maioris: etenim in quolibet per unum peccatum mortale ita fit priuatio gratiæ, quod nihil eius remanet, ac per consequens per nullum succedens peccatum, potest ista priuatio fieri intensior, nequè extensior, loquendo non de priuatione Iustitiæ actualis, qualis est rectitudo, quæ deberet inesse actui secundo, sed de habituali; quia non priuat nisi unum habitu gratiæ, sicut non est reatus nisi unius inesse: ergo apertè demonstratur peccatum habituale non consistere in sola priuatione gratiæ.

Præterea. Peccatum veniale pariter relinquit post se quamdam maculam, ratione cuius potest quis dici peccator habitualis, tamen non priuat gratia, neque ex parte, neque ex toto, ut apud Theologos certum est: ergo ratio

peccati habitualis non consistit in sola gratiæ priuatione. Currit paritas de peccato veniali, & mortali; nam mortale, & veniale actuale sæpè sunt eiusdem speciei e.g. furtum graue, & leue, & consequenter sunt eiusdem speciei utrumque habituale; tùm quia peccatum veniale manet habitualiter, donec remittatur, vel per Confessionem, vel per alia remedia: ergo peccatum habituale saltem generaliter sumptum, prout complectitur tàm mortale, quàm veniale, non est formaliter priuatio gratiæ.

II. Concl. Neque peccatum habituale consistit in sola ordinatione ad pœnam: ita Scotus, ubi supra, licet aliter nonnulli Scotistæ sentiant de mente Scoti. Verùm, ut rectè notat Illustriss. Cauellus in scholio, Scotus solùm vult, nil dari medium inter actum peccati, & obligationem ad pœnam, quæ de facto, & velut physicè manent transeunte actu, esse ipsum peccatum habituale, etsi appellet eam peccati maculam, sed ipsum actum præteritum virtualiter manentem. Nunquàm enim Scotus negauit manere peccatum post actum præteritum in ratione culpæ; immò in dist. 21 q. 1. ut aduertit Herincx expresè ait, secundum Sanctos distingui inter remissionem culpæ, & remissionem pœnæ debitæ; ergo Doctor apertè stat pro nostra sententia. Prob. concl. Ordinatio ad pœnam fit à voluntate D. ac proindè non est mala moraliter; at peccatum habituale nec à Deo est, nec quid moraliter bonum; cum sit turpitudo quædam, & Dei offensa: ergo non in sola ordinatione ad pęnam reponenda est ratio formalis peccati habitualis. Accedit, quod Sedes Apostolica damnauerit hanc Baij propositionem, *In peccato sunt duo, actus, & reatus, transeunte actu nihil remanet nisi reatus, siuè obligatio ad pœnam*. Vnde in Sacramento Baptismi, aut pęnitentis absolutione propriè peccati reatus tantum tollitur, & ministerium solùm Sacerdotis liberat à reatu pœnæ scilicet ab obligatione ad pœnam consequenter: ergo ratio peccati habitualis nequit consistere in sola ordinatione, vel obligatione ad pęnam.

III. Concl Ratio formalis peccati habitualis est ipsum actuale peccatum præteritum moraliter perseuerans in voluntate peccatoris, ratione cuius priuatur gratia, & ad pœnam ordinatur, donec peccatum remittatur. Est Scoti loc. cit. quem communiter sequuntur Recentiores.

Prob.

Prob. Etenim pręter illud peccatum præteritum, sic moraliter permanens nihil aptius, & conuenientius potest assignari, quo homo possit æstimari, & denominari peccator: ergo &c. Ant. patet ex improbatione aliarum sententiarum: Consequentia est euidens. Sicut enim ab actu existente homo denominatur actualiter peccator, ita ab eodem moraliter, & habitualiter perseuerante, denominari debet peccator habitu, seù reatu. Confirm. nàm si aliquid obesset, quominùs ratio formalis peccati, in actuali peccato moraliter perseuerante, esset reponenda, maximè quia actus ille physicè transit, ac proindè nequit adhuc moraliter perseuerare; sed hæc ratio est nulla, eo quia non est nouum, quod actus humani etiam postea moraliter perseuerent in ordine ad dandam aliquam denominationem velut effectus moralis, ut patet in contractibus, qui manent donec dissoluantur. Item in votis, quæ manent donec vel sint impleta, vel per dispensationem relaxata, & deniquè in humanis offensa alterius hominis, & iniuria censetur adhuc moraliter perseuerare, postquam physicè euanuit, donec detur plena satisfactio, aut fiat iniuriæ remissio: ergo etiam offensa Dei censetur sic habitualiter permanere.

Arg. cont. 1. concl. Peccatum actuale est actualis auersio à Deo: ergo peccatum habituale erit auersio habitualis; sed hæc est sola priuatio gratiæ permanens in Anima, sicut gratia ipsa est conuersio habitualis hominis in finem supernaturalem: ergo priuatio gratiæ est formaliter habituale peccatum. Confirmatur. Iustitia habitualis secundùm omnes est gratia: ergo iniustitia habitualis formaliter erit priuatio gratiæ, sed peccatum habituale est iniustitia habitualis, sicut peccatum actuale est iniustitia actualis: ergo peccatum habituale consistit in carentia gratiæ.

Resp. neg. ant. in rigore loquendo, quia ut docet Scotus in 2. dist. 37. duplex est auersio à Deo, una formalis, quæ si sit positiua, consistit in odio Dei, si tale odium sit possibile; si sit negatiua, consistit in carentia amoris Dei, quando amare Deum quis tenetur. Alia est auersio virtualis in omni peccato saltē mortali inclusa, quia, cum præceptorum Dei adimpletio sit necessaria ad fruendum Deo, qui hæc transgreditur, eo ipso virtualiter se auertit à Deo. Itaque peccatum actuale formaliter est voluntaria transgressio legis

Di-

Diuinæ, ex qua ſequitur auerſio à Deo ut legislatore, & ut fine ſupernaturali.

Ad confirmationem: reſp. ex Scoto in 4. diſt. 14. Priuationem gratiæ dici ſolere iniuſtitiam habitualem, quia eſt carentia gratiæ, qui eſt habitus, & non quia ſit idem, quod peccatum habituale, ſeu moraliter permanens, ex qua doctrina patet reſponſio &c.

Arg. 2. Iuſtificatio conſiſtit in translatione animæ à ſtatu peccati, ad ſtatum gratiæ, iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. ſed huiuſmodi translatio fit à priuatione gratię ad ipſam gratiam: ergo priuatio gratiæ formaliter eſt ipſum peccatum habituale, quod per iuſtificationem aufertur.

Reſp. ex Scoto in 4. diſt. 16. q. 2. Remiſſionem peccati, & infuſionem gratiæ, ex quibus integratur iuſtificatio, non eſſe unam ſimpliciter mutationem, ſed duas, quarum prima eſt tranſitus à peccato in negationem eius, altera eſt tranſitus à priuatione gratiæ ad ipſam gratiam; Per primam mutationem deſtruitur ſtatus peccati, eſtò ſecunda mutatio non eſſet ei annexa.

Arg. 3. Macula peccati originalis conſiſtit formaliter in priuatione iuſtitię originalis: ergo & macula peccati actualis in priuatione gratię, hęc enim priuatio non minus quàm illa eſt malum mortale, & peccatum habituale conſtituens, & denominans peccatorem. Reſp. neg. aſſumptum in ant. Ratio eſt, quia etiam macula peccati originalis conſiſtit in reatu culpæ, quatenus talis reatus præſefert obligationem ad pœnam damni ex actuali Adæ præuaricatione in poſteros deductam; quare in Sacramento Baptiſmatis huiuſmodi reatus peccati originalis, iuxta doctrinam Concil. Trid. verè, & propriè deletur, ac proindè non eſt ſola carentia Iuſtitiæ originalis.

Arg. cont. 3. concl. Hæc ſententia apertè aduerſatur doctrinæ Scoti: ergo non eſt à nobis admittenda. Ant. patet ex his, quæ Scotus habet in 4. diſt. 14. q. 1 ubi videtur apertè docere, aliquem dici peccatorem habitualiter ſolùm per quandam relationem rationis in quantum eſt obiectum intellectus, vel voluntatis Dei, quia inquit Doctor, poſtquàm commiſit (ſubintellige peccatum) Dei voluntas ordinat ipſum ad pœnam correſpondentem peccato, & tunc intellectus præuidet, & pro omni tempore, donec pęna debita

bita sit soluta; ergo asserta conclusio est contra nostrum Doctorem. Resp. neg. ant. & ad ea verba Scoti allata aliqualem responsionem notauimus suprà ex Cauello, & rursus hic breuiter respondemus, quod dum Scotus dicit, peccatum habituale consistere in relatione ad pœnam, intelligendum est non formaliter, sed effectiuè. Vnde eius mens fuit, rationem peccati habitualis non esse formaliter reponendam in ipsa ordinatione ad pęnam, sed tantùm quod hæc ordinatio, ex ipso actu peccaminoso moraliter perseuerante, proueniat.

Arg. vltimò. Peccatum habituale est effectus peccati actualis: ergo non est ipsum peccatum habituale moraliter perseuerans, quia nihil est effectus sui ipsius. Resp. dist. ant. Peccatum habituale phisicè consideratum idest quatenus est habitus vitiosus ex frequentatis actibus vitiosis generatus, conc. ant. Moraliter consideratum est effectus peccati actualis, neg. ant. quia ut sic est ipsum actuale peccatum perseuerans, donec deleatur, ut supra dicebamus.

QVÆSTIO III.

Quodnam sit subiectum peccati.

NOt. Quòd hic non loquimur de subiecto proximo, & immediato peccati, & malitia ipsius, nam ex dictis constat proximum, & immediatum subiectum peccati, & malitiæ ipsius esse solùm voluntatis actum elicitum, vel imperatum, positiuum, vel negatiuum, in quantum voluntas circa quodcunque obiectum creatum, vel increatum tendit liberè, saltem cum indifferentia contradictionis per actum positiuum, vel negatiuum, rectum, vel obliquum, quod ex Scoto quolib. 18. art. 2. in hoc sensu intelligitur: sicut enim voluntas, ut est sub indifferentia actiua ad elicere actum, vel non elicere, continuare, vel non continuare, stante præcepto legis negatiuo, debitrix est rectitudinis, & imputabilis actiuè; etsi elicit actum, dicitur actiuè peccare: ita pariter actus ipsius voluntatis, quia ex se est liber passiuè etiam in eo instanti, quo fit, quatenus stat sub indifferentia in actu primo ad elici, & non elici, continuari, & non continuari, contrahit morale debitum

passiuum. Quare sicut indifferentia actiua, & debitum actiuum ex parte voluntatis sufficit, ut ipsa dicatur peccare, vel peccatrix, ita ex parte actus indifferentia passiua, & debitum passiuum sufficit, ut ipse dicatur peccatum, & passiuè capax rectitudinis, & conformitatis ad legem præcipientem, vel prohibentem; non loquimur, inquam, de hoc immediato subiecto, sed de subiecto remoto, qualis est potentia, quæ potest huiusmodi actus elicere, qui sint malitiæ moralis capaces.

I. Concl. Sola voluntas est subiectum primarium ipsius actus peccaminosi; est communis sententia SS. PP. & signanter D. Aug. lib. 3. de libero arbitrio dicentis, quod causa primaria peccandi est voluntas, necnon omnium Theologorum. Prob. ratione. Omnis actus peccaminosus necessariò debet esse liber, aliàs non esset peccaminosus; sed assensus liber est actus elicitus voluntatis, & in eadem immediatè receptus, & subiectatus: ergo omnis actus peccaminosus, ut liber subiectatur in voluntate. Tum quia libertas ad peccatum requisita est primariò, & essentialiter in voluntate, & in alijs potentijs est libertas solummodò per quamdam participationem, quatenus voluntas suo imperio in illis influit: ergo etiam ipse actus peccaminosus primariò, & essentialiter est in voluntate, ut rectè docet Scotus in 4. dist. 42. §. ad quæstionem.


II. Concl. In alijs potentijs à voluntate, nimirum in intellectu, & appetitu sensitiuo non subiectatur peccatum, seu non est primariò, sed tantùm secundariò. Est Scoti loco cit. & est communis sententia Theologorum, excepto Caiet. p. 2. q. 74. art. 4. cuius opinio vocatur ab Herincx paradoxa, seù potius error. Putat enim Caiet. posse in sensualitate reperiri peccatum veniale etiam citra libertatem, & consensum voluntatis, quasi sensualitati insit quædam imperfecta libertas. Prob. concl. Consensus voluntatis sic est necssarius ad peccatum, ut tamen in cæteris potentijs consumatur peccatum; e. g. Hæresis in intellectu, homicidium in potentia loco motiua, & motus sensualitatis in appetitu sensitiuo; ergo in cæteris potentijs à voluntate potest esse peccatum, non quidem ex propria natura cum illis nulla ratione competat libertas, sed per imperium ipsius voluntatis libertatem participantes sunt pec-

cati subiectum, ac proindè secundariò, & non primariò in potentijs alijs à voluntate subiectatur peccatum.

III. Concl. Motus concupiscentiæ in sensualitate orti, & rationem præuenientes (qui à Theologis dicuntur motus primò primi) non sunt peccata, nec etiam venialia. Hæc est de fide contra Lutherum, Caluinum, & alios Hæreticos temerè asserentes huiusmodi motus esse peccata ex vitio fomitis. Prob. concl. ex Trid. sess. 5. Can. 5. ubi definitur, per Baptismum tolli totum id, quod verum, & propriam peccati rationem habet, non tollitur autem concupiscentia, de qua, ita subdit Trid. *Quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, non valet*. Eadem veritas habetur in S. Scrip. & & signanter ad Rom. c. 7. *Si autem: quod nolo malum illud facio iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, idest, ut expendit ex communi sententia Herincx. Si contra voluntatem sentio motus partis inferioris, seù concupiscentiæ non pecco, sed id tribui debet concupiscentiæ in me ex peccato relictæ ad peccatum inclinanti.

Prob. ratione. Nam si motus concupiscentiæ essent peccata etiam ultrà consensum, frustrà diceretur Eccles. 18. *Post concupiscentias tuas non eas*; scilicet illis non consentias, ut rectè D. Aug. docet. lib. 5. contra Iulianum c. 30.

Præterea. Omne peccatum debet esse voluntarium, & liberum: ergo cum tales motus nullatenus sint liberi, non possunt esse peccata. Tum, quia si essent peccata, sequeretur, quod lex Diuina, vel naturalis nos obligaret ad impossibile, cum impossibile sit huiusmodi motus impedire. Non est tamen admittenda opinio quorundam dicentium. Si postquàm ratio sufficienter aduertit, tales motus, seù delectationes in sensualitate, voluntas se habeat negatiuè, nec consentiendo, nec positiuè reprimendo; immò motum ipsum permittendo, non videtur grauiter peccare per se loquendo, quando id non facit ex complacentia delectationis sensibilis, & sibi satis firma videtur ad abstinendum ab omni consensu.



QVÆSTIO IV.

Vtrum dari possit pura omissio culpabilis.

NOt. 1. Quòd omissio nil aliud est, quàm priuatio, seu carentia actus, quem quis operari debebat ex vi præcepti, ut non audire Sacrum, quod audire tenebatur; & sic de alijs omissionibus tam internæ, quàm externæ operationis. Omissio autem non potest esse peccatum, nisi aliqua ratione sit voluntaria: & hoc tripliciter contingere potest, nempè quod sit voluntaria. Primò quia voluntas expressè, & explicitè fertur in ipsam, ut si quis habeat hunc actum, volo non ieiunare, vel non diligere proximum, quando præceptum urget. 2. potest esse omissio voluntaria non in se, sed in causa, ut dum quis vult aliquod incompossibile cum impletione præcepti cum aduertentia futuræ omissionis, ut qui vult ludere tempore, quo implendum est preceptum audiendi Sacrum: 3. potest contingere omissio voluntaria absque aliquo actu, quia quando proponitur per intellectum præceptum, & obligatio, voluntas suspendit omnem actum, & se habet merè negatiuè. In præsenti quæstione non loquimur de omissione primo modo, nec 2. sed 3. modo.

Not. 2. Quòd circa hanc quæstionem versantur tres opiniones. Prima asserit non posse dari puram omissionem in voluntate circà aliquod obiectum, sed, quolibet obiecto proposito in particulari, voluntas directè, & expressè necessariò aut vult omittere, aut non vult e. g. Proposita auditione Sacri, necessariò voluntas aut vult expressè audire Sacrum, aut non, ita Alensis, quem sequuntur Vasquez, Suarez, Caiet. & alij: 2. opinio docet non posse in voluntate esse puram omissionem, sed necessariò illam esse coniunctam cum actu, qui sit causa, vel occasio illius, undè, proposito obiecto audiendi Sacrum, etsi posset voluntas non velle expressè, & formaliter omissionem; necessariò tamen vult aliquod incompossibile, ex quo sequitur omissiò Sacri, ita D. Bonau. & Magister sententiarum, & alij, quos citat, & sequitur Vasquez, existimans eandem sententiam tenere D. Thomam: 3. opinio asserit esse possibilem puram omissionem absque alio actu voluntatis, siuè directo, siuè indirecto.

I. Concl.

I. Concl. Physicè loquendo, ideſt ſpectata natura voluntatis nulla eſt repugnantia, quod detur pura omiſſio culpabilis, abſque alio actu poſitiuo voluntatis; ita Scotus in 2. diſt. 42. q. 4. quem præter ſuos, ſequuntur Nominales, & quamplures Recentiores, quam ſententiam art. 2. Caſpenſis probabiliorem vocat, idem aſſerit noſter Baron. in eth.

Prob. auct. Ariſt. qui lib. 5 Ethicor. c. 3. docet, non minus eſſe immediatè in poteſtate voluntatis creatæ non agere, quam agere; ſed per agere, & non agere indicatur actus poſitiuus, & negatio eiuſdem: ergo abſolutè loquendo dari poteſt pura omiſſio peccaminoſa abſquè ullo actu poſitiuo voluntatis. Prob. ratione. Si quid impediret, quo minus poſſit dari puta omiſſio peccaminoſa, eſſet, quia, ut Aduerſarij dicunt, omne peccatum debet eſſe voluntarium, & liberum; talis autem pura omiſſio peccaminoſa non fit voluntaria, & libera: ſed hæc ratio nulla eſt; ergò &c. Prob. min. Pura omiſſio peccaminoſa adhuc eſſet ſufficienter voluntaria, & libera, eò quia ad hoc ut aliquid cenſeatur eſſe reuerà voluntarium, & liberum, non eſt neceſsè, quod voluntas circà illud operetur poſitiuè, ſed ſatis eſt, quod ſit in poteſtatis voluntate illud facere, vel non facere; ſed ſic eſt, quod in poteſtate voluntatis eſt ponere actum poſitiuum, vel eius omiſſionem; in hoc enim conſiſtit libertas contradictionis; ergo &c.

II. Concl. Moraliter loquendo, ideſt, conſiderata conditione humana, & inſpectis circumſtantijs, omiſſio actus externi, vel nunquam, vel rarò datur ſine aliquo actu poſitiuo voluntatis; omiſſio autem actus interioris voluntatis frequentiùs dari poteſt.

Prima pars patet experientia: Etenim nunquàm omittimus aliquod externo opere adimplendum, niſi quia vel nolumus implere, vel aliud agimus, ratione cuius prætermittimus id, quod debemus, ut cum quis omittit Sacrum in die feſto, quia in certo loco longo tempore demoratur, vel etiam ſi tempore, quo debet incedere, quieſcit, aut cum loqui tenetur, tacet. Prob. 2. pars. Voluntas diuerſo modo ſe habet ad actum interiorem, & ad actum externum; ad actum enim externum, ut diximus, concurrunt plures conditiones externę, & imperatę, quæ non admittunt ſimplicem actum omiſſionis ſine aliquo actu poſitiuo ſaltem

interpretatiuo; ad actum verò internum aliter se habet, cum sit actus immediatè elicitus à voluntate, & possit ab ipsa immediatè suspendi; nullum actum siuè nolle, siuè velle producendo, quo sensu non dicitur propriè actus, sed negatio, seu omissio actus, ut melius patebit in solutione argumentorum: ergo &c.

Arg. 1. cont. 1. concl. Non potest dari peccatum sine exercitio libertatis; sed libertas per puram omissionem propriè non exercetur; ergo &c. Prob. min. libertas debet exerceri per aliquid vitale, sed pura omissio non est vitalis, nàm per eam voluntas non mouet se intrinsecè, quod proprium est vitalitatis: ergo per eam omissionem propriè non exercetur libertas. Resp. neg. min. & ad eius probationem disting. mai. per aliquod vitale virtuale, seu interpretatiuum conc. mai. per aliquod vitale formale semper nego mai. &c.

Arg. 2. Videtur implicantia, quod voluntas omissionem liberam exerceat, quin moueatur ab aliquo bono amabili, aut auertatur ab aliquo malo; sed talis motus voluntatis nequit contingere sine aliquo actu positiuo voluntatis: ergo &c. Resp. dist. mai. quin voluntas moueatur positiuè, nego mai. quin moueatur, vel positiuè, vel interpretatiuè, conc. mai. motus autem interpretatiuus, ut ad præsens spectat in hoc consistit, quod voluntas habeat in sua potestate agere, vel non agere, & tamen non agat, sed suspendat omnem actum circa obiectum propositum.

Arg. 3. Peccatum omissionis numeratur inter peccata actualia, cum non sit quid habituale; sed primò redditur tale: 1. habituale ratione suæ perseuerantiæ quousque per pœnitentiam retractetur: ergo includit necessariò aliquem actum. Resp. conc. mai. & pariter conc. min. & neg. cons. Non enim benè infertur, peccatum omissionis non est quid habituale, quando actualiter fit talis omissio: ergo non potest esse quid habituale, nisi necessariò includat aliquem actum positiuum, eo quia sicut peccatum commissionis censetur moraliter perseuerare, quousq; expietur, ita pari ratione peccatum puræ omissionis censetur moraliter perseuerare, ac proindè habere esse habituale.

Arg. 4. Oportet dari aliquod, per quod voluntas transeat à statu indifferentiæ, in quo possit omittere actum, & non omit-

omittere, ad ſtatum determinatum, in quo reuerà illum omittit; ſed in pura omiſſione nil datur huiuſmodi: ergo voluntas remanet in ſtatu indifferentiæ, & conſequenter non habet omiſſionem peccaminoſam. Accedit etiam definitio de peccato generaliter ſumpto tradita à D. Aug. & à Theologis recepta, in qua ſignificatur. Peccatum eſſe vel dictum, vel factum, vel concupitum, quæ verba actum poſitiuum ſonant; ergo &c. Reſp. neg. min. & ratio eſt, quia ſicut tollitur voluntatis indifferentia ad agendum poſitiuè per ipſum actum, quem ponit, nec requiritur alius actus; alioquin daretur actus ad actum, & ſic proceſſus in infinitum, ita pariter tollitur indifferentia, & determinatur voluntas ad omittendum peccaminoſè per non actum, eo ipſo, quod talis omiſſio ſit in eius poteſtate. Ad D. Aug. dicimus, eum loqui regulariter, cum quo ſtat noſtra concluſio; quod abſolutè loquendo fieri poſſit peccatum per puram omiſſionem: cum implicitè etiam omiſſiones peccaminoſas includat, ut ſi dicatur, peccatum eſt non factum, non dictum, nec concupitum, quando quis ad hæc tenetur.

QVÆSTIO V.

Vtrum omnia peccata ſint æqualis malitiæ, & vnde deriuetur inæqualitas.

NOt. 1. Quòd hic non loquimur de inæqualitate peccatorum mortalium, quoad effectum ideſt quoad priuationem gratiæ, & inflictionem pœnæ, quatenus pœna intelligitur pro damnatione æterna; nam certum eſt, quod omnia peccata mortalia in hoc ſenſu ſunt æqualia, cum omnia æqualiter priuent nos gratia Dei, & inducant æternam damnationem: ſed loquimur de grauitate peccati, quatenus huiuſmodi grauitas eſt menſura malitiæ, ratione cuius peccatum dicitur magis, vel minus diſconueniens naturæ rationali, & etiam magis, vel minus offenſiuum Dei; moralis enim magnitudo prauitatis, quæ ineſt peccato, grauitas nuncupatur, ex eò quod ſuo quaſi pondere peccatores à ſummo bono ad miſeriam trahat. Duplex autem à Theologis aſſignatur grauitas in peccatis, altera eſſentialis, altera accidentalis. Eſſentialis, & ſpecifica eſt

ea, quæ essentialiter competit peccato in tali, vel tali genere. Accidentalis autem, quæ accidentaliter aduenit ipsi peccato, & hæc diuiditur in intensiuam, & extensiuam. Intensiua est illa, quam habet ex intentione actus. Extensiua est, quam accipit vel ex eiusdem actus duratione, vel ex quantitate, & multiplicatione obiecti, vel ex alijs circumstantijs, ad quas reuocari potest modus agendi, nempè ex maiori, vel minori aduertentia & libertate.

Not. 2. Quòd oppositio inter virtutem, & vitium est duplex. Vna est directa, quando scilicet virtus, & vitium sunt circa idem subiectum, & mutuò ab illo se expellunt, quia sunt incompossibilia, ut iustitia, & iniustitia respectu rei alienæ, quæ est materia, seù subiectum utrique extremo communi. Altera est indirecta, quando scilicet virtus, & vitium non sunt circa idem subiectum, sunt tamen contraria ex parte effectus, quia imperant contrarios effectus, quo sensu omnia vitia opponuntur indirectè charitati, iniustitia namque inclinat ad auferendum alienum, charitas verò contrarium impetat, & sic de cæteris &c.

I. Concl. Omnia peccata non sunt æqualis malitiæ, sed unum est altero grauius. Hæc est de fide contra Stoicos Philosophos, & contra Iouinianum hæreticum asserentem, merita, & demerita, præmia, & supplicia esse æqualia.

Prob. 1. ex S. Scrip. & signanter ex Deuter. cap. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*: Et Ioannis cap. 19. *Propterea, qui me tradidit tibi maius peccatum habet* Deindè accedit ratio euidens. Certum est enim, quod auferre homini vitam sit maius peccatum, quam auferre minus bonum, aut otiosè mentiri; Eandem veritatem docent unanimi consensu Sancti Patres.

Præterea. Peccata specificantur, & suam malitiam desumunt ab obiecto, seù obiectis, circa quæ indebitè versantur, vel à virtutibus, contra quas militant; sed quædam obiecta magis, aut minus dedecent naturam rationalem, vel sunt contra rationem, quàm alia, & similiter virtutes: ergo peccata debent esse alia alijs grauiora. Tunc autem censetur aliquod peccatum esse magis contra rationem, quando est contra altiorem, & perfectiorem finem, & obiectum: Magis siquidem rationi aduersatur Odium in Deum, quam in aliquam creatura, furtum simplex, quam furtum, quod est sacrilegium &c. II.

II. Concl. Inæqualitas peccatorum quandoque oritur ex oppositione cum nobiliori, vel minus nobili virtute, quandoque ex obiecto præstantiori, quandoque ex legibus obligantibus, & denique ex connexis circumstantijs particularibus: hæc est Scoti, & Scotistarum in 2. dist. 21. q. 2. & videtur communis. Prob. 1 pars. Etenim grauius peccatum est odium Dei, quam furtum, quia odium opponitur nobiliori virtuti: idest charitati Dei, quam furtum, quod est vitium oppositum iustitiæ erga proximum: ergo &c.

Prob. 2. pars. Grauius quis peccat dum blasphemat Deum, quam dum contemnit, vel iniuria afficit hominem, quia Deus est obiectum summo honore dignus, non sic homo: ergo &c. Prob. 3. pars. Deus quandoque intendit una lege obligare magis unam Creaturam, quàm aliam e. g. magis intendit obligare Sacerdotem, ut Paulo graui peccatori iam agonizzanti succurrat, ei administrando spiritualia, quam Missam celebret in die Festo. Insuper indubiè leges Diuinæ magis obligant, quàm humanæ, ac proindè magis peccat trasgrediens leges Diuinas, quàm humanas: ergo &c. Prob. 4. pars. Grauiùs quis peccat furando aliquid ab Ecclesia, quàm à domo laicali: ergo ex connexis circumstantijs quandoque oritur inæqualitas peccatorum.

III. Concl. Non nunquam peccatum minus graue ratione obiecti, seù ex genere, est grauius alio ratione nocumenti, seù alicuius circumstantiæ: e. g. furatur quis mille aureos ab homine particulari, alius verò furatur ex loco Sacro duodecim ducatos: ex parte quidem nocumenti, seù circumstantiæ est deterius primum, quàm secundum, & ratio est, quia mensura humanarum actionum est recta ratio, sed hæc dictat peccata ratione maioris nocumenti esse grauiora alijs, quàmuis illa sint alijs grauiora ex obiecto, aut ex genere. Ex quo patet in grauitate peccatorum semper discurrendum esse cæteris paribus.

QVÆSTIO VI.

Vtrum peccata commissionis, & omissionis differant specie.

NOt. 1. Quòd aliud est peccatum omissionis, & aliud commissionis, ut supra indicauimus, quæ quidem di-

diuisio habet fundamento in S. Scrip. & PP. nàm in Leuitico c. 7. dicitur. *Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro debito;* quia delictum à peccato differt per hoc, quod peccatum est commissio actus prohibiti, & delictum est omissio actus præcepti; sic enim dicitur delictum, quasi derelictum. Et ad Ephesios c. 2. dicitur: *Cum essetis mortui peccatis, atque delictis*, ubi Glossa interlinealis pro delictis intelligit peccatum omissionis, & pro peccatis peccatum commissionis. Tum quia sicut bonum est duplex, prout nunc ad rem nostram pertinet, nempe, aliud est facere bonum, & aliud est declinare à malo, ita ex opposito, duplex est malum, aliud omissionis, & aliud commissionis.

Not. 2 quod peccatum omissionis, & commissionis possunt esse opposita eidem virtuti, vel diuersæ virtuti. Difficultas igitur est. An peccatum commissionis, & omissionis eidem virtuti opposita, differant inter se essentialiter, & specificè. Quidam absolutè negant, quorum ratio est, quia essentia peccati consistit in priuatione rectitudinis: ergo si priuatio est eiusdem rationis in duobus peccatis, consequens est, ut illa duo peccata sint eiusdem speciei, & ita contingit, quando commissio, & omissio opponuntur eidem virtuti secundùm eandem rationem, ut contingit in commissione furti, & in omissione restitutionis, quia utrumque opponitur iustitiæ, & eodem modo facit inæqualitatem: ita sentit Beccanus tract. 2. c. 3. q. 1. cum Valentia, Suarez, & alijs. Alij verò absolutè affirmant, peccatum omissionis differre specie à peccato commissionis, non solùm si hæc duo peccata considerentur materialiter, verùm etiam formaliter secundùm inordinationem, & propriam malitiam, aliàs odium Dei, & omissio amoris ipsius Dei, quæ sunt contra Charitatem; & hæresis, ac omissio credendi, quæ sunt contra fidem, non distinguerentur specie; cum opponantur eidem virtuti, quod est manifestè falsum, ita discurrunt Amicus disp. 22. sect. 1. Azor. Clauis Regia, Bonac. & alij apud Mastrium.

Concl. Si teneamus, quod una, & eadem virtus possit fundare præcepta specie diuersa unum affirmatiuum, & alterum negatiuum, ut probabilissimum est, dici potest, omissionem, & commissionem contra eandem virtutem esse peccata specie diuersa: & ratio est, quia ut ostensum fuit

in

in quæſt. in qua quęrebatur, In quo conſiſtat ratio formalis peccati: peccatum non eſt priuatio rectitudinis habitualis ipſius virtutis, cui opponitur, neque ex hoc capite peccata poſtulant diſtingui ex rectitudine virtutum, quibus opponuntur, quia non ſunt priuationes rectitudinis habitualis earum, ſed eſt priuatio rectitudinis actualis ideſt conformitatis ad unum, vel plura dictamina, & pręcepta eiuſdem virtutis ſpecie diuerſa, & ſic ſtare poſſunt plura peccata ſpecie diuerſa omiſſionis, & commiſſionis contra eandem virtutem; eo quia, licet illa præcepta, & dictamina ſint circa idem materiale obiectum eiuſdem virtutis, non tamen circa idem formaliter, neque ſecundum eandem rationem, ut contingit in exemplis allatis de actu odij, & de omiſſione amoris Dei, de hæreſi, & de omiſſione actus credendi; nam hæc ſunt contra eandem virtutem ſecundum diuerſam rationem formalem. Secùs autem quando omiſſio, & commiſſio opponuntur eidem virtuti ſecundùm eandem rationem formalem, ut accidit in commiſſione furti, & reſtitutionis, quia utraque opponitur iuſtitiæ, & eidem præcepto, nimirum, quod unuſquiſque poſſideat, quod ſuum eſt, ita diſcurrit Maſtrius diſp. 15. de peccatis quæſt. 2. art. 1. qui nititur etiam conciliare opiniones ſuperiùs allatas, dicens, quod, ſecunda opinio loquitur in primo ſenſu; prima verò in ſecundo, dixerat enim peccata commiſſionis, & omiſſionis eſſe poſſe eiuſdem ſpeciei, quando omiſſio, & commiſſio opponuntur eidem virtuti ſecundum eandem rationem formalem.

Quæres 1. An actus coniunctus omiſſioni culpabili ſit peccatum e. g. Quis omittit Sacrum in die feſto ut interim ſtudeat, ludat, fabuletur &c. ratione quorum actuum impeditur ab audiendo Sacro. Quæritur ergo utrum tales actus aliàs boni, aut indifferentes ſint peccatum.

Reſp. Nonnulli affirmant eſſe peccatum ratione omiſſionis, etiamſi ex ſe peccata non eſſent, ita tenent Capreolus, Valentia, & quidam alij. Nihilominùs dicendum eſt cum communiori ſententia huiuſmodi actus non aliam habere malitiam, quàm omiſſionis, niſi aliundè ſecundùm ſe ſint peccaminoſi; Vnde non eſt neceſſe in confeſſione explicare motiuum, vel occaſionem, niſi ipſum motiuum ſecundùm ſe ſit mortaliter malum. Nec refert, quod tali caſu

su voluntas studendi sit mala, & similiter ipsum motiuum, nam actus internos, aut etiam externos, qui nō sunt specialiter ex obiecto mali, non oportet explicari, cum non faciant peccatum diuersum ab ipsa omissione, quia omnis actus liber, qui est causa alicuius peccati, licet sit peccatum, & malitia eiusdem rationis infectus, non tamen est ab omissionis peccato distinctum. Hinc traditur regula generalis ad cognoscendum, quando actus, seu opus de se incompatibile cum obseruantia præcepti affirmatiui vitiatur ex malitia omissionis, quæ talis est. Si talis actus in omissionem influat per modum causæ, vel occasionis, vitiatur, & est peccatum; secùs verò si in illa nullo modo influat, sed ad eam concomitanter, & merè per accidens se habeat.

Quæres 2. Quo tempore peccatum omissionis contrahatur. Resp. Quòd difficultas non est de eo tempore, quo adest libertas ad ponendum actum, & omittitur; nam apud omnes certum est, tunc committi peccatum omissionis, quia liberè violatur præceptum. Difficultas igitur mouetur in casu, quo fuerit impedita libertas, vel ex ebrietate, vel somno, vel ex alia causa impeditiua obseruationis præcepti. Vnde sensus quæsiti est. An peccatum contrahatur, seu fiat non tantùm, quando quis occasionem dedit, & causam probabilem futuræ omissionis, sed etiam tempore postea adueniente, quando currit præceptum implendum, etiamsi tunc vitari non possit ratione ebrietatis, vel somni, in quo statu indubiè est impotens ad obseruationem præcepti. De quo tres sunt opiniones. Prima asserit utroque tempore peccatum omissionis contrahi, seu committi, nempè quando datur causa omissionis, & quando reuerà accidit, etiamsi tunc sit ablata libertas per ebrietatem, vel somnum, ita tenent Thomistæ, & præsertim Caietanus, Medina, Serra, Suarez, & alij Recentiores: 2. affirmat tunc solùm peccatum omissionis committi, & imputari, quando re ipsa currit præceptum, & ponitur omissio, & ratio est, quia sicut præceptum affirmatiuum non obligat ad semper, sed pro tempore determinato, ita omissio, quæ præcepto affirmatiuo opponitur, non ponitur, neque imputatur ad culpam, nisi pro tempore, quo præceptum obligat, sed contingere potest, quod præceptum obliget in eo tempore, quo quis est ebrius: ergo &c. in hac sententia

sunt

ſunt Marſilius, Palatius, & etiam D. Thom. Cæterum dicendum eſt cum D. Bonau. in 2. diſt. 32. art. 3. q. 1. & Scot. in 2. diſt. 40. & 42. & quol. 18. quem ſequuntur præter Scotiſtas, etiam plures Recentiores, quod, ſuppoſito libertatis impedimento, eo tempore, quo currit præceptum affirmatiuum, tunc omiſſio rei præeptæ non imputatur ad culpam, ſed ſolùm quando data liberè fuit, ſeù voluntariè cauſa ſubſecutæ omiſſionis; ratio eſt, quia peccatum debet eſſe voluntarium, & liberum; ſed omiſſio actus præcepti in ſomnis, vel in ebrietate (& eadem ratio currit de peccato commiſſionis) non poterit eſſe voluntaria, nec etiam ſecundariò: ergo nequit eſſe in ſe peccatum, ſed tantum in poſitione cauſæ, ac proindè dicitur peccatum, quod committitur in ebrietare, fuiſſe in cauſa, non autem quando in ebrietate committitur. Tum quia in ſimilibus caſibus malitia omiſſionis contrahitur, & imputatur in applicatione, ſeù appoſitione cauſæ, quæ fuit in poteſtate voluntatis;; tunc enim eſt volita indirectè, ſeù interpretatiue, & in cauſa talis omiſſio, & directè eſt volitus actus, ideſt ebrietas, vel ſomnus cum obſeruantia præcepti incompoſſibilis: ergo tunc contrahitur malitia omiſſionis, quod idem eſt ac dicere in cauſa.

Quæres 3. An qui propria culpa incidit in aliquem morbum diuturnum, incurrat omnes omiſſiones peccaminoſas ex eo morbo ſequentes.

Reſp. Ratio dubitandi deducitur ex reſolutione dubij præcedentis, ut benè diſcurrit Maſtrius, quia ſi in prædictis caſibus peccatum omiſſionis uniuerſaliter contrahitur in appoſitione cauſæ, & non potius pro illo determinato tempore, quo urget præceptum, ſequitur, quod qui voluntariè, & propria culpa incidit in aliquem morbum diuturnum, ex quo præuidit plures omiſſiones ſecuturas, v. g. non ieiunandi, non audiendi miſſa, non recitandi officium &c. incurrat omnes talium omiſſionum malitias, quod tamen valdè durum videtur: ratio ſequelæ eſſe poteſt, quia, quando dedit cauſam tali morbo, dedit quoque cauſam omnibus prædictis omiſſionibus, quas præuidit ratione morbi futuras, Variant DD. circa huius difficultatis reſolutionem; nos tamen, miſſis aliorum opinionibus, amplectimur cum Maſtrio communiorem, quæ videtur eſſe

minùs

minùs dura. Si huiusmodi omissiones fuerunt actu præuisæ, vel saltem indirectè volitæ, in eas omnes incidere; hac tamen limitatione, quòd, ut hæ omissiones sint voluntariæ indirectè, opus est non solùm esse præuisas, sed esse tales, ut præceptum obliget ad vitandum morbum, ne inde tales omissiones sequantur: siquidem præcepta ad hoc non obligant nisi quando omissiones proximè, ac eodem quasi tempore, moraliter loquendo, sequuntur. Vnde aiunt, quod ea, quæ iure humano ligant, non imputantur in causa remota, quia id esset valde durum, sed tantùm in proxima, quæ nimirum eodem quasi tempore impedit executionem, vel tollit media ad eam per se ordinata, ut in proijciente breuiarium, vel se inebriante respectu officij recitandi; non sic autem impedit morbum, quod ex nimio potu, vel crapula incurritur; hæc apud Mastr. disp. 15.

QVÆSTIO VII.

Vtrum aliud sit peccatum mortale, aliud veniale, & quomodo inter se differant.

NOt. 1. Quòd in hac quæst. sunt plures hæreticorum errores, nam Ioan. Vvicleff putauit omnia peccata esse mortalia, de facto tamen solis reprobis imputari ut mortalia; vnde dicebat, omnia peccata reproborum esse mortalia, prædestinatorum autem omnia peccata esse venialia, allegans illud Apost. ad Rom. *Nihil damnationis esse in ys, qui sunt in Christo Iesu*: quæ verba ipsi non fauent; intelliguntur enim de actualiter iustis, quamdiù sunt in gratia Dei, non autem si peccando excidant à iustitia. Caluinus pariter l. 2. instit. c. 8. ait Sanctorum delicta esse venialia, non ex suapte natura, sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur: & denique Lutherus ait omne peccatum natura sua esse mortale, fieri autem veniale credentibus, nam temerè asserebat unumquemque ex fide iustificari, impiè detorquendo dictum Apost. *Credidit Abraham, & reputatum est ei ad iustitiam* Contra quos omnes stant definitiones Conciliorum, & signanter Trid. sess. 6. c. 11. ubi sic. *In hominibus iustis esse aliqua peccata leuia, propter qua non desinunt esse iusti*; & tres Pontifices reprobarunt, teste Herinex, hunc articu-

ticulum: *Nullum esse peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Not. 2. quod peccatum veniale sic describi potest. Est transgressio voluntaria alicuius legis non grauiter obligantis, ordinantis ad finem supernaturalem: è contra mortale est transgressio alicuius legis grauiter obligantis, & ordinantis ad finem supernaturalem, utrumque autem peccatum, ut passim docent Theologi potest esse duplex. Aliud mortale ex genere suo, aliud ex accidenti, & similiter aliud veniale ex genere suo, & aliud veniale ex accidenti, seù ex circumstantijs. Peccatum ex genere suo mortale est illud, cuius malitia ox obiecto intra eandem speciem est grauis; e. g. fornicatio, furtum, homicidium. Mortale ex accidenti est illud, cuius malitia ex obiecto non est mortale fit tamen mortale ex aliqua circumstantia. Veniale ex genere suo est illud, cuius malitia ex obiecto intra eandem speciem quantumcunque accrescat, nunquam fit mortale, ut verbum otiosum, mendacium, & similia. Veniale ex accidenti est, cuius malitia ex obiecto est mortalis, sed fit venialis ex accidenti, hoc est ex paruitate materiæ, vel ex indeliberatione actus.

Not. 3. Quòd Doctores discrepant in assignanda differentia inter peccatum mortale, & veniale, quidam enim existimant in eo differre, quod mortale sit contra legem; veniale verò præter legem, & ita videntur sentire Alensis; Ricardus, Medina, & plures alij: Quidam censent, quod mortale differat à veniali, quia illud fit contra præceptum; veniale verò contra consilium, quæ opinio tribuitur à nonnullis etiam Scoto, sed ut infrà patebit decipiuntur. Alij, quod mortale sit deordinatio ab ultimo fine, veniale verò ab ijs, quæ sunt ad finem, & hæc videtur sententia D. Thomæ quæst. 72. art. 5. ut refert Caspensis in tract. de peccatis. Denique Scotus cum suis in 2. dist. 25. docet, peccatum mortale differre à veniali, eò quòd mortale est contra legem grauiter obligantem, seu ad aliquod, quod est necessarium ad salutem: peccatum verò veniale est contra legem non grauiter obligantem, sed ad aliquod, quod non est necessarium ad salutem, quæ doctrina apertè. Significatur à Scoto loc. cit. dùm ait. Mortale per se à veniali differre, quià peccatum mortale est deordinatio opposi-

ta ordinationi, sine qua finis non potest consequi aliquo modo, quæ quidem ordinatio habet præceptum contra quod deordinatio fit. Peccatum autem veniale est deordinatio opposita ordinationi, quæ necessaria non est ad finem consequendum, sed est utilis, & quæ non est de præcepto, sed potius de consilio; intelligens Doctor per consilium legem, quæ non obligat ad ponendum aliquod necessarium pro consecutione vitæ æternæ; ut passim explicant Scotistæ.

I. Concl. Dantur quædam peccata, quæ ex sua natura sunt tantum venialia. Est de fide contra recensitos hæreticos, & remanet probata ex definitionibus Conciliorum, & Summorum Pontificum. Accedit etiam ratio. Nam lumen naturale ostendit cuilibet credenti verbum otiosum, furtum unius oboli, & similes defectus non importare grauem offensam Dei; ac proinde non esse mortalia, sed venialia. Tum quia actiones nostræ morales defectuosæ sæpè procedunt ex imperfecta deliberatione, & aliqua passione naturali, quæ nulla ratione dicendæ sunt peccata mortalia: ergo remanet, quod sint venialia; tum quia in humanis datur offensa grauis, & leuis: ergo pari ratione admittenda est aliqua offensa leuis, vel contra legem humanam, vel contra Diuinam.

II. Concl. Peccatum mortale, & veniale differunt inter se per hoc, quod peccatum mortale est carentia debitæ rectitudinis necessariæ ad consecutionem vitæ æternæ. Veniale verò est carentia debitæ rectitudinis, quæ non est necessaria, sed utilis ad finem consequendum. Hæc est conformis Doctrinæ Scoti superiùs allatæ. Prob. Quia nulla alia ratio definitiua, per quam magis explicetur peccatum mortale, & veniale, & magis inter se distinguantur, assignari potest: ergo definitio, & differentia assignata est primaria, & optima. Patet antecedens improbando, & reijciendo opiniones oppositas; non enim peccatum veniale differt à mortali, eò quòd mortale sit contra legem, & veniale sit præter legem, seu contra consilium Euangelicum, cum dicat Apostolus. *Non cognoui peccatum, nisi per legem* & ubi non est lex, ibi non est præuaricatio; neque talis differentia consistit in eo quod peccatum mortale sit contra finem; veniale autem contra media, ut putauit Ca-

iet. quia etiam circa media potest esse peccatum mortale, & veniale ex genere suo. Tum quia potest aliquis inordinatè appetere aliquod medium in ordine ad finem malum, ut si aliquis det eleemosynam propter fornicationem; ergo &c.

Arg. cont. 1. concl. à Caluino Hæretico ad Rom. 6. dicitur. *Stipendium peccati mors*: In 1. Ioan. 3. *Qui facit peccatum ex Diabolo &c.* & alibi Scrip. Sac. peccato generatim sumpto mortem adscribit, & inimicitiam Dei: ergo omnia peccata sunt mortalia. Resp. Est regula certissima apud SS. PP. & Theologos, quod S. Scrip. tribuendo mortem, & inimicitiam Dei peccato, non loquitur de peccato veniali, neque de peccato generatim sumpto, ut est quid commune peccato mortali, & veniali, sed loquitur de peccato mortali, ac proinde Caluinus deprauat Scrip. & sensum.

Arg. 2. Ecclesia orat pro animabus fidelium Defunctorum cum solis venialibus, ne absorbeat eas Tartarus: ergo sentit eas posse obligari ad pœnas perpetuas Tartari, si secundùm rigorem iustitiæ cum ipsis ageretur. Resp. neg. cons. quia Ecclesia considerat animas veluti ex corpore migrantes, & quæ nec dum sententiam suæ mansionis, aut loci, ad quem ire debent, acceperint, & sic præcatur, ne deducantur ad loca inferiora pœnarum, quæ generaliter nomine tartari intelliguntur.

Dices. In Die anniuersarij omnium Defunctorum Ecclesia non potest tunc præces fundere ad Deum, & intelligi pro animabus è corporibus migrantibus, sed præcatur pro animabus iam deputatis ad sua loca, & mansiones: ergo &c. Resp. Ecclesia etiam in anniuersarijs præces sub simili consideratione repetit, sicut tempore aduentus præces fundit, quasi Christus tunc in carne expectetur venturus; essent enim præces inutiles, imò peruersæ, si funderentur pro animabus, quæ fortasse sunt in Inferno, vel etiam in Purgatorio, quasi possent absorberi à tartaro infernali; ita Herincx.

Arg. 3. Omne peccatum quantumuis leue est offensa Dei, ac proinde ex parte personæ offensæ trahit quandam infinitatem: ergo quantum est de se meretur pœnam æternam: ergo de se est mortale. Patet ant. quia Deus est persona infinita, & sic omnis offensa infinita. Resp. neg. cons.

ſeu ſeq. ant. ratio eſt, quia ſicut perſona grauis in humanis poteſt offendi leuiter, ita perſona infinita poteſt finitè, & leuiter offendi, ſicut perſona infinita ex oppoſito finitè à nobis amatur, & honoratur.

Cęterùm aduertunt Doctores difficile eſſe exactè in quanuis materia dignoſcere, quæ ſint peccata venialia, quæ mortalia, adeout ipſemet D. Aug. in Enchiridion cap. 78. dixerit; *Ita non humano ſed Diuino penſanda iudicio*, & lib. 21. de Ciuit. Dei cap. ultimo. *Ego vſque ad hoc tempus cum inde ſatagerem, ad eorum indaginem peruenire non potui*; & fortaſſis propterea latent, ne ſtudium proficiſcendi ad omnia peccata vitanda pigreſcat; nihilominus infra dabimus aliquas regulas generales, quas Doctores paſſim docent ad agnoſcendum, quando aliqua actio ſit peccaminoſa mortaliter, vel venialiter.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum peccatum mortale, & veniale differant inter ſe genere, vel ſpecie.

NOt. 1. Quòd Thomiſtæ, & quamplures recentiores agendo de peccato mortali, & veniali dicunt quantum ad rationem offenſæ non poſſe eſſe eiuſdem ſpeciei, aut generis, ſed neceſſe eſſe, ut differant ſpecie, & genere; rationem aſſignant, quia peccatum mortale eſt grauis offenſa Dei, priuat gratia, & mortem ſpiritualem infert animæ. Veniale verò eſt leuis offenſa, nec gratia Dei priuat, ſed tantum charitatis feruorem erga Deum remittit.

Cæterum loquendo de peccato mortali, & veniali quantùm ad rationem malitiæ aſſerunt ſpecie differre, ſi comparatio fiat inter veniale ex genere, & mortale ex genere. Ratio eorum eſt, quia habent obiectum ſpecie diuerſum, & priuant perfectione ſpecie diuerſa. Aliud enim eſt obiectum e. g. verbi otioſi, aliud furti, & alia eſt perfectio, qua priuat mendacium iocoſum, & alia, qua priuat homicidium. Si verò ſermo ſit de veniali ex imperfectione actus, aut ex leuitate materiæ, aiunt, peccatum veniale ex hoc capite non differre ſpecie à mortali, ſed intra eandem ſpeciem differre ſolùm ſecundum magis, & minus; magis autem,

tem, & minus ex communi sententia Philosophorum non variant speciem: sic furtum quinque Assium est eiusdem speciei cum furto centum aureorum, sic actus indeliberatus, & deliberatus faciendi vindictam, & idem videntur dicere alij Doct. asserentes peccatum mortale, & veniale esse eiusdem generis, & speciei in genere moris, quando sunt circa eandem materiam, ut furtum graue, & furtum leue; quando verò sunt circa diuersam materiam, diuersæ speciei; & etiam quandoque diuersi generis, ut mendacium iocosum, & fornicatio: ita discurrunt Caiet. Medina, Bonac. & alij. At Scotus, & Scotistæ aliter sentiunt, unde pro clariori notitia nostræ sententiæ.

Not. 2. quod peccatum dupliciter considerari potest, nimirum moraliter, seù philosophicè, & theologicè ex Scot. in 4 dist. 14. q. 3. & alibi. Peccatum primo modo acceptum est, cuius malitia lumine solo naturali cognosci potest, ut virtuti naturali contrarium; nam Philosophi dicebant aliquod esse peccatum prout rectæ rationi repugnabat. Peccatum verò theologicè consideratum est, cuius malitia non cognoscitur nisi per diuinam reuelationem, qua scimus peccatum esse offensiuum Dei, impeditiuum gloriæ, & inductiuum pœnæ æternæ; Theologi siquidem in peccato attendunt, quod sit contra Dei voluntatem, ac legem, ac proindè, ut est Dei offensa, & iniuria; his prænotatis sit.

Concl. Si peccatum mortale in communi, ut sub se comprehendit mortale ex genere, & ex circumstantijs, & similiter veniale in communi, ut comprehendit sub se veniale ex genere, & ex circumstantijs, theologicè considerentur, differunt inter se essentialiter, & specificè, & sic diuisio peccati in mortale, & veniale est generis in species.

Prob. Natura, & essentia peccati, ut sic præcisa à mortali, & veniali consistit in priuatione rectitudinis, quæ actui inesse deberet: & rectitudo, vel lex habens rationem præcepti propriè dicti, idest obligantis ad aliquod simpliciter necessarium ad salutem, differt essentialiter, & specificè à rectitudine, vel lege habente potius rationem consilij, seù non obligantis, nisi ad aliquod veniale saluti non necessarium; etiamsi circà idem obiectum versentur, si non in genere moris, & philosophico, saltem in genere theologico,

estò non ex natura rei, saltem ex voluntate legislatoris: ergo priuationes rectitudinis per veniale, & mortale contractæ differunt inter se specie; ac proindè talis diuisio peccari erit generis in species, quam diuisionem, ut Scotus indicat in 2. dist. 37. & alibi Philosophi nunquam nouerunt. Verùm si de peccato philosophicè loquamur, & in genere moris tunc distinguendum est: Etenim si de mortali, & veniali ex genere loquamur specificè, & essentialiter inter se differunt, & ratio est manifesta, quia mortale, & veniale ex genere, ut homicidium, & verbum iocosum semper versantur circa obiecta specie diuersa, ac proindè in genere moris semper specificè distinguuntur, quod si de eisdem loquamur in eodem genere moris, prout sunt venialia, & mortalia ex circumstantijs tantùm, sic non semper specificè distinguuntur, ut in adducendo sententiam Thomistarum dictum est. Hinc sequitur illam diuisionem peccati mortalis, & venialis in mortale, & veniale, vel ex genere, vel ex circumstantijs dari de mortali, & veniali philosophicè consideratis, & in genere moris, non autē theologicè.

Quæres. Qualiter discernendum sit inter peccatum mortale, & veniale.

Resp. per sequentes regulas, quibus faciliter Minister Sacramentorum, ad quem spectat scire, quid intersit inter lepram, & lepram, discrimen agnoscere poterit.

I. Regula est huiusmodi. Ea peccata iudicanda sunt mortalia, ob quæ in S. Scrip. excluditur quis à vita æterna, vel punitur morte, quæ quidem pęna, nisi ob grauem offensam non infligitur. Quæ autem in S. Scrip. leuiùs puniri iudicantur, venialia censenda sunt. Ad primam partem huius regulæ pertinent ea, de quibus Paulus ad Chorint. 1. c. 6. scribit videlicet. *Neque fornicarij neque Idolis seruientes &c.* & ad Rom. c. 5. ad Galatas 5. & ad Ephesios 5. & etiam Lucæ 11. *Va vobis Pharisais*; nàm hoc verbum, væ, aut simile, indicat pęnam grauissimam, vel æternam. Ad secundam partem pertinet, quod idem Paulus ad Ephes. 5. ubi de stultiloquio loquens ait: *Ad rem non pertinere*; Similiter illa præcepta quoque Deuter. c. 2. de non arando cum Boue, & Asino; de non capienda Matre cum Pullis in nido, & Mat. 5. de verbo otioso. II. Regula, quando vel traditione Diuina, vel Apostolica, vel conciliari definitione, vel

vel concordi ſententia SS. PP. & Theologorum aliqua actio pronunciatur mortaliter peccaminoſa, cenſenda eſt peccatum mortale, & non veniale, e. g. quia materia, & forma Sacramentorum, item ritus varij Sacramentorum ex Diuina, & Apoſtolica traditione ſunt determinata, qui ſubſtantialiter ea variat; mortaliter peccat. III. Regula, quando ratio ipſa naturalis dictat aliquam actionem grauem iniuriam inferre Deo, aut proximo, aut ipſi operanti, illa iudicanda eſt pro peccato mortali; ſecùs autem ſi non ſit grauis. IV. Regula, quando aliqua actio ex ſuo genere mortaliter peccaminoſa hic, & nunc proceſſit ex ſemiplena deliberatione, ſeù ex ſubreptione, & indeliberatione voluntatis, tunc cenſenda eſt ſolum peccatum veniale e. g. Si Plato ex motu primo, & indeliberato impetu Clericum percutiat, vel verbum aliàs grauiter contumelioſum proferat in Socratem, cenſetur peccare ſolùm venialiter. V. Regula, quandocunque aliqua lex ſiuè Diuina, ſiuè humana grauiter obligat ad ſui obſeruantiam; Si talis lex ſit capax cadere ſuper leuem materiam, tunc non cenſetur obligare ad mortale e. g. Præcipit lex Diuina, ne quis furetur, Si tamen aliquid leue furatur, non peccat mortaliter, & tantò minus ſi præceptum ſit humanum. Dixi ſi talis lex ſit capax &c. quia ut infrà videbimus dantur plura præcepta, quæ non admittunt leuem materiam.

QVÆSTIO IX.

Quomodo veniale poſſit tranſire in mortale, & mortale in veniale.

NOt. Quòd idem actus interior voluntatis poteſt fieri de mortali veniale, & de veniali mortale, & ſic pariter actus exterior poteſt fieri de veniali mortale, & è contra; nam, cum actus exterior ab interiori proueniat, & ab eo in ipſum deriuetur bonitas, vel malitia, ſequitur, quod idem actus exterior poſſit eſſe bonus, & malus ſucceſſiuè e. g. Si quis manducet feria quinta carnes antè mediam noctem, & ſequitur manducare etiam poſt mediam noctem, idem actus interior, & exterior, qui non erat peccaminoſus mortaliter, nec venialiter, tranſit in peccatum mortale,

le, & è contra. Cæterùm peccatum veniale secundum suam rationem formalem, hoc est, ut veniale, non potest transire in mortale, neque è contra. Sola igitur difficultas est: An peccatum veniale ex genere suo possit fieri ex accidenti mortale, & è contra.

I. Concl. Peccatum veniale ratione proximi periculi incidendi in culpam mortalem efficitur mortale peccatum, ita communis sententia DD. & comprobatur auct. S.Scrip. Ecclesiastici 3. dicentis. *Qui amat periculum peribit in illo*, hoc est incurrit peccatum mortale, ac proindè mortem animæ. Accedit etiam ratio, quia operans cum periculo proximo incidendi in culpam mortalem, censetur contemnere salutem animæ; & interpretatiuè velle peccatum mortale: ergo &c.

II. Concl. Quando quis statuit, seu ponit in peccato veniali ultimum finem, transit veniale in mortale. Est communis opinio Doctorum. Prob. Qui in peccato veniali statuit ultimum finem, ita affectus est actioni venialiter peccaminosæ e. g. alicui vanæ conuersationi mulieris, vel alterius Socij, adeo ut sit paratus violare legem grauiter obligantem, e. g. de audiendo Sacro die festo, is censetur appretiatiuè creaturam præponere Deo, eiusque amicitiæ, quod destruit ordinem ad finem ultimum, seu quod est ponere in peccato veniali ultimum finem: ergo peccatum veniale transit in mortale.

III. Concl. Peccatum veniale potest transire in mortale ratione damni grauis, siuè temporalis, siuè spiritualis. Item ratione finis ipsius operantis. Prima pars patet, nam furando quis acum à sartore, vel quid simile ab alio, potest mortaliter peccare, dum sciat, quod sic impediatur artifex à suo opere, neque possit habere aliud instrumentum, quo utatur. Secunda pars similiter liquidò patet; eò quia, si peccatum de se veniale ab operante ordinetur ad finem mortalem, ut si e. g. quis iocosè mentiatur, vel verbum turpe pronuntiet, ut inducat alteram personam ad secum fornicandum, tunc fit mortale; quamuis non teneatur necessariò confiteri se esse mentitum, sed satisfacit dicendo se desiderasse fornicationem, & procurasse alterum ad eam inducere, & sic veniale fit mortale etiam ratione scandali. Item veniale fit mortale ex conscientia erronea dictante

esse

esse mortale id, quod hic, & nunc committitur iuxta regulas traditas in tractatu de conscientia.

IV. Concl. Peccatum veniale transit in mortale ratione contemptus formalis legis Diuinæ, & etiam legis humanæ, nec non humani legislatoris. Hæc est communis apud SS. PP. & Theologos. Prob. 1. auct. D. Bernard. lib. de dispensat. præcept. cap. 12. ubi dicit, *Venialia non contemni sine crimine*; & subdit. *Porrò contemptus in omni specie mandatorum perè pondere grauis & communiter damnabilis est*; ex quibus verbis perspicuè infertur non esse distinguendum inter contemptum legis Diuinæ, & humanæ, ut faciunt nonnulli DD. sicut enim omnis potestas est à Deo, & omnis legislatio ab eodem deriuata, ita qui legem humanam despicit, non hominem solùm, sed in homine Deum contemnit.

Prob. ratione; quia contemptus formaliter includit indignam æstimationem personæ præcipientis, siuè Dei, siuè hominis, sed indignam de Deo habere æstimationem grauis irreuerentia est, & pariter habere indignam æstimationem de Prælato, ut Prælatus est, quia redundat ille legislatoris contemptus in contemptum Dei, cuius vices gerit, iuxtà illud Lucæ c. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*: ergo &c. & huiusmodi contemptus est necessariò in confessione exprimendus, quia nouam malitiam specie distinctam actui superaddit, nempè contra virtutem Religionis. Hæc autem doctrina intelligitur de contemptu formali, non autem de materiali; tunc dicitur formalis, quando quis intendit aspernationem, & vilipensionem legis, aut personæ legem ferentis, & ipsius obseruationem despicit, & dedignatur subijci personæ, aut ordinationi legis; materialis autem est ille, qui à trasgrediente non intenditur; & huiusmodi contemptus, qui etiam dicitur interpretatiuus, & indirectus, reperitur in quolibet peccato mortali.

Notant insuper DD. & præsertim Marchantius, quod etiam in contemptu formali potest esse leuitas materiæ; nam potest quis leuiter minus Prælatum æstimare, & in actu secundo minus deferre mandatis eius, ut potè quia appareat imprudens, & minus prouidus, intra venialis peccati rationem, secùs autem si in animo gerat grauem despicientiam, & vilipensionem, quia etiam leuis materia

 est

est grauis, ut supra diximus. Sicut etiam aduertunt, quod aliud est peccare ex contemptu & aliud per contemptum, seu cum contemptu. Primo modo peccat, qui interius contemptum fouet, non tamen ex contemptu mouetur ad transgressionem legis, neque legem transgreditur ad hoc, ut suam vilipensionem ostendat, sed transgreditur ex alio capite: 2. modo peccat, qui mouetur ad transgressionem ex contemptu, quia tunc contemptus exterior habens interiorem contemptum pro obiecto peccat mortaliter ex contemptu, & est speciale peccatum; ita communis opinio DD. & præsertim Herincx disp. 7. de peccato mortali, & veniali quæst. 7. Caspensis tract. de peccatis disp. 3. sess. 5. Marchat. tom. 1. tract. 1. q. 2. tit. 9.

Arg. cont. ultimam conc. Contemptus non est maius peccatum, quàm inobedientia, sacrilegium, & similia; sed hæc non semper sunt peccata mortalia: ergo neque contemptus. Conseq. patet, nam si quis nolit obedire Prælato in re minima solùm, ut ostendat se illam rem parui pendere, non videtur peccare mortaliter, cum appareat leuis esse iniuria. Resp. neg. mai. quia diuersa est ratio de contemptu, & sacrilegio, alijsque similibus, nam in ratione contemptus formalis, quatenus quis in animo, & in affectu paruipendet Prælatum, non datur paruitas materiæ iuxta doctrinam superiùs allatam, & in Sacrilegio, & similibus dari potest leuitas materiæ. Addit Caspens. Probabile sibi videri, quod docet Suarez tract. 3. de legibus c. 28. nempè contemptum Prælati, ut persona priuata tantùm est, esse posse veniale peccatum ex leuitate materiæ; fateor tamen, me non intelligere, quomodo in actione externa, quæ præsefert contemptum Superioris, præscindi possit ratio personæ priuatæ à ratione personæ, ut Superioris, cum eadem actio tendat directè in vilipensionem talis personæ, ut si verbum contumeliosum proferat contra superiorem, tanquàm contra personam priuatam, & sic pariter si eum percuteret, ut personam priuatam; Vnde talis præcisio videtur potiùs Metaphysica, quæ ad praxim nihil facit.

Ex hactenus dictis colligitur, quod peccatum veniale potest ex accidenti fieri mortale sextupliciter nempè, 1. ratione proximi periculi, 2. ratione finis ultimi, 3. ratione

ſcandali, 4. ratione damni grauis, 5. ratione conſcientiæ erroneæ, & denique ratione contemptus.

QVÆSTIO X.

Quomodo peccatum veniale ex conſuetudine, vel ex repetitione actuum fiat mortale.

NOt. Quod quamuis ex multis peccatis venialibus non poſſit coaleſcere unum peccatum mortale, nihilominus dubitant DD. An ex pluribus præcedentibus peccatis venialibus contingere poſſit, ut poſterius peccatum, quod ſequitur, ſit mortale ratione præcedentium, eſtò ſecundùm ſe foret tantum veniale. Et quidem nonnulli putant peccatum veniale ex ſe, ſi tranſeat in uſum, & conſuetudinem fieri mortale, & tribuitur hæc opinio ſummæ Angelicæ Verbo inobedientia, cui videtur fauere D. Bernard. loco ſupra cit. ubi dicit, *Quoddam eſſe veniale, excepto quando per contemptum tranſit in vſum, & conſuetudinem*; Et poſſet comprobari ex cap. 3. de Pœnit. diſt. 1. ubi ſic habetur. *Quæ humana fragilitate, quàmuis parua, tamen crebra ſubrepunt, ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauare, & opprimere ſicut aliquod grande peccatum*, & ex cap. unum horarium diſt. 25. ubi dicitur. *Ebrietatem, ſi aſſidua ſit, computari in numero peccatorum mortalium.* Fauet inſuper communis doctrina, quæ docet, habentem conſuetudinem iurandi peccare mortaliter, licet aliàs tantùm eſſet peccatum veniale iurare ſine cauſa.

Adde pro confirmatione dictum aliquorum DD. qui docent, habentem propoſitum committendi omnia venialia quotquot ſe obtulerint, & vitandi ſola mortalia peccare mortaliter; at hoc non poteſt eſſe, niſi quia omnia illa in unum collecta ratione conſuetudinis perueniunt ad peccatum mortale. Verùm hæc opinio cum ſuis rationibus ad minus indiget explicatione, unde ſit.

I. Concl. Quandocunque ex pluribus peccatis venialibus præcedentibus materia peccati venialis ſequentis redditur grauis, tunc peccatum illud, quod aliàs eſſet veniale, fit mortale ex grauitate materiæ: Hæc concl. ſeù potius regula ſic generatim accepta non poteſt negari; oportet autem in ſingulari eam explicare. Quare pluribus modis ma-

teria fieri poteſt grauior ex eo, quod alia venialia præceſſerint. Primò, ratione periculi incidendi in mortale, quia exponens ſe periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter; unde infertur primò, quod propoſitum committendi omnia peccata venialia, & vitandi tantum mortalia, eſt peccatum mortale, non ex eo quod voluntas tendat in omnia illa peccata venialia, ſed quia conſuetudo multorum peccatorum venialium maximè certi generis, putà nimis curioſè aſpicere pulchram mulierem præſeferunt proximum periculum incidendi in peccatum mortale; nam eo ipſo, quod quis habet tale propoſitum, habet etiam interprætatiuè voluntatem ſe exponendi huiuſmodi periculo, ac proindè mortaliter peccat. Et in hoc ſenſu intelligendum eſt, quod dixit D. Aug. ubi ſuprà allegatus, non enim vult, quod peccata venialia fiant mortalia ex ſola repetitione, vel conſuetudine, ſed ratione periculi, quod in multis peccatorum generibus oritur ex frequentia actuum venialium. Hinc infertur, illum mortaliter peccare, qui ſe exponit periculo iurandi falſum ex conſuetudine, quam habet iurandi, unde ex communiori ſententia tenetur habere propoſitum deponendi huiuſmodi conſuetudinem,& ad id Confeſſarius tenetur monere pęnitentem, & inſuper debet monere de negligentia in extirpanda praua conſuetudine: An verò qui inaduertenter ex repentino motu, aut nimia affectione ad rem aliquam de facto periurat, committat peccatum mortale diſtinctum à peccato prauæ conſuetudinis iurandi, variant DD. ut videre eſt apud Dianam p. 10. tract. 14. reſ. 13. at de hoc alibi.

II. Concl. quandocunque materia poſterioris peccati venialis habet ex natura ſua continuationem cum peccatis venialibus præcedentibus, tunc materia fit grauis, idque verum eſt non ſolùm in materia Iuſtitiæ, ſed etiam aliarum virtutum: hæc eſt plurimorum DD. & præſertim Sanchez lib. 1. ſum. c 4. Suarez diſt. 3. de leg. c. 28. & Caſpenſ. in tract. de peccatis diſp. 3: ſect. 6. Prob. in materia Iuſtitiæ. Si quis furetur aliquid parui momenti, & deindè pluribus vicibus furetur pariter leuia, ſi omnia illa furta leuia collectiuè faciant materiam grauem,& totalem, licet non peccauerit mortaliter furando, peccat tamen mortaliter retinendo huiuſmodi materiam grauem, ſiuè illa materia gra-

uis

uis ablata sit ab uno, vel à pluribus, etsi nonnulli contradicant. Prob. in materia temperantiæ. Siquidem aliquis comedendo, vel bibendo nimis cum salutis detrimento, fieri potest, ut ex singulis actibus parum damni sequatur; ex multis tamen sequatur graue damnum, adeò ut ea commestio, vel potio, quæ ratione noui effectus coniuncti cum effectu præcedentium incipiat afferre notabile damnum, sit peccatum mortale. Quo sensu intelligendum est, quod habetur in cit cap. unum horarium, ubi Glos. illud interpretatur de frequenti habitu bibendi, qui quàmuis de se tantum peccatum veniale sit, seù ad minuta peccata pertineat, tamen, cum ratione assiduitatis faciliter degeneret in ebrietatem, erit peccatum mortale; Similiter qui sæpius in die ieiunij comedit aliquid licet paruum, si post plures comestiones deuenit ad eam quantitatem, quæ simul sumpta esset grauis, frangit ieiunium ratione continuationis materiæ, & mortaliter peccat; Secùs autem si contingat in diuersis diebus ieiunij; quia una dies ieiunij non continuatur cum altera. Eadem ratio etiam militat in recitatione Diuini officij respectu eiusdem diei, estò non currat respectu dierum diuersorum, & deniquè idem dicendum est de laborante in una die festi, si pluribus vicibus ita laborat, ut perueniat ad quantitatem sufficientem ad peccatum mortale: eadem doctrina extenditur à Suarez ad eum, qui frequenti communicatione cum excommunicato etiam in ciuilibus conuersatur, cui videtur consentire Caspensis; at an hoc sit verum iudicent alij.

Quæres. Qui sint, qui possint peccare venialiter.

Resp. D. Thomas docuit illos, qui cum peccato originali incipiunt habere usum rationis, non posse primò peccare venialiter, quàm peccent mortaliter, quam sententiam tenet etiam de homine in statu innocentiæ dicens, Adamum in statu innocentiæ non potuisse peccare primò venialiter, quàm peccasset mortaliter. Verùm hæc doctrina maximè quoad primam partem tanquam difficilis non amplectitur à DD. & meritò, quia licet in creaturis sit obligatio diligendi Deum super omnia, tamen usus rationis adest imperfectus in illis prioribus annis (loquimur hic tam de pueris, quando primò perueniunt ad usum rationis sine peccato originali, quàm de ijs, qui sunt in peccato ori-

gi-

ginali) ita ut huiusmodi obligatio omnibus ignota sit eo tempore; tum quia contingere potest, ut infectus solo originali, vel etiam baptizatus, dum assequitur diluculum usus rationis, leuiter mentiatur, aut alium actum peccaminosum exerceat cum imperfecta deliberatione; tum quia in pueris ordinariè est imperfectum iudicium de moralibus, ac proindè tales potius primò peccant venialiter, quàm mortaliter.

Quæres. Quomodò iudicandum sit, quando mortale fiat ex accidenti veniale defectu considerationis.

Resp. Iam superius diximus, quod ex duobus capitibus, nempè ex defectu considerationis, vel ex leuitate materiæ potest peccatum mortale fieri veniale: & quidem quoad primam partem manifestè patet, quod ea, quæ fiunt ex aliquo repentino motu, & sine plena deliberatione non sufficiunt ad peccandum mortaliter; debet enim in voluntate necessariò precedere cogitatio aliqua expressa, & actualis malitiæ moralis, vel periculi peccandi; vel expressa aliqua dubitatio, siuè scrupulus ad hoc, ut sit peccatum mortale, ut passim docent DD. Cæterùm tota difficultas est in explicando, quænam sit hæc deliberatio requisita ad peccatum, cuius defectu peccatum mortale fit ex accidenti veniale. Hinc varij sunt modi dicendi, at nos, qui breuitati studemus, omnibus omissis, dabimus quasdam regulas magis particulares ad praxim pertinentes iuxta communem doctrinam.

Regula 1. Quando quis praue rei appetitum aduertens, se ita dispositum sentit, ut, etsi facilè posset peccare, non tamen exequeretur, signum est non præcessisse perfectam deliberationem, neque consensum. Regula 2. Quando motus praui, tempore ferè imperceptibili, seu paulò post cum primò aduertitur aduersari rationi, vel legi Diuinæ, statim voluntas conatur expellere talem motum, signum est nullum, vel impefectum consensum præcessisse. Regula 3. Quando quis dubitat. An dormiens, vel vigilans, an sui compos, vel non, aliquid dixerit, seù fecerit, iudicandum est, non fuisse circa talia deliberatum, seu plenum consensum; eo quia plena vigilia, & plenus rationis usus homines de suis actibus certiores reddunt. Regula 4. Quando quis sit præditus bonis moribus, & sit timoratæ conscientiæ,

etiam si à prauis cogitationibus fuerit agitatus per longum tempus, credendum est, eum non perfectè consensisse, cum enim auersionem habeat à peccato, facilè discerneret, si illud admisisset; secùs autem, si sit deprauatæ conscientię, & facilis ad consentiendum tentationibus, quia cum parui faciat peccatum, consensisse censetur. Regula 5. Collocutiones internæ siuè absolutè, siuè conditionatè, quibus Anima sibi ipsi de consensu respondere solet, ordinariè imaginatiuæ sunt, siuè à Spiritu melancholico, siuè à Dæmone excitatæ; ideoque illis absolutè credendum non est, nec de vero consensu, sed ut phantasmata repudiandę sunt, ita Marchant. tom.1. sui tribunalis tract. 3. ubi plures alias regulas habet ad huiusmodi materiam spectantes, quas clarè, & latè explicat. Regula 6. Consensus conditionatus sufficit ad faciendum peccatū mortale, quando obiectum, circa quod versatur dictus consensus cadit sub legem grauiter obligantem, & per adiectam conditionem non omnis malitia ab obiecto præscinditur, secus si præscindatur, nisi prauo fine, & inclinatione in peccatum vitietur.

Prob. & simul explicatur regula, quando obiectum, circa quod versatur consensus conditionatus cadit sub legem grauiter obligantem, adiecta conditio non præscindens ab omni malitia, censetur pro non adiecta, nec factum iustificat, aut purificat; e.g. Si quis dicat, vellem fornicari si non deprehenderer à Patre, vel punirer; similiter si quis diceret, si non essem Sacerdos, si non essem uxoratus, vellem me vindicare, fornicari &c. tales conditiones appositæ non tollunt malitiam, nam etiam si quis non esset Sacerdos, vel uxoratus tenetur vindictam non facere, non fornicari &c. quando autem per conditionem præscinditur, & tollitur omnis malitia obiecti e.g. Si fiat talis conditionalis, vellem comedere, si non esset ieiunium præceptum, quæ quidem conditionalis est tantæ virtutis, ut iustificet factum, seu intentionem non solùm in ijs, quæ sunt mala, quia prohibita, sed etiam in ijs, quæ sunt prohibita, quia mala, sic comprehendendo legem Diuinam quoque, secundum nostram sententiam non peccaret mortaliter, qui diceret, vellem occidere, fornicari &c. nisi lex Diuina hæc prohiberet, vel esset peccatum, vel offensa Dei, licet hoc non placeat Thomistis.

Cæterùm viso quomodo peccatum mortale possit fieri per accidens veniale, & traditis regulis generalibus ad discernendum quando peccatum mortale ratione indeliberationis, & consensus possit esse veniale, superest, ut examinemus, quomodo peccatum mortale fiat veniale ex accidenti ob leuitatem materiæ. Compertum est omnibus, peccatum mortale ex genere suo fieri aliquandò veniale ratione materiæ, sed difficultas est in discernendo, quando sit materia leuis, aut grauis in aliquo præcepto, quod ex genere suo obligat ad mortale: & ratio difficultatis est, quia in aliquibus speciebus peccatorum nulla videtur admittenda materia leuis, sed quęlibet apparet grauis; ex quo fit, ut in illis non possit peccatum mortale ex generę fieri veniale ex accidenti ratione leuitatis materiæ; eò quòd etiam in materia parua reperitur tota ratio malitiæ, & offensionis, tam respectu Dei, quam proximi, quæ est in materia graui. Itaque quilibet actus humanus, quo trasgrediuntur quædam præcepta, imbibit totam rationem malitiæ, adeo ut nulla pars vel minima attingi possit, quin contrahatur tota ratio malitiæ, irreuerentiæ, & offensionis v. g. ut in iuramento assertorio, in materia hæresis, & infidelitatis, in contemptu, & odio Dei, in materia simoniæ iure D. prohibita; idem dicendum de peccato homicidij, & de re venerea.

Quæres 1, Quid sit delectatio morosa, & an sit peccatum mortale. Resp. 1. Talis delectatio est consensus interpretatiuus seu complacétia habita de aliquo opere malo cogitato, sine voluntate illud exequendi: dicitur de opere malo, quia ab omnibus passim sumitur in malam partem: dicitur vero morosa non à mora temporis, sed à mora rationis, eò quòd voluntas ei cum aduertentia inhæreat, vel saltem consensu interpretatiuo, quæ quidem mora in minimo temporis spatio inueniri potest.

Resp. 2. Delectatio morosa circa aliquod obiectum aliàs grauiter prohibitum, etsi non adsit consensus in actum opere exequendum, est tamen peccatum mortale: ita communis sententia Theologorum, & signanter D. Bon. in 2. d. 24. art. 2. q. 1. & 2. ac Scoti in 2. d. 42. cum D. Aug. l. 12. de Trinit. c. 12. contra Martinum de Magistris, qui docuit delectationem morosam de re venerea non continere culpam mortalem.

Quæres 2. Quomodò in præceptis, vel legibus sit dignoſcenda materia grauis aut leuis.

Reſp. Difficile eſt tradere regulas generales ad hoc dignoſcendum, attamen Doctores tradunt quaſdam regulas ad rem noſtram valde idoneas. Prima eſt: Illa materia cenſenda eſt grauis ſecundùm ſe, quæ multùm conducit ad finem imponentis præceptum, aliàs erit leuis; ratio, quia cum lex aliquid præcipiens conſtituat actū præceptum in materia alicuius virtutis, quod valdè opponitur fini præcipientis, planum videtur etiam valdè opponi illi virtuti, ac proinde eſſe tranſgreſsionem grauem. Cæterùm maturè attendendum eſt ad circumſtantias, ex quibus Superior ducitur ad præceptum imponendum de aliqua materia; ſæpè enim contingere poteſt, ut materia ſecundùm ſe ſit leuis, imò etiam indifferens, & proinde incapax obligationis mortalis, quæ tamen ratione circumſtantiæ poteſt euadere grauis e. g. ſi Prælatus prohibeat clericis, vel religioſis ſub pœna peccati mortalis ne tabaccum ſumant in choro, dum diuina agunt; ſimiliter ſi Prælatus regularis ſubditis præcipiat, ne talem, vel talem domum ingrediantur. Item, ut tempore noctis rigoroſum ſilentium ſeruetur; nam licet hæc, & ſimilia ſint, vel leuia, vel indifferentia; attamen ratione circumſtantiarum ſecundum finem præcipientis, poſſunt tranſire in materiam grauem peccati mortalis. Neque prudenter loquuntur ij, qui dicunt, debere certò conſtare, leuem materiam ratione ſuperioris præcipientis, ac finis tranſire in materiam grauem, inquit Suarez; quia ſæpè fines legislatoris ſunt occulti, & maximè ſuperioris regularis; unde cum prudens legislator ſignificet ſe velle ad grauem culpam obligare, potius pro illo præſumendum eſt, & iudicandum, grauem eſſe materiam ratione alicuius circumſtantiæ nobis occultæ. Regula 2. Quando materia præcepta, vel prohibita ſub mortali eſt diuiſibilis in plures partes, tunc quæuis eius pars notabilis æſtimanda eſt materia grauis, & ſufficiens ad peccatum mortale; e. g. quia totum diuinum officium Breuiarij eſt materia diuiſibilis in ſeptem partes, ideo omittens unam horam peccat mortaliter: Similiter, quia totus dies feſtus eſt materia diuiſibilis in plures horas diei, idcircò laborans duabus horis, vel tribus, quòd ſpatium cenſetur notabile, mortaliter pec-

eat. Regula 3. Ea, quæ præcipiuntur, ut valdè utilia Reipublicę, grauia censeri debent, eò quod materiæ quantitas sit ex se notabilis in æstimatione Reipublicæ; licet ex eius violatione non sequatur graue nocumentum: ita Caspens. in tract. de peccatis disp. 3. sect. 4.

QVÆSTIO XI.

Vnde desumenda sit specifica peccatorum distinctio.

NOt. Quòd distinctio præceptorum potest considerari dupliciter, nempè vel ex parte præcipientis, vel ex parte rei præceptæ: ex parte præcipientis aliud est præceptum naturale, aliud diuinum, aliud humanum, aliud ecclesiasticum, aliud ciuile. Ex parte rei præceptæ distinguuntur iuxta diuersitatem virtutum, quas præcipiunt, aut vitiorum, quæ prohibent. Cum autem quælibet virtus habeat plures actus specie diuersos, & diuersas agendi regulas, quibus regulari debet, hinc est, quòd contra eandem virtutem multipliciter peccari possit, & sic, quia virtus v.g. temperantiæ versatur circa moderationem in cibo, potu, & voluptatibus corporis, ideo contra eam variè peccari potest, nempe per gulam, per fornicationem &c. Ex quo fit, ut eadem virtus possit præcipi varijs præceptis; imò etiam contingit interdum, quod unus, & idem actus virtutis possit multis præceptis prohiberi, ut patet de peccato usuræ: similiter potest idem actus pluribus virtutibus aduersari; sic furtum rei sacræ, aut Clerici percussio repugnat simul iustitiæ, ac Religioni, hoc est reuerentiæ debitæ rebus, & personis Deo dicatis.

I. Concl. Specifica peccatorum distinctio desumitur aliquando à circumstantijs specie differentibus: hæc est communis inter Theologos, excepto Durando. Prob. Ab eo peccatum dicitur esse specie distinctum, à quo habet nouam, & specie distinctam deformitatem à ratione, & regulis bene viuendi, sed hoc quandoque peccatum habet à circumstantijs, actum peccaminosum concomitantibus, ergo ab illis circumstantijs peccata specie distinguuntur mai. patet, min. prob. ex Concil. Trid. sess. 14. Can. 7. ubi definitur, in confessione aperiendas esse circumstantias, quę speciem peccati mutant, ergo &c. II.

II. Concl. distinctio specifica peccatorum non desumitur ab obiecto entitatiuè spectato, sed à ratione formali deformitatis, seu disconuenientiæ, quam habent cum regulis, & legibus benè viuendi: hæc est Scoti in 2. d. 37. ubi, postquam docuit, priuationes distingui specie ex distinctione specifica habituum, & numero ex distinctione habituum numerali, subdit: peccata, quæ sunt priuationes quædam scilicet rectitudinum, quæ deberent inesse actibus, distinguuntur formaliter ex distinctione talium rectitudinum, ut, quando debent habere diuersas rectitudines specie, sunt carentię diuersæ specie, & ità non per comparationem ad obiecta, quæ non sunt mala, nisi materialiter, distinguuntur ipsa peccata, sed formalis ratio in eis distinguitur in comparatione ad rectitudinem aliam, & aliam specie, quæ deberet inesse. Prob. etiam ratione; distinctio specifica actuum in genere naturæ rectè desumitur ab obiectis ex Arist. 2. de Anima, ubi ait; actus specificari ab obiectis in genere naturæ, ergo à pari distinctio specifica moralis peccatorum desumi debet à ratione formali obiectorum prohibitorum.

Conf. actus humanus sumit ab obiecto specialem bonitatem, vel malitiam moralem, ut ostensum est in tract. de actibus humanis, ergo & peccatum, quod est actus humanus malus desumit distinctionem specificam ab obiecto secundum talem, vel talem rationem formalem, idquè patet in adulterio, quod distinguitur specie morali ab incestu, à Sacrilegio, à fornicatione, quia obiectum formale, & ratio formalis legis agnoscit in adulterio præter concubitum carnalem, iniuriam Thori, & Matrimonij, in incestu irreuerentiam, & iniuriam sanguinis, vel proximitatis; in Sodomia peruersitas ordinis totius naturæ &c. & sic in omnibus præceptis obiectum formale, & ratio formalis legis sunt quasi punctum, & index rectitudinis, à quo per peccatum magis, vel minus receditur, aut declinatur, ac proindè rectè ab illis sumitur specifica, unitas, vel distinctio peccatorum. Ex quo infertur, peccata esse diuersa specie, non solum per oppositionem virtutibus specie diuersis, sed etiam quando eidem virtuti, sub diuersa tamen ratione formali, repugnant; qua ratione periurium, voti transgressio specie inter se differunt, quia eidem virtuti Religio-

nis, sub diuersa tamen ratione formali, opponuntur.

Arg. cont. 1. concl. bonitas, vel malitia moralis est quid intrinsecum actui malo, circumstantiæ verò sunt quid ipsi extrinsecum, sed nihil intrinsecum desumi potest ab extrinseco, ergo actus humanus non potest denominari, vel esse bonus, vel malus à circumstantijs. Resp. dist. min. nihil intrinsecum physicum, & entitatiuè denominari potest ab extrinseco, conc min. nihil intrinsecum moraliter denominari potest ab extrinseco physico, neg. min. alioquin sequeretur, quod obiectum non daret actui humano aliquam bonitatem, vel malitiam moralem intrinsecam, quia tam obiectum est quid extrinsecum respectu actus humani, quàm ipsæmet circumstantiæ; ac proinde qua ratione actus humani desumunt ab obiecto bonitatem, vel malitiam intrinsecam specificam, & essentialem, ità etiam à circumstantijs.

QVÆSTIO XII.

Vnde desumenda sit numerica peccatorum distinctio.

NOt. Quod, licet actus voluntatis sit unicus, quandiù non exit in opus externum, nihilominus actus aliquis unus formaliter potest esse virtualiter multiplex, quatenus transit super plura obiecta materialia inter se distincta: e. g. si quis velit occidere decem homines, actus quidem interuus voluntatis est formaliter unus, nihilominus ut transit super plura obiecta, etiam actus idem internus est virtualiter multiplex, & in confessione explicandus, & tanto magis si de facto occidat decem homines, est virtualiter multiplex, ut clarè patebit ex dicendis infra, & in confessione explicandus;

I. Concl. peccata interna unitatem, & distinctionem numericam sumunt ab ipsa unitate, vel distinctione actus voluntatis, quo fit voluntaria præcepti transgressio iuxta eius moralem existentiam; ita Herincx, Marchant. & alij Recentiores Scotistæ, quam conclusionem sic explicat Marchant. Quàmuis Ioannes uno actu voluntatis intendat plures occidere homines, non obid plura peccata interne committit, sed tantum unum, quia unicus est actus

vo-

voluntatis, & unum obiectum formale, nempe occisio, etsi sint plura obiecta materialia, quæ in uno formali obiecto per modum unius continentur; ratio est, quia una est volitio, etsi quæ sit multiplicatio in materiali obiecto ratione obiecti formalis, & intentionis per modum unius, omnia in uno censentur unita, & volita, debent tamen omnes malitiæ, & iniuriæ, quæ in uno illo formali obiecto uniuntur, exprimi in confessione, quia talem grauitatem addunt actui, ut quamuis formaliter sit unus, & unum peccatum, virtute tamen multiplex est, & ad iudicij veritatem, & integritatem spectat illa cognoscere. Dicitur in conclusione, iuxta eius moralem existentiam, & durationem, actus enim ille voluntatis, quamuis natura sua instantaneus, tamen moraliter censetur tamdiù existere, & durare, quamdiù moralis ista existentia, & duratio persistit.

Sed petes, quamdiù censeatur idem actus voluntatis internæ existere, seu durare?

Resp. Marchant. quamdiù non est formaliter vel interpretatiuè reuocatus; tunc autem censetur formaliter reuocatus, quando voluntas alium actum contrarium elicit, vel quando à proposito se à tali distrahit, siuè diuertit; interpretatiuè verò quando, etsi contrarium actum, vel distractionem à proposito, siuè etiam auersionem animi ab illo non senserit, aliquo tamen tempore dum ad actum illu reflectit, omninò negatiuè se habet, & dissimulat, nec in illud obiectum mouetur, & sic censetur interpretatiuè reuocatus. Quare non approbat Marchant. sententiam eorum, dicentium, actum voluntatis censeri interruptum per somnum, vel per occupationem externam, non à proposito assumptam, & rationem dat, quia aliàs si quoties actu reflectitur, toties moueatur, omnis motus sic perseuerans primo motui, seu impulsui, ex actu impresso reputatur, cum constet, voluntatem nec formaliter, nec interpretatiuè illum reuocasse; aliàs sequeretur, quod quoties aliquis reflecteret post aliqualem diuersionem super primum actum, toties peccaret peccato distincto, quod non apparet verum, quia omnis actus prior cum posteriori censetur perseuerare. Itaque debet esse interruptio, aut formaliter, aut interpretatiuè voluntaria, ad hoc ut actus interni repetitio censeatur numero distincta à priori; &

hæc sententia, ut verum fatear semper mihi magis placuit, quam opposita sententia; non enim mihi satis quadrat, quod illa distinctio moralis, seu interruptio posita per somnum, vel per aliam operationem externam, reuocet actum voluntatis, seu interrumpat, cum idem actus voluntatis perseueret habitualiter; tum quia hæc sententia liberat pœnitentem ab angustijs inueniendi quoties actus per longum tempus sit interruptus.

II. Concl. Vnitas, & distiuctio numerica actus externi sumi debet ab unitate, vel distinctione morali omnium, quæ ad actum referuntur, quatenus in uno, vel diuersis obiectis formalibus, & fine operantis distinguuntur, vel uniuntur; sic in concubitu carnali, verba, oscula, solicitationes, tactus &c. non faciunt peccata numero distincta, ratio est, quia moraliter actus illi ad unum actum principalem referuntur, & in uno formali obiecto, & fine operantis, qui est mulierem carnaliter cognoscere, moraliter uniuntur, & sic de similibus; quæ conclusio ex regulis sequentibus euadet clarior.

I. Regula. Actiones externæ simplices, siuè quæ ex unico actu compleri solent, ex se ipsis, seu ex sua singularitate, distinctionem, & unitatem habent, ratio, quia una in obiectum tendentia terminantur, & sic facile discerni possunt quoad numericam rationem &c.

II. Regula. Omnes illæ actiones, quæ ex natura sua plures actus coniunctos habent ab ipsa principali actione, & obiecto formali, ita sumunt unitatem numericam, ut in illis non habeatur ratio actuum concurrentium quoad unitatem, vel distinctionem: e.g. in celebratione Missæ, etsi plures actiones concurrant, tamen qui Missam in peccato mortali celebrat; unum tantum peccatum committit, unde sufficit dicere, celebraui in peccato mortali. Idem est dicendum iuxta opinionem plurimorum Doctorum, & præsertim Marchantij de eo, qui destribuit in peccato mortali Eucharistiam pluribus personis, supposito, quod talis actio sit peccaminosa mortaliter, quod si teneamus cum alia opinione probabili, quod talis distributio non sit peccaminosa mortaliter, cessat omne dubium. Idem censendum est de eo, qui ad audiendas confessiones se exposuit, etiam si cêtum personæ successiuè sibi præsentent, & omnes

ab-

absoluantur à peccatis, rationem dat Marchantius, quia Ministerium, & actionem natura sua communem omnibus accedere volentibus, exercet, quam explicamus per verbum; pro tribunali sedere, iudicium facere &c. Verùm id ingerit nobis aliquam difficultatem, quia quando Sacerdos absoluit unam personam, perficit omninò talem actionem, quæ nullam connexionem habet cum alijs absolutionibus, quia una absolutio non ordinatur ad aliam, neque tanquam medium ad finem, neque tanquam pars ad totum, siuè physicum, siuè morale, ac proinde videtur dicendum, Sacerdotem tot peccata committere, quot personas absoluit; & potest confirmari hæc ratio à simili, nam qui per totam noctem habet concubitum cum muliere, si plures copulas perfectas cum illa habuit, non sufficit dicere, dormiui cum muliere tota nocte, idque non alia ratione, quia quælibet copula carnalis habet suam unitatem numericam, distinctam à quacunque alia, neque ordinatur ad alias; altera tamen opinio est probabilis. III. Regula. Peccata cogitationis multiplicantur specie ex diuersitate obiecti, seu materiæ specie diuersæ, siue ex obiecto, & fine specie diuersis; & similiter multiplicantur numero ex parte obiecti, siue materiæ, licet alioquin sit unus tantum voluntatis actus, quando talis actus dicit ordinem, & respectum ad obiecta numero diuersa; ita passim Doctores, & præsertim Marchantius, Herincx, & Mastrius. Exemplum de prima parte regulæ. Si quis alium occidere velit ad hunc finem, idest ut bona eius surripere possit; vel si quis furetur, ut fornicetur, in his, & similibus casibus, quamuis unus sit voluntatis actus, duo tamen sunt peccata specie diuersa, quia in illo eodem actu duæ reperiuntur malitiæ diuersæ, nempe homicidij, & furti, vel furti, & fornicationis.

Exemplum de secunda, idest de multiplicatione numerica. Si Petrus eodem actu voluntatis decem homines occidere proponat, tunc committit decem peccata homicidij, quatenus unus, & idem actus terminatur ad plura obiecta numero distincta; & sic pariter discurrendum est de peccato omissionis; ut si quis velit tribus diebus festis Missam non audire. Contrarium tamen sentiunt Nauarrus, Bonacina, Filiuccius, & alij, asserentes, quod, si quis uno actu plures desideret mulieres, aut velit plures homines oc-

cidere, & similia, unum tantùm numero peccatum committit. Cæterùm quod spectat ad peccata oris aliqui volunt, multiplicari specie, quando verbum, seu sermo dirigitur ad diuersa specie, ut si Petrus Paulum appellet hæreticum, latronem, adulterum &c. tria peccata contumeliæ specie distincta committit, & idem asserunt si sermo dirrigatur ad obiectum, quod duplicem malitiam specie diuersam habet; ut si quis alium appellet furem rerum Sacrarum, vel adulterum &c. ita Sanchez, Vasquez, Caspensis, & alij. Sententia tamen opposita, docens, omnes præfatas contumelias esse eiusdem speciei, quia in una ratione formali conueniunt, quæ est intentio auferendi alteri honorem, videtur mitior, & hanc tradunt Bonac. Molina, & alij. Quòd verò attinet ad pluralitatem numericam peccatorum oris, pariter discordant Doctores; siquidem dicunt aliqui, non multiplicari numero peccata, si quis uno iræ impetu appellet alium ter, vel quater furem, & aiunt etiam non augeri numero conuitia pro numero eorum, quibus obijciuntur; ut si quis simul maledicat Deo, & duodecim Apostolis, putant, non esse nisi duplex maledictum alterum in Deum, & alterum in Apostolos, estò sint duodecim; ita Nauar. Manuali cap. 6 cum alijs. Alij verò affirmant in prædictis casibus peccata numero multiplicari, quia hęc conuitia verbo complentur, ergo, sicut quando primò latronem quis appellauit semel peccauit, sic etiam quando 2. & 3. quia non est maior ratio de primo, quam de alijs. Cæterùm alij probabilius procedunt cum tali distinctione: quando quis pluribus personis iniuriam infert, plura peccata committit, iuxta numerum personarum, ac proinde in confessione oportet explicare numerum personarum, non quia personarum pluralitas præcisè sit circumstantia speciem mutans, sed quia est obiectum terminans, & determinans ipsum actum, ut aliquid ad ipsius substantiam spectans in indiuiduo, quæ quidem ratio sufficienter exprimi nequit, nisi exprimatur expressus personarum numerus. Secùs autem est dicendum, si iniuriam infert pluribus verbis contumeliosis uni tantùm personæ, quia una est pugna, aut lis, ac proindè illi actus mali, siue sint tres, siue quatuor, censentur partes unius pugnæ, vel litis, & sic iuxta regulam superius traditam non multiplicantur nu-

numero peccata: Ita Bonac. Suarez, & alij communiter &c.

Denique quod spectat ad peccata operis, conueniunt Doctores, specie multiplicari ex obiectis specie diuersis, ut supra dictum fuit, numerica autem huiusmodi peccatorum distinctio sumenda est, vel ex actibus, & obiectis numero distinctis, vel si unus sit actus, & dicat ordinem ad plura obiecta numero distincta; ut si quis uno ictu plures homines occidat, plura numero homicidia committit, ab ipsis obiectis distinctis desumenda est numerica peccatorum distinctio, quia, ut supra dictum fuit, licet actus voluntatis secundum suam entitatem physicam sit unus, est tamen virtualiter multiplex, quatenus terminat ad plura obiecta distincta, & tantò magis si facto externo huiusmodi actus habeat suum complementum. IV. Regula. Peccatum omissionis, & commissionis contra eandem virtutem differunt specie morali inter se, quia eadem virtus pòtest fundare duo præcepta specie diuersa, unum affirmatiuum, alterum negatiuum, ut ex dictis patet.

V. Regula. Peccata possunt inter se specie differre non solùm modis prædictis, sed etiam ratione diuersę deformitatis, quæ adeò diuersa ratione, & malitia materiam eiusdem virtutis attingere possunt, ut quantum est ex natura peccati ostendat aliam, & aliam deformitatem; neque sit eadem facilitas, moraliter loquendo illa committendi, qualia sunt e. g. sodomia, & bestialitas, & concubitus cum Dæmone; nam natura abhorret unum plusquam aliud; ità ex communi sententia loquitur Mastr. in Theologia moràli disp. 15. q. 5. art. 2. &c. VI. Regula. Quando peccata prohibita sunt pluribus præceptis in diuersis materijs, & ob diuersa motiua, vel circa eandem materiam, sed propter diuersa motiua formalia ad diuersas virtutes pertinentia, tunc peccata inter se specie distincta erunt; e. g. præceptum de furto simpliciter, & de loco Sacro. Secus autem si plura sint præcepta sub unica tantum ratione formali circa eandem materiam: e. g. ieiunium ex regulari obseruantia, & ex præcepto Ecclesiæ &c.

Quæres. Quodnam sit maius peccatum, quando duo vitia extrema opponuntur eidem virtuti in medio consistenti, nempè. An quod opponitur per excessum, vel quod opponitur per defectum e. g. An maius peccatum sit pro-

galitas, vel auaritia, quæ opponuntur virtuti liberalitatis. Resp. Pro resolutione huius difficultatis oportet aduertere in primis, quod, licet honestas, & rectitudo virtutis, quæ mediat inter duo vitia extrema, sit formaliter una, est tamen virtualiter duplex, ac proinde habet rectitudines actuales speciei diuersæ; unde illud peccatum, seu vitium extremum erit grauius, quod actui perfectiori, seu rectitudini actuali virtutis opponitur, & è contra illud minus graue, quod opponitur minori perfectioni. Insuper obseruandum ex Mairone in 1. d. 1. q. 1. §. de 2. dico; qui cum D. Ambros. cuius hodie festum colimus, docet, quod quatuor sunt genera virtutum in Anima nostra: quædam sunt ad regulandum; ut Prudentia: quædam ad actum remittendum, ut temperantia: quædam ad intendendum, ut fortitudo: & quædam ad utrumque, ut Iustitia, cuius una pars est remuneratiua, & hæc ad intendendum; alia punitiua, & hæc ad remittendum. Iam modo ad propositam difficultatem dicimus, quod quando virtus datur ad actum intendendum, tunc defectus, vel vitium maius, seù grauius est in deficiendo, quàm in superabundando, seu excedendo, sicut timiditas plus vituperatur, quam audacia, quia fortitudo datur ad actum intendendum; sic pariter auaritia est peius vitium, quàm prodigalitas, quia liberalitas datur ad actum intendendum. È contra quando virtus datur ad remittendum actum, tunc peius est vitium per excessum, quàm per defectum: e. g. temperantia datur ad remittendum actum, ideoque peius vitium est crapula, & ebrietas, quàm nimia abstinentia; quam doctrinam amplectuntur passim Doct. potius sibi, quam alijs, à quibus acceperunt, appropriando.

Quæres. Quodnam propriè sit peccatum, quod sit ex malitia. Resp. Voluntas tunc propriè peccat ex malitia, non quando vult malum sub ratione mali, ut putant Ocham, & Gabriel; neque quando peccat ex habitu vitioso, ut quidam alij opinantur, sed quando nec ex ignorantia, nec ex infirmitate, nec ex passione, seu concupiscentia antecedenti, sed ex mera libertate, hoc est, nulla passione agitante, inducit se ad malum: ita D. Bon. & Scot. 2. d. 43. q. 2.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum peccatum sit causa peccati, nec non pœna peccati.

NOt. 1. Quòd aliquid potest esse causa dupliciter: Vno modo per se, & directè agendo, & mouendo, alio modo per accidens, & indirectè ad modum remouentis prohibens: hoc autem fieri potest dupliciter: Vno modo aliquid efficiendo, aut mouendo, ut cum quis frangit, vel amouet trabem prohibentem lapidem, ne cadat; alió modo per modum demeriti, quemadmodum ille, qui peccat dicitur à se remouere gratiam, quia demeretur eius ablationem, quæ quidem gratia impediebat peccatum. Insuper aliquid potest dici causa alterius, vel propriè causando illud in aliquo genere causarum, vel quia sine illo talis effectus non causaretur, etsi adhoc non concurrat in aliquo genere causarum, & in hoc sensu aliquid dicitur causa sine qua non.

Not. 2. Pro 2. parte quæst. ex Magist. sentent. quod priuatio boni potest intelligi actiuè, vel passiuè, idque secundum Scot. sic exponitur, quod ipsa culpa est à voluntate, ut à causa actiua, sed tamen deficiente, & ipsa pœna est in voluntate tanquàm in subiecto, quod per culpam priuatur bono conuenienti, quod bonum erat debitum in quantum voluntas potuit, & debuit agere ad rectitudinem actus, & tamen non egit. Primo itaque modo est culpa: 2. modo formaliter est pœna, quia videlicet est corruptio, siue priuatio boni sibi maximè conuenientis, & ut sic non est formaliter voluntaria, quia voluntas in quantum subiectum non habet formā sibi inhęrentem in sua potestate.

I. Concl. Loquendo de peccato tam formali, quam materiali potest interdum peccatum esse causa per accidens peccati ad modum remouentis prohibens, loquendo de peccato, quoad materiale potest esse aliquando causa peccati impropriè: est Scot. in 2. sent. dist. 36. q. 1. Prob. quoad 1. part. Peccatum est demeritum, quo voluntas priuatur gratia, sed voluntas gratia priuata redditur debilior ad bonum, & procliuior ad malum, seu ad peccatum, ergo peccatum potest aliquando esse causa per accidens peccati per modum remouentis prohibens. Prob. 2. pars. Non reperire-

tur actus inordinatus, siue culpabilis in alijs potentijs à voluntate, nisi in voluntate esset peccatum, ergo peccatum in voluntate est causa sine qua non peccati existentis in alijs potentijs, quod tamen non est intelligendum, quasi actus elicitus à voluntate, & actus imperatus sint duo peccata in esse morali, & theologico, licet sint duo actus in esse naturæ. Prob. 2. Eò quia post priora peccata relinquitur in voluntate dispositio quædam inclinans ad consimiles actus peccaminosos, ergò peccatum aliquando est causa peccati impropriè.

II. Concl. Omne peccatum est pœna, & unum peccatum potest esse pœna alterius. Prob. quoad 1. p. ex Scot. in 2. cit. Pœna formaliter est carentia talis boni conuenientis voluntati, sed peccatum est carentia talis boni: ergò omne peccatum est pœna. Min. patet, quia in voluntate ponitur affectio boni iusti, & boni commodi, & utriusquè carentia est pœna. Prob. 2 pars. Apocalip. cap. vlt. dicitur. *Qui in sordibus est sordescat adhuc*, ubi dicit Glossa: *Qui in sordibus est, hoc meretur, ut sordescat adhuc*, sed in sordibus esse nil aliud est quàm esse in peccatis, & sordescere nil aliud est quam peccare, ergò peccatum est meritum alterius peccati, ergo à relatiuis peccatum sequens est retributio præcedentis, quæ quidem retributio est pœna peccati.

Arg. contra 2. conclusionem D. Augustinus in lib. 1. retract. dicit, quod omnis pœna est iusta, sed omne iustum est à Deo, ergò omnis pœna est à Deo; subsumo min. sed peccatum non est à Deo. ergò peccatum non est pœna peccati. Resp. dist. mai. Omnis pœna positiua, quæ exigit causam efficientem est à Deo conc. mai. Omnis pœna, quæ non respicit Deum, tanquam causam efficientem, sed solummodò deferentem ob demeritum peccatoris, & sic neg. mai. Omnis igitur pœna inflicta à Deo tanquam à causa efficiente non potest esse peccatum, sed benè pœna à Deo deferente creaturam liberam in suis defectibus.

Arg. 2. Pœna non excedit culpam, quia Deus semper punit citra condignum, sed quandoquè peccatum sequens est maius præcedenti, ergò unum peccatum, non potest esse pœna alterius. Resp. dist. mai. Pœna inflicta à Deo non excedit culpam conc. mai. Pœna, quam peccator sibimet infert peccando neg. mai.

Arg. 3. Si culpa ſequens eſt pœna præcedentis, ergo à relatiuis culpa præcedens eſt meritum ſequentis, & pari ratione, illa culpa ſequens eſt meritum alterius peccati, & ſic deinceps, ergò ſi nullum peccatum debet remanere impunitum, videtur quod homo debeat peccare in æternum, hoc eſt in infinitum, quod eſt indignum dicere, & manifeſtum inconueniens. Reſp. quod culpa præcedens reſpectu ſequentis non eſt meritum condigni, ſed congrui, quæ quidem congruitas in alia pœna de facili recompenſari poteſt per aliam congruitatem, undè ſicut congruum eſt, quod Deus peccatorem deſerat permittendo eum labi in aliud peccatum, ità etiam congruum eſt, quia malè uſus eſt vita, ut vitam ſibi auferat, & in Infernum demergat. Et inſuper ſic congruum eſt, ut ſi velit pœnitere, & abſtinere, Deus det ei auxilium, ut in aliam culpam, non cadat.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum peccatum mortale contineat malitiam infinitam.

NOt. 1. Quòd in peccato tria diſtingui ſolent. Primum eſt ipſiuſmet peccati malitia moralis, quæ ut ſupra dictum eſt conſiſtit in priuatione debitæ rectitudinis: 2. eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam: 3. tandem eſt ratio offenſæ; nam peccans ponit in creatura rationem ultimi finis ſaltem interpretatiuè, ac proinde iniuriam facit Deo auferendo illi honorem ultimi finis; honor ſiquidem Deo debitus conſiſtit in cultu ei exhibito ab omnibus ſuis creaturis; igitur quando aliqua creatura intellectualis non exhibet ei prædictum cultum, ſed Deum grauiter, ac lætaliter offendit; tunc Deus minùs habet de honore ſibi debito, & per conſequens læſionem patitur in honore. Profectò honor eſt in honorante, & nil aliud eſt, quàm recta exiſtimatio de virtute alterius. Hinc D. Aug. lib. 83. q. q. 31. ait. *Qui de Deo prauè ſentit, verè lædit illum in honore, quia recta exiſtimatio de illo eſt ei debita.* Itaque peccator infert Deo offenſam, & iniuriam contra iuſtitiam.

Not. 2. Quòd iniuria tantò eſt grauior, quantò perſona, cui irrogatur, eſt dignior, & perſona offendens eſt vilior;

cre-

crescit namque grauitas Iniuriæ ex hac personarum improportione. Quarè cum Deus, cui per peccatum fit iniuria; habeat infinitam dignitatem, iniuria ei facta per peccatum; quodammodo habet infinitam grauitatem; notanter dicitur (quodammodo) quia, etsi cæteris paribus, peccatum tantò fit grauius, quantò persona offensa est dignior; & lædens est vilior; inde tamen non sequitur, malitiam peccati, qua Deus offenditur, absolutè, & simpliciter esse infinitam; sed tantum secundum quid; videlicet, quia cæteris paribus, maior est, quàm malitia actus, qua persona creata offenditur, quod benè potest consistere cum peccati finitate in se. Itaque iniuria Dei est altioris ordinis in ratione iniuriæ supra omnem iniuriam, quæ inferri potest puræ creaturæ; ac proinde est illi improportionabilis, quæ dici potest infinita negatiuè in se. Quam doctrinam indicauit Arist. lib. 5. Eth. cap. 5. & leges statuunt, quod iniuria, quæ fit Regi propter maiorem Regis maiestatem, seu dignitatem, est maior ita l. Prætor ff. de iniurijs, & l. aut facta ff. de penis; idque est commune omnium prudentum iudicium; igitur iniuria, quæ fit à vilissimo peccatore Deo excedit quodammodo in infinitum iniurias creaturæ factas.

Not. 2. quod in hac quæst. duæ sunt sententiæ; prima est Thomistarum cum D. Thom. p. 2. q. 87. art. 4. & p. 3. q. 1. art. 2. asserentium peccatum mortale importare malitiam simpliciter infinitam, non quidem in ratione moralis malitiæ, quæ est priuatio rectitudinis debitæ finitæ, sed in ratione offensæ, seu iniuriæ; quia in hoc sensu includit aliquam infinitatem simpliciter in genere mali, prout offensa se tenet ex parte Dei, & afficit ipsum. Quarè dicunt, & signanter Gonet. in comp. theol. tract. 5. de peccatis; quod persona offensa non comparatur solùm per modum obiecti ad iniuriā ipsi illatam, sed etiam in ratione subiecti moralis; quod afficit ipsa iniuria, & inde contrahit huiusmodi infinitatem in genere mali. Quod idem Gonet. nititur probare tripliciter: primò ex vulgari illo proloquio Honor est honorantis, iniuria autem est in persona offensa: 2. ex differentia, quæ inter peccatum in ratione malitiæ, & in ratione offensæ reperitur, nam sub priori ratione dicitur, & est malum peccantis, sub posteriori non ipsius

pec-

peccantis, sed Dei offensi dicitur malum; ergo in ratione offensæ Deum ut subiectum morale respicit: 3. ex communi modo loquendi, non enim offendens, sed persona offensa dicitur pati offensam; ille autem dicitur offensam patiens, qui offensæ subiectum est, ergo persona offensa est morale subiectum offensæ, ac proinde in hac consideratione contrahit ab illo infinitam malitiam in genere mali.

Hinc disparitatem deducunt, inter actum charitatis erga Deum, & actum peccaminosum; nam ille comparatur ad Deum tanquàm ad obiectum; hic autem comparatur ad Deum tanquam subiectum, quod moraliter afficit, & quodammodo informat, & participat grauitatem infinitam respondentem infinitæ dignitati Dei, neque actus charitatis participate potest parem infinitatem, quia obiectum non dat aliquid actui, nisi iuxta modum, quo ab ipso attingitur; attingitur autem Deus finito modo à tali actu, & à similibus; ideoque non accipiunt ab ipso infinitatem aliquam intrinsecam. Altera sententia est Scoti, & Scotistarum in 2. d.37. q.1. §. ex ista, & in 3. d.19. & 30. §. contra, ubi ait actum charitatis esse tantæ bonitatis, quantæ malitiæ est peccatum, quo quis se auertit à Deo; & in 4. d. 14. q. 1. ubi docet, quod tantum malum est peccatum, quantum bonum aptum est inesse actui.

Concl. Peccatum mortale nullo modo, nec quidem in ratione offensæ seu iniuriæ includit malitiam simpliciter infinitam. Est Scot. loc. cit. & alibi, eamque amplectuntur quam plures Recentiores, & signanter Suarez, Lugo, Meratius, Becanus, Morandus, & Salas. Prob. 1. & simul euertitur Thomisticum fundamentum. Infinitum simpliciter in perfectione, siue sit infinitum in omni perfectione, & quacunque possibili, siue in aliqua determinata, est id, quod non potest habere maius se, siue in omni perfectione, siue in tali determinata, teste Scoto quol. 5. ubi ait infinito in eo genere, in quo est infinitum, nihil potest esse maius, ut ex ipsa infiniti ratione constat; sed ex peccatis mortalibus unum est alio grauius, & maius, tam in ratione malitiæ, quàm in ratione offensæ, & iniuriæ, ergo nullum peccatum est simpliciter infinitum. Maior constat ex dictis in Philosophia; minor probatur. Peccatum est malitia, & offensa Dei; ita tamen ut malitia sit radix iniuriæ, & of-

& offensæ, quia peccatum theologicè acceptum, & adequatè ideò est offensa, iniuria, & contemptus Dei, quia est transgressio D. legis; hoc est, ut explicat Mastrius, quia habet malitiam, quæ est priuatio obseruantiæ, & præcepti legis Dei; ergo cum ipsa ratio malitiæ in omnibus peccatis sit inæqualis, & suscipiat magis, & minus, etiam ratio offensæ, & iniuriæ esse non potest æqualis in omnibus peccatis, sed maior, & minor pro peccatorum grauitate: cons. patet quia accessorium sequitur naturam principalis iuxta Philosophos, & legistas l. cum principalis ff. de reg. iuris; quod autem sequitur aliud per modum passionis, nequit habere perfectiorem modum essendi, quàm id, cuius est accessorium l. iustissimè §. 1. ff. de edil. edic. Tum quia grauiori peccato, grauiùs offenditur Deus, ut passim loquuntur Scrip. Sac. & Patres; ergo si peccata non sunt paria, & æqualia in ratione malitiæ; neque erunt æqualia in ratione offensæ, & iniuriæ; alioquin dicendum esset, æquè Deum offendi peccato grauissimo, ac valdè minus graui intra latitudinem mortalis culpæ.

Nec valet responsio communis Thomistarum attendi debere grauitatem, & infinitatem ratione personæ offensæ; quia dum ostendimus peccato grauissimo offendi magis Deum, quam minùs graui, respicimus, & malitiam, & iniuriam personæ; quæ quidem iniuria non crescit adequatè ad dignitatem eius, sed seruata proportione; ut patet ex 2. not. Confirm. Etenim iuxta regulam traditam à nostro Richard. quol. 1. q. 2. §. aliorum opinio. Quando sunt duæ opiniones, quarum una est magis remota ab uno pernicioso errore, quàm alia; magis declinandum est per illam quæ magis remota est ab errore, si potest ratio talis substentari, vel sustineri; sed opinio asserens, peccatum mortale non continere infinitam malitiam simpliciter in ratione offensæ; sed tantum secundum quid, est magis remota à pernicioso errore Iouiniani, & Stoicorum, qui asserebant omnia peccata esse æqualia, quàm opinio opposita; ergo declinandum est ad opinionem magis remotam. Neque dicant Aduersarij, errorem Stoicorum fuisse, quod peccata sint æqualia in ratione malitiæ; & in hoc sensu à Patribus damnari; non autem in ratione offensæ, & iniuriæ Dei; nam talis responsio apparet gratis ex cogitata;

cum

eum à Patribus Stoicorum error refellatur ex hoc capite; nempe quia dicebant, Deum æqualiter offendi quolibet peccato, qui est manifestus error, æquè siquidem offenderetur Deus per blasphemiam, idolatriam, & similia, ac per furtum, per fornicationem; & similia valde minus grauia, Profectò signanter D. Aug. & D. Hieron. ut inter alios notat Mastrius in hac quæst. in sensu mox explicato prædictum errorem impugnant, & damnant, Nam asserebant, omnia peccata habere æquale meritum, & æqualem dignitatem ad pœnam; ergo hæretici illi non solum contendebant omnia peccata esse paria, & æqualia in ratione malitiæ, sed etiam in ratione reatus ad pœnam, & per consequens in ratione offensæ, iniuriæ, ac demeriti; videantur Hieron. lib. 2. contra Iouinianum & D. Aug. Epist. 29. ad Hieron.

Cæterùm quod attinet ad alia indicata à Gonet pro fundamento suæ opinionis minus fundata apparent; sicut enim actus charitatis est in eliciente, & terminatiuè attingit Deum, velut obiectum; ita actus peccaminosus charitati oppositus est in eliciente effectiuè, & terminatiuè attingit Deum, cum oppositorum sit eadem disciplina, & oppositis opposita conueniant; ergo sicut actus charitatis non est in Deo tanquam in subiecto, nec ab eo participat infinitatem simpliciter in genere boni; nec peccatum est in Deo læso tanquam in subiecto; nec trahit, nisi talis contractio merè fingatur, infinitatem simpliciter; sed uterque actus ex æquo contrahit solam infinitatem secundum quid. Neque illud vulgatum proloquium: honor est in honorante &c. aliquid releuat; cum secundùm rationem honoris; & iniuriæ sit par ratio, & etiam iuxta moralem existimationem. Nam sicut honor est in honorante actiuè, & intrinsecè, extrinsecè verò, ac terminatiuè est illius, cui exhibetur, immò iuxta moralem æstimationem videtur etiam esse intrinsecè in persona honorata; ita offensa est in offendente actiuè, & intrinsecè, at extrinsecè, & terminatiuè est in persona dehonorata; & quodammodo iuxta existimationem videtur esse in persona offensa; igitur pari passu concurrunt, ac proinde euanescit ista infinitas contracta à subiecto, non enim Deus velut subiectum, in quo censetur moraliter subiectari offensa, tribuere potest pec-

cato infinitam malitiam ſimpliciter; alioquin in peccato reperirentur duæ malitiæ, altera moralis, prout eſt priuatio debitæ rectitudinis, & hæc finita, altera quatenùs eſt Dei offenſa, & hæc infinita, quod eſt manifeſtum abſurdum. Tum quia licet concederetur diſtingui in peccato has duas malitias, tamen nulla ratione altera dici poteſt infinita in genere offenſæ; quia Deus offenditur ſemper finito modo, ſicut finito modo diligitur.

Arg. cont. conc. Grauitas offenſæ creſcit iuxta menſuram dignitatis Perſonæ, ſed Deus eſt dignitatis infinitæ ſimpliciter, ergo peccatum in ratione offenſæ Dei eſt ſimpliciter infinitæ malitiæ: mai. patet &c Reſp. diſt. mai. Grauitas offenſæ creſcit &c. arithmeticè, neg. mai. geometricè, ideſt modo iam explicato in 2. notabili; conc. mai.

Contra arguit Gonet. Ideo Deus offenſus communicat offenſæ grauitatem ordinis ſuperioris, quia ipſe ſuperioris ordinis eſt; at non ſolum eſt dignitas ordinis ſuperioris, ſed etiam dignitatis ſimpliciter infinitæ, ergo offenſæ communicat Deus grauitatem ſimpliciter infinitam. Reſp. Quòd ſi hoc argumentum valeret; ſequeretur, quod Deus communicaret peccato malitiam infinitam intenſiuè; & conſequenter neceſſariò omnia peccata eſſent ęqualis grauitatis, & malitiæ, quod eſt error damnatus. Reſp. igitur conc. mai. & neg. min. Ratio eſt, quia actus habet ſpecificationem, & denominationem ab obiecto, unde ſi obiectum eſt inferioris ordinis etiam actus eſt inferioris, ſi ſuperioris ſuperioris ordinis; non autem habet tribuere actui aliquam rationem malitiæ infinitæ quia Deus offenſus eſt infinitum bonum; itaque dici etiam poteſt, quod ſicut actui tribuitur eſſe ordinis ſuperioris obiectiuè, & extrinſecè; ita tribuitur eſſe infinitum obiectiuè, & extrinſecè, ac proinde quædam infinitas ſecundum quid.

Contra ſi peccatum mortale non habet malitiam ſimpliciter infinitam, ergò finitè ſolum excedit peccatum veniale, ſed hoc eſt falſum, quia communis ſententia Theologorum docet, peccatum mortale excedere in infinitum peccatum veniale; ergo &c. Reſp. diſting. ſequelam: in genere moris; hoc eſt in malitia morali intrinſeca conc. quia in hoc proportionem habet, & ſolum excedit ſicut magnum excedit paruum, quando utrumque eſt finitum; in genere theo-

theologico; conc. Vnde dictum est supra ex Scoto, peccatum mortale, & veniale inter se differre genere theologico; non autem in genere moris.

Adde, quod, ut notat Tataret. quol. 5. non sequitur hoc excedit illud in infinitum, ergo est infinitum, quia est arguere à dicto secundum quid ad dictum simpliciter; sed oportet addere; hoc excedit illud in infinitum infinitè; quod tunc contingit, quando cum tali excessu concurrit etiam continentia formalis, vel virtualis perfectionum inferiorum, quæ excedit; quod non adest in proposito; alioquin sequeretur unum peccatum mortale continere nedum omnia peccata venialia, sed etiam omnia peccata mortalia inferiora, si tale peccatum esset simpliciter infinitum in genere malitiæ; immò tantam malitiam haberet unum peccatum mortale, quantam omnia simul, cum unum infinitum non sit altero maius.

Arg. 2. Peccatum mortale ex se, & ex malitia sua intrinseca inducit pœnam æternam; sed ex pœnæ infinitate arguitur culpæ infinitas; nam pœna commensurari debet culpæ; ergo cum pœna peccati mortalis sit infinita, etiam peccati malitia est infinita. Resp. ex Scoto in 3. d. 19. q. un. ad 3. & in 4. d. 50. q. 6. in fine, distinguendo mai. inducit pœnam æternam, seu infinitam extensiuè, conc. intensiuè neg. mai. iam modo sicut pœna est infinita tantum secundum quid; ita culpa est infinita tantum secundum quid. Insuper solet impugnari conc. à Thomistis argumento desumpto à satisfactione, & merito Christi, quod vide in disp. de merito Christi p. 3. sed quæres pro complemento responsionis ultimi argumenti: qua ratione peccatum mortale puniri debeat pœna infinita, an ex sui natura, ut prætendit arguens, an ex alio capite.

Resp. ex Scot. in 3. loc. cit. & in 4. q. cit. in fine, ubi docet, quod peccato mortali non correspondet pœna infinita, seu æterna ex propria natura, quia posset Deus absolutè loquendo peccato mortali infligere pœnam aliquam, quæ si tantum duraret per momentum, adhuc sufficienter peccatum puniretur. sed hoc prouenit ex ordinatione diuina sic iustè disponente. Etenim quia culpa, seu peccatum durat in obstinata damnatorum voluntate; ideo etiam pœna durat, teste D. Aug. de fide ad Petrum dicente. *Per-*

manente in eis iniustæ affectionis malo, permanet in eis iustæ retributionis damnatio Quod non est ita intelligendum; ideo damnatos æterna pœna puniri, quia postquàm sunt in inferno, hoc est in termino, actualiter demereantur: neque pariter quod actualiter puniantur ob illam malam voluntatem; quia, cum sint in termino, non amplius sunt in statu merendi, & demerendi. Sed debet intelligi in hoc sensu: nimirum, quia quando erant in via fuerunt in causa, ut quantum esset ex se in tali statu semper permanerent; ac proinde duratio illa æterna in peccato est voluntaria in causa, seu interpretatiuè; cum voluntariè mortui sint in tali statu, in quo pœnitentiam agere non possent; & sic proportione seruata pœna quoque est in æternum duratura; quam doctrinam explicat Doctor exemplo de Seruo proijciente se in foueam, è qua non possit nisi Domini auxilio exire; ita equidem se habet peccator, dum mortaliter peccat, cum sine Dei auxilio speciali non possit è profundissima fouea peccati, in quam se voluntariè præcipitauit, exire. Adde, ut supra indicatum est, peccatum mereri pœnam æternam, quatenùs est iniuria, offensa, vel contemptus saltem virtualis, & interpretatiuus infinitæ Deitatis. Quare sicut contrahit malitiam infinitam obiectiuè, hoc est, infinitam secundum quid; sic etiam meritò correspondet illi pœna infinita secundum quid, hoc est secundum durationem æternam, à qua Deus sua infinita pietate nos liberet; nobisque largiri dignetur, ne dum veram peccati cognitionem, sed etiam eiusdem fugam, & detestationem; sicque diuino auxilio suffulti ad æternam gloriam peruenire valeamus. Amen.

DISPVTATIO II.

De peccatis in particulari, seu capitalibus.

DIsputationi præcedenti præsentem disputationem de peccatis in particulari, adiungo; quia non nisi cum magna difficultate ex doctrina generali superiùs tradita peccatorum in particulari distincta notitia deduci potest. Verùm quia de Auaritia, Deo adiuuante, agetur in tract. de iustitia, & iure, de inuidia, & ira in disp. de vitijs charita-

ritati oppositis, de gula in disp. de ieiunio; idcirco hic solùm de Superbia, Luxuria, & Accidia ex professo agere intendo; & de cæteris eorum tantum naturam indicare; nec non filias &c.

QVÆSTIO I.

De Superbia, ac eius filiabus.

NOt. 1. Quod peccata capitalia sunt numero septem, nempe Superbia, Auaritia, Luxuria, Gula, Ira, Inuidia, & Accidia; & dicuntur capitalia; seu vulgò mortalia; quia sunt velut capita, & fontes, unde cætera omnia peccata deriuantur; cum unum quodq; habeat sub se plures filias, seu species. At inter ista septem primum locum tenet superbia, quia, teste D. Aug. lib. 14. de Ciuitate Dei est caput omnium vitiorum, vel quia est principium omnium peccatorum; vel quia, ut explicat Alexander de Ariostis minorita in sum. Confessorum, in omni peccato contemptus Dei, qui ex superbia venit, reperitur. Superbia autem sic definitur passim à Doctoribus: est appetitus inordinatus, & peruersus propriæ excellentiæ, quam si quis appetat manifestare exteriùs fit vanagloria. Vnde Alens. p. 3. in tract. de superbia art. 1. q. 1. ait. *Superbus ab intra sibi magnus apparet seu vanagloriosus ab extra in ore aliorum laudem appetit.* Talis autem appetitus fit inordinatus dupliciter, primò ex parte rei, dum quis appetit excellentiam, aut honorem de eo, quod non existit, seu non habet, vel non est honore dignum; sic multi appetunt excellere in vitijs, & peccatis, etiam in ijs sæpe iactantes. Secundò fit inordinatus ex parte eorum, apud quos excellere, & laudari quis appetit; ut si quis apud Rusticos gloriam quærit, quod sit doctus Theologus. Tertiò ex eo, quod gloriam, & excellentiam non referat in debitum finem, & in honorem Dei; aut in salutem proximi: verùm, ut infra dicetur, tales inordinationes constituunt tantum culpam venialem.

Not. 2. quod iuxta D. Greg. Alens. & D. Thomam quatuor sunt species superbiæ, quarum prima est, dum quis bonum, quod habet, à se ipso habere putat: secunda dum

quis suis meritis accepisse existimat: tertia quando quis sibi arrogat bona, quæ non habet: quarta denique dum ob bona, quæ habet cæteros despicit, qui illa non habent; quę species omnes ad vanagloriam transferri videntur; si earum appetitur manifestatio. Vnde Doct. passim enumerant decem filias vanagloriæ; & sunt iactantia, nouitatum inuentio, hypocrisis, pertinacia, discordia, contentio, inobedientia, curiositas, ambitio, & præsumptio; de quibus infra in sequenti quæstione.

I. Concl. Superbia, & vanagloria tunc sunt mortale peccatum, quando propria excellentia, vel eius manifestatio appetitur cum contemptu subiectionis ad Deum superiorem, qua talem, vel ad ipsam legem. Insuper quando hoc fit cum notabili irreuerentia erga Deum, vel legem ipsius Dei; vel cum graui damno proximi; nec non dum id appetitur de peccato mortali, vel in ordine ad mortale. Deinde quis mortaliter peccat, quando falsò sinit laudari, sciens inde secuturum graue damnum proximi; ut si valde imperitus Doctor se multum permittit laudari; ex quo fieri potest, quod alij non accedant ad Doct. peritos pro suis necessitatibus, & infirmitatibus. Denique peccat quis mortaliter, dum in excellentia propria ultimum finem constituit. Cæterum communiter sunt tantum peccata venialia: ita passim Doctores. Addo cum Petro Marchant. t. 2. tract. 2. tit. 3. sect. 1. q. 3. hanc regulam generalem. Quicunque eò dementiæ venit, ut bona, quæ habet, vel se habere putat à se, & non à Deo habere velit: vel si à Deo suis tamen meritis, & ex debito adequatæ iustitiæ, Superbiæ grauissimo peccato mortali obnoxius est, si deliberato, & pleno actu voluntatis consentiat.

II. Concl. Quandoque bono fine homo appetere potest laudem, siue manifestationem alicuius excellentiæ: idque dupliciter, ut ex communi docet Marchant. loc. cit. Primò ad vitandum aliquam infamiam, vel reparandam minorem æstimationem, quam homines habent de se, forte ex aliqua detractione, vel ingesta mala suspicione, & hic finis vanus non est: immò non solum potest homo ob talium finem se laudare, sed etiam quandoque tenetur ad reintegrandam, aut conseruandam necessariam famam suam. Hoc modo Samuel coram populo primò Reg. c. 12. se laudabat, &

Sap-

Sancti frequenter hoc fecerunt. Secundò. Propter gloriam Dei, & utilitatem aliquam ſpiritualem ad ædificationem proximorum: ſic Paulus, & Barnabas narrabant magnalia Dei, quæ per illorum manus Deus operari dignitatus erat inter Gentes. Act. 19. & hic finis pariter non eſt vanus, ſed meritorius per eandem rationem allegatam. Quod ſi finis appetendæ laudis, & gloriæ ſit lucrum quoddam, vel commodum inordinatum, ſiue aliquid aliud, ex quo peccatum mortale redundat, erit appetitus mortaliter inordinatus. Exemplum dat Marchant. de Phariſæis; qui comedebant domos Viduarum, ſimulantes longas orationes, & alia per hypocriſim faciebant, de quibus Matt. c. 23. & hoc fine vanam gloriam appetere peccatum mortale eſt: ita Marchant. qui ob pleniorem notitiam ſubdit ſequentes regulas.

Prima eſt. Quicunque ex ſuperbia pretendit ſingularem in ſe ſolo excellentiam, aut bonum ſe habere cum aliquo aliorum deſpectu; ſi in grauem honoris Dei iniuriam, aut deſpectum, aut detrimentum alicuius tertij hæc ſingularitas vergat, eſt mortale peccatum; ſin verò deſpectus ſit leuis, veniale peccatum. Secunda. Quicunque vult æſtimari habere bonum, & excellentiam, quam non habet, ſi inde nullum naſcatur graue detrimentum tertio, aut iniuria honoris Dei ex ſe tantum eſt peccatum veniale; quod ſi inde aliquod graue detrimentum oriatur eſt peccatum mortale; e. g. aliquis vult haberi doctus Theologus, Prædicator, Confeſſarius, peritus Medicus. Iuriſconſultus, Aduocatus, quæ tamen dona non habet; etſi in hoc ſiſtat; ita quod ad nullam functionem, ſeu actionem ſe applicet, eſt tantùm peccatum veniale: ſecùs autem ſi inde ambit cathedras, dignitates, confeſſionale, officium publicum Medici, Aduocati &c. tunc enim eſt peccatum mortale, & tenetur ad damna tertij, ſi quæ ei intulerit. Exemplum primæ regulæ. Aliquis vult ſingularis apparere in ſapientia, doctrina &c. quaſi ipſi ſoli ſuper alios debeatur. Si ex hoc aliorum Doctorum, & ſapientum doctrina grauiter deſpiciatur, peccat mortaliter. Vbi verò appetitus ille ſingularitatis nemini grauiter nocet, genus quoddam vanitatis, & dementiæ eſt, ac per ſe tantum veniale. Vnde ſuperbia ex ſuo genere eſt peccatum mortale;

quia, ut superiùs tactum est, in hoc consistit, quod homo ita inordinatè appetit excellentiam propriam, quod non vult subdi Deo, & regulæ, seu legi eius.

QVÆSTIO II.

De Filiabus Vanagloriæ.

NOt. Quòd, ut supra indicauimus, decem sunt filiæ Vanagloriæ. Prima est iactantia, & nil aliud est, quàm propriæ laudis ostentatio, etiamsi subsit veritas, & distinguitur ab arrogantia, quæ est falsa laus, cum sibi attribuit, quod non habet; ita Alexander de Ariostis in sum. Vnde D. Greg. lib. 21. moral. non enumerat superbiam inter septem capitalia, sed super omnia eam velut Reginam constituit, & inanem gloriam inter capitalia primo loco ponit; cui conuenienter assignantur recensitæ filiæ sic. Illa vitia, quæ de se nata sunt ordinari ad finem alicuius vitij capitalis dicuntur eius filiæ, seu rami; & non species, quia etiam vitia diuersi generis ad illa ordinantur: finis autem inanis gloriæ est manifestatio propriæ excellentiæ, ad quod potest homo tendere dupliciter, primò directè, siue per verba, siue per facta. Si per verba, vel hoc fit per verba simpliciter prolata in laudem propriam, & sic est iactantia; vel per verba habentia aliquam admirationem, & sic est præsumptio nouitatum. Si per facta, & sic est hypocrisis. Alio modo indirectè ostendendo se non esse alio minorem, & hoc quatuor modis: 1. quoad intellectum, & sic est pertinacia, per quam homo nimis innititur propriæ sententiæ, nolens cedere sententiæ meliori: 2. quoad voluntatem, & sic est discordia, dum non vult quis à propria voluntate recedere, ut alijs consonet: 3. quoad locutionem, & sic est contentio, dum quis contra alium clamorosè litigat: 4. quoad factum, & sic est inobedientia, dum quis renuit exequi Superioris præceptum.

I. Concl. Peccatum inanis gloriæ non est ex genere suo mortale; potest tamen esse mortale ex conditione materiæ, & etiam operantis. Hæc videtur communis, licet nonnulli oppositum sentiant. Prob. quia hoc peccatum quantum est ex se charitati quoad dilectionem proximi nõ repugnat

fal-

ſaltem grauiter. Verùm quoad dilectionem Dei poteſt charitati repugnare dupliciter, & ſic euadere peccatum mortale: primò ratione materiæ, de qua quis gloriatur; puta cum quis gloriatur de aliquo falſo, quod contrariatur diuinæ reuerentiæ iuxta illud Ezech. 28. *Eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti Deus ego ſum*: & illud 1. ad Corint. *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem &c.* Vel etiam de bono temporali gloriatur illud Deo præferendo; quod prohibetur Hierem. 9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua &c.* aut quando quis præfert teſtimonium hominis teſtimonio Dei, contra quos ait Ioan. 12. *Qui dilexerunt magis gloriam hominis, quàm Dei*. Alio modo ex conditione gloriantis, qui intentionem ſuam refert ad gloriam propriam, tanquàm ad finem vltimum, ad quem ordinat virtutis opera, & pro quo conſequendo non prætermittit etiam facere ea, quæ ſunt contra Deum.

II. Concl. Qui ſe iactat de vitijs, & peccatis perpetratis; ſi in tali iactantia intermiſceatur deſiderium, debet in confeſſione neceſſariò exprimere ſpeciem peccati; ſi autem ſolùm adſit peccatum iactantiæ nudæ v. g. de adulterio, fornicatione &c. ſatis probabile apparet iuxta Tamburinum lib. 2. methodo conf. cap. 7. §. 3. non eſſe neceſſarium tales ſpecies declarare, ſed ſufficere ſi dicatur, toties iactaui me de peccato mortali: modo abſit gaudium, delectatio, & deſiderium commiſſi peccati. Ratio Tamb. eſt, quia tota malitia iactantiæ conſiſtit in eo, quod offenſa Dei eligatur, ut medium ad captandam gloriam apud homines, quæ magna irreuerentia æquè in omnibus peccatis mortalibus reperitur, vel, ſi quid aggrauat peccatum, non videtur eius malitiam in aliam ſpeciem transferre; idque ait, ſiue peccata, de quibus gloriaris, commiſeris, ſiue non; ita etiam ſentiunt Diana p. 11. tract. 7. Leander, Caſtropalao, & Lugo contra Pontium.

Cæterùm. Si, dum quis ſe iactat de aliquo peccato, alios ad peccatum inducit, tenetur explicare ut peccatum ſcandali ſpeciem. Similiter qui alterum præſentem de certo peccato laudat, debet in confeſſione exprimere ſpeciem peccati, quia excitat talem ad gaudendum de commiſſo peccato.

Quæres 1. An inuentio nouitatum, ut nouarum epularum, veſtium, ludorum &c. ſit peccatum mortale.

Resp. Si huiusmodi inuentio nouitatum ordinetur in finem mortaliter malum certum est, esse peccatum mortale; pariter si cedat in notabile detrimentum cultus diuini, vel boni publici, aut priuati; ut si notabiliter corrumpat iuuentutem, aut mores: item si in iis constituatur ultimus finis. Ex qua responsione rectè infertur, quod culpam mortalem incurrit mulier, quæ ita allicitur curioso ornatui; ut potiùs sit parata transgredi præceptum grauiter obligans, quàm ab eodem desistere; sic pariter illa, quæ per similem ornatum intendit aliquem allicere ad carnalem concupiscentiam. Verùm non peccat mulier simpliciter loquendo, si se ornat iuxta suum statum, & Patriæ consuetudinem, dummodò id non malo fine fiat.

Dubium tamen est, an si notabiliter modum excedat, mortaliter peccet. Et quidem Doctores antiquiores, ut Alens. & alij de hac rigorosè locuti sunt. Modernorum autem Doctorum alij nimis latè loqui videntur, dum dicunt; fœminam non peccare mortaliter excedendo notabiliter modum; immò, etsi ostendant pectus nudum, mamillas discoopertas, ut inde pulchriores appareant absque alia intentione mortaliter mala; quia id nullo iure naturali, Diuino, aut humano vetatur ita rigorosè, ut ad mortale obliget. Eò vel maximè, quod illa pars corporis inter honestas habetur, nec natura, aut pudor humanus absolutè postulet illam tegi. Quare si quis inde occasionem capiat mortaliter peccandi, suæ malitiæ imputet, non fœminę. Ita Caiet. Nauar. & plures alij, præsertim Recentiores, quos videre est apud Dianam part. 10. tract. 12. res. 30.

Attamen alij agnoscunt peccatum mortale in tali excessu modestiæ christianæ valde repugnanti; inter quos est Petrus Marchant. qui tom. 3. Tribunal tract. 2. tit. 2. res. 3. §. 1. De pompa Diaboli regula prima sic habet. Quandocunque forma, vel figura vestimenti, siue ornatus obiectiuè iuxta ordinariam hominum infirmitatem est excitatiua in alio libidinis, & concupiscentiæ carnis, illis vestibus, vel ornamentis uti, ex natura sua est peccatum mortale; quam quidem regulam late, & eruditè probat, tum S. Scrip. tum SS. Patrum auctoritatibus. Tunc autem censetur excitatiua libidinis, quando, ut idem Doctor explicat, nuditas aliqua magna apparet, ut est videre in illis,

quæ pectus apertum gerunt, etiam mamillis ex parte discoopertis. Item quando, etsi non sit plena nuditas apparentior tamen caro redditur delicatulo, & transparente lino. Vnde & in Isaia Thetristra cum aliis vestibus damnantur; Thetristra autem sunt transparentes, & perlucidæ vestes, quæ non tam nuditatem tegunt, quàm curiosius patere membra corporis faciunt. Denique huc referenda sunt, quę siue ex positione, siue ex modo, libidinis alterius speciem immitunt, ut de viris, qui ita strictas vestes gerunt, ut partes etiam verecundæ, si non discoopertæ, secundum tamen aliquam apparentiam pandantur: dicitur iuxta ordinariam hominum infirmitatem, idest iuxta communem hominum sensum, communemque naturæ fragilis inclinationem; ut excludatur singularis personæ tentatæ, vel afflictæ miseria, quæ omnia sibi mala fingit, omnia interpretatur in malum, & proprio tantùm phantasia ruit. Neque enim homines tenentur ab ordinarijs abstinere propter extraordinarias aliquorum phantasias; & ut euincantur communis mundanorum excusationes, quibus dicunt, se malum non intendere, se libertate sua uti: hactenùs Marchant. qui pluribus scripturæ locis, & Patrrum sententijs adductis rem latè ostendit. Et Albertus de Albertis docet Principes laicos, & Episcopos sub peccato mortali teneri talem consuetudinem extirpare, & tales fœminas esse à Sacra Synaxi repellendas. Insuper apud omnes pro indubitato habetur, quod mortalem culpam incurrant illæ, quæ primò similem consuetudinem introducunt, quia ubi id est insolitum, ibi est magis periculosum.

Quæres 2. An hypocrisis sit semper peccatum.

Resp. Quod hypocrisis tertia filia vanægloriæ est simulatio virtutis, seu Sanctitatis, quam quis non habet; & semper est peccatum, quia semper est mendacium; Verùm ad discernendum quando sit peccatum mortale oportet afferre doctrinam D. Thomæ, & D. Bonau. Igitur docet D. Thomas, quod in hypocrisi duo sunt, nempe defectus sanctitatis, & simulatio ipsius. Si ergo hypocrita dicatur ille, cuius intentio fertur ad utrumque; ut scilicet aliquis non curet sanctitatem habere, sed solum sanctus apparere, sicut consueuit accipi in S. Scrip. sic manifestum est, quod est peccatum mortale, quia intus malus esse vult, & foris ap-

pa-

parere bonus. Si autem dicatur hypocrita ille, qui intendit simulare sanctitatem, à qua deficit per peccatum mortale; tunc quàmuis sit in peccato mortali, ex quo priuatur sanctitate: non tamen semper ipsa simulatio est ei peccatum mortale, sed quandoque vaniale, quod discernendum est ex fine, qui si repugnat charitati Dei, vel proximi, erit peccatum mortale, puta cum simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam seminet, vel ut adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem indignus; vel quæcunque alia temporalia bona, in quibus finem constituit. Si verò finis intentus non repugnet charitati, erit peccatum veniale; puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur, de quo dicitur 4. Ethic. quod magis videtur vanus, quàm malus; eadem enim ratio est de mendacio, & simulatione. Contingit tamen quandoque quod aliquis simulat perfectionem sanctitatis, quæ non est de salutis necessitate; & talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali: est tamen peccatum mortale ex genere ita Angelicus Doctor; & eandem ferè doctrinam docet Doctor Seraphicus.

Quæres 3. Quando contingat cæteras filias esse mortaliter peccaminosas. Resp. Pertinacia mortalis est, quando in rebus fidei, vel bonos mores spectantibus quis pertinax perseueret contra auctoritatem Ecclesiæ, vel in notabile proximi damnum; secùs venialis tantum in rebus leuioris momenti; Idem dicendum de discordia, & contentione. Inobedientia est mortale peccatum quando quis non vult subdi præcepto superioris iusta præcipientis animo illum obligandi ad mortale. Curiositas, quæ est inordinatus appetitus sciendi, est mortalis; primò dum appetit scire id, quod sub mortali prohibitum est, ut velle scire, seu audire, quæ dicuntur in confessione, & similia. Secundò si res, quam scire appetit, sit valde noxia; ut si quis cùm periculo proximo grauis lapsus, in peccatum nimirum mortale legat librum nimis inhonestum. Tertiò dum quis ab altero scire vult, quod hic sine mortali reuelare non potest; ut si alter tacere tenetur ratione iuramenti &c. vel medijs illicitis, puta ope Dæmonis; seclusis igitur talibus grauibus circumstantijs non est ex suo genere mortalis.

Ambitio, quæ est appetitus inordinatus dignitatum, ac bonorum, ex suo genere est tantum peccatum veniale: morta-

tale tamen fiet, si quis appetat dignitatem cum notabili Reipublicæ damno, vel ad maiorem peccandi licentiam; ut si quis ambiat beneficium, vel officium, quo est indignus; vel si prauis medijs, estò sit dignus, aut cum iniuria tertij quis aspiret ad honores, & dignitates. Vnde Religiosus, etsi alijs dignior peccat mortaliter, si prauis medijs assequi studeat dignitates; secùs autem si iustè, & honeste ambiat; tunc enim non est dicendus ambitiosus. quia etiam Religiosus idoneus in Religione habet aliquale ius ad dignitates, quæ iuxta iustitiam distributiuam conferri debent, & non iuxta genium, & affectum; ac proinde si talis minùs dignis postponatur, fit ei iniuria.

Præsumptio tandem quæ est appetitus ostendendi se illustrem per opera, quæ vires suas superant, est mortalis, dum cedit in notabile periculum vitæ propriæ, vel in graue damnum temporale, aut spirituale proximi; puta si quis ignarus artis medicæ ægrotos assumat sanandos; & similia, secùs autem est tantùm veniale ex suo genere.

QVÆSTIO III.

Vtrum Auaritia sit peccatum mortale.

NOt. quod auaritia est inordinatus appetitus bonorum temporalium, quæ nomine diuitiarum, & pecuniarum veniunt. Potest autem auaritia considerari dupliciter, vel prout opponitur iustitiæ, & tunc est inordinatus appetitus accipiendi, & retinendi iniustè bona aliena: vel prout opponitur liberalitati; & sic importat amorem, seu affectum inordinatum; puta cum quis nimis amat, vel desiderat diuitias, aut nimis delectatur in eis, estò aliena rapere nolit, cui per excessum opponitur prodigalitas, quæ consistit in excessu elargiendi sua bona, seu diuitias. Filiæ auaritiæ, quatenus est peccatum contra iustitiam sunt septem. Prima est fraus, quæ est deceptio per factum quoad res; & ut plurimùm committitur in contractibus: 2. est fallacia, quæ est deceptio per verba: 3. est proditio, estque dolus, qui committitur in opere contra personas; sic Iudas Christum prodidit; vel etiam circa rem; si quis manifestet modum capiendi urbem; si secretum sibi commissum

alijs reuelet, vel aliorum Epiſtolas aperiat, & legat; quæ duo ultima ſunt peccata grauia, vel leuia, prout ſecretum commiſſum, vel in litteris contentum fuerit magni, vel parui momenti: 4. eſt uſura: 5. eſt Simonia: 6. Periurium: 7. violentia, quæ omnes ſunt peccata mortalia, ut ſuo loco oſtendetur, ex ſuo genere; à quo tamen plerumque actus indeliberatus, vel paruitas materiæ, ubi dari poteſt, excuſat. Auaritia autem quatenus opponitur liberalitati habet duas filias, nempe inquietitudinem, ſeu immoderatam ſollicitudinem in diuitijs augendis, aut retinendis, & obdurationem, qua cor Auari redditur durum erga pauperes. *Auarus enim non impletur pecunia* dicit Eccleſiaſt. cap. 7.

Concl. Auaritia, prout opponitur iuſtitiæ, ex genere ſuo eſt mortalis, ita communis ſententia; prout autem opponitur liberalitati, eſt veniale ex genere ſuo. Prob. 1. pars. Ea, quæ ſunt ad finem neceſſe eſt commenſurari fini, ſicut medicina ſanitati, teſte Ariſt. 1. Politicorum; ſed ſic eſt quod bona exteriora habent rationem utilis ad finem: ideo non ſunt optanda niſi ſecundùm menſuram, prout videlicet ſunt neceſſaria ad vitam, ergo dum quis immoderatè, & iniuſtè vult ea acquirere, vel retinere peccat ex ſuo genere mortaliter. Si autem immoderatè amat diuitias abſque alterius iniuſtitia, & eſt nimis ſolicitus in illis conſeruandis, & acquirendis, peccat tantum venialiter. Fit tamen mortale per accidens; puta ſi diuitijs ita afficiatur, ut nolit ſubuenire neceſſitati pauperum, quod repugnat charitati proximi. Item ſi ob earum inordinatum amorem, & appetitum quis ſe exponat probabili periculo mortis, ſiue temporalis, ſiue ſpiritualis; vel omittat aliquid, ad quod tenetur ſub peccato mortali, vel aliquid faciat, quod ſub mortali prohibetur.

Ex dictis patet quod Auaritia eſt peccatum capitale, quia ex ea natar ſunt oriri multa vitia ſecundùm rationem finis. Diuitiæ ſiquidem, quas appetit auaritia, maxime promittunt ſufficientiam, ut dicit Boetius lib. 3. de conſolat; cuius ratio eſt, quia, ut ait Ariſt. 5. Eth. denario utimur, quaſi fideiuſsore ad habendum omnia; & ſapiens dicit, quod pecuniæ obediunt omnia; ac proinde eſt peccatum capitale, cuius filias enumerauimus ſupra. Vide tract. de iuſt. & iure, ubi agitur de auaritia prout opponitur Iuſtitiæ.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De luxuria.

LVxuria est adeò vitiorum fæcunda, ut præsentem quæstionem necesse sit in plures articulos secare: sic enim fiet, quod distinctè, & clarè tradatur eius notitia, explicentur eius filiæ; atque species, & insuper ea, quæ sunt illi affinia, seu annexa; sit igitur.

ARTICVLVS I.

Vtrum luxuria sit peccatum mortale, nec non capitale?

NOt. 1. Quòd sub nomine luxuriæ comprehenduntur omnes impudicitiæ carnalis, & libidinosæ concupiscentiæ vetitæ à lege diuina in præceptis Decalogi, præcepto sexto, quo prohibetur Mechia. Non mæchaberis: Mechia autem in rigore significat adulterium; attamen nomine Mechiæ, ut docet D. Aug. & Ecclesia ipsa, intelligitur omnis illicitus concubitus, omnisque impudicitia. Luxuria definitur communiter sic: est libidinosæ voluptatis inordinatus appetitus; seu venereorum delectatio. Talis autem delectatio est maxima, & maximè appetibilis secundùm appetitum sensitiuum, nisi à ratione reguletur, & moderetur; alioquin perturbat ipsam rationem, & per ipsam deordinantur vires superiores, nempe ratio, & voluntas, ex eò quòd voluntas nimis condescendit appetitui sensitiuo vehementer tendenti in obiectum delectabile. Sunt autem quatuor actus rationis in agendis. Primus est intelligentia finis, quæ impeditur per luxuriam iuxta illud Daniel. c. 13. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum*; & sic ponitur cæcitas mentis, quæ est dissipatio dulcedinis Dei, per quam respuit homo bona spiritualia, & affectat carnalia; ita Alex. de Ariostis: 2. est consilium de agendis propter finem, quod etiam impeditur à luxuria: unde Terent. ait de amore libidinoso. Quæ res in se neque consilium, neque modum habet; & quoad hoc ponitur præcipitatio, quæ indicat consilij subtractionem. 3. est iudicium de agendis, quod pariter impeditur per luxuriam

iuxta illud Dan. 13. de senibus impudicis. *Auertunt sensum, ut non recordentur iudiciorum iustorum*, & quoad hoc ponitur inconsideratio: 4. est præceptum rationis de eo, quod est agendum; & luxuria retrahit hominem, ne exequatur id, quod decreuit esse faciendnm; & quoad hoc ponitur inconstantia mentis. Ex parte autem voluntatis consequitur duplex actus inordinatus, unus est appetitus finis, & quantum ad hoc ponitur amor sui, quatenus videlicet tendit ad propriam delectationem, & per oppositum ponitur odium Dei interpretatiuè, vel formaliter, quatenus prohibet talem delectationem. Alius est appetitus eorum, quæ sunt ad finem, & quantùm ad hoc ponitur affectus præsentis sæculi, in quo vult quis frui voluptate; & ex opposito ponitur desperatio futuri sæculi, quia, dum quis adhæret carnalibus delectationibus, non curat peruenire ad spiritualės; sed fastidit eas; & sic habetur, filias luxuriæ esse numerò acto; & sunt. Cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentiarum, horror, & desperatio futurorum. Præter has filias, quæ internæ sunt, ponit D. Isidorus quatuor alias externas; nempe Turpiloquia, Scurrillia, Lubrica, & Stultiloquia.

Not. 2. quod luxuria veluti genus delectationem venereorum habet sub se plures species; & passim septem numerantur, nempe fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, vitium contra naturam, & concubitus sacrilegus, seu Sacrilegium in materia libidinis; quibus addunt nonnulli impudicitiam; qua significare intendunt delectationem morosam in re venerea, turpes motus carnis, oscula, aspectus, tactus & c. de quibus omnibus sufficientem notitiam debet habere quilibet Confessarius. Aduertit tamen Herincx p. 3, disp. 2. de temperantia q. 3. quod propriè sola fornicatio, & vitium contra naturam sunt species distinctæ in genere luxuriæ; cætera namque conueniunt quantum ad malitiam luxuriæ cum simplici fornicatione; cui supperaddunt singula malitiam specialem extra genus luxuriæ: adulterium quidem malitiam iniustitiæ respectu coniugis, & sic cupula supponens in utroque, vel alterutro vinculum coniugij: Incestus malitiam contra pietatem debitam sanguine iunctis; stuprum malitiam violen-

tæ

tæ oppressionis Virginis, quod est contra iustitiam; sicut & raptus, qui est iniuriosa abductio fœminæ.

Concl. Luxuria est peccatum capitale ex suo genere mortale, adeout non detur in ea paruitas materiæ; ac proinde semper est peccatum mortale; nisi ex indeliberatione actus euadat veniale. Prima pars patet quia cum à luxuria oriantur multa mala, seu vitia, rectè dicitur peccatum capitale; 2. pars videtur esse communis sententia; immò oppositum asserere apparet esse damnatum ab Alexand. VII. cum propositio 40. damnata sic loquatur. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis*; de qua infra erit sermo.

Prob. ratione. Omnis delectatio venerea, seu libidinosa iuxta Galenum est inchoatio quædam pollutionis; sed certum est, quod omnis actus pollutionis est mortalis, ergo etiam quæcunque delectatio talis. Prob. ratione à priori. Ideo in iuramento assertorio, in simonia iuris D. non datur paruitas materiæ, quia nequit concipi etiam minima actio, quæ non includat totam rationem malitiæ, periurij, & Simoniæ; sed sic est, quod etiam in materia luxuriæ non potest concipi aliqua leuis actio libidinosa, & venerea, in qua non includatur tota ratio malitiæ libidinosæ: Sanè eo ipso, quod quis intendit libidinosam delectationem, e. g. osculi; etiam sine periculo ulterioris consensus, contrahit totam ratione malitiæ libidinosæ; ergo non datur paruitas materiæ, tum ratione periculi; tum etiam in se.

Arg. 1 Quilibet potest licitè uti, quod suum est, sed in actu luxuriæ homo utitur eo, quod suum est, ergo &c.

Resp. disting. mai. ordinatè, conc. mai. inordinatè, neg. mai. Iam modò inordinate homo utitur suo corpore, & membris in luxuria; immo homo non est dominus sui corporis, sed Dus; unde homo habet solummodo usum sui corporis; idquè ordinatè, & conformiter ad leges naturales, & diuinas.

Arg. 2. Tangere res molles, suaues, & temperatas propter delectationem inde naturaliter resultantem non est mortale, ergo nec tangere carnes alienas secluso alio fine, & periculo. Resp. disting. ant. Tangere &c. ob delecta-

tio-

tionem puræ naturalem inde resultantem ex obiecto conuenienti cum potentia, puta visiua, auditiua, & etiam tactiua, conc. ant. ob delectationem naturalem, quæ transit in uitiosam, & libidinosam, neg. quę distinctio, & doctrina explicabitur in sequenti quæstione; ideo sit.

ARTICVLVS II.

De motibus Carnis, osculis. Tactibus, & aspectibus.

NOt. 1. Quòd delectatio generatim sumpta potest sic definiri: est appetitus quies, & complacentia in bono possesso. Delectatio autem, ut eleganter tradit Petrus Marchant. tom. 1. Tribunal. alia est sensitiua, seu corporalis, alia spiritualis; prior est in appetitu sensitiuo, & de bono sensibili, & nil aliud est, quàm appetitus sensitiui quies in bono, quod conueniens sibi apprehendit; & hæc insurgit ex aliqua titillatione, & quadam iucunda, seu sensibili affectione carnis, ut de suauitate cibi, & potus, de iucundo auribus sono, de colore oculo grato &c. Posterior est quæ in appetitu intellectiuo, & de bono intelligibili, seu secundùm intellectum originem ducit. Rursus delectatio alia est purè naturalis, alia voluntaria; prima est quælibet vis, seu potentia naturalis, quæ in obiecto, tibi conuenienti complaceat, ut intellectus in vero, voluntas in bono, auditus in sonis &c. Secunda est, quæ apprehensionem rationis, & iudicium, imperiumque voluntatis, sequitur, respicitque rationem, & voluntatem, prout ab illis dirrigibilis. Delectatio purè naturalis, seu quà naturalis est indifferens ad bonitatem, vel malitiam moralem. Similiter delectatio in potentijs spiritualibus duplex est, alia naturalis, quæ ex connexione naturali, & ordine potentiarum sensitiuarum, & intellectiuarum oritur naturaliter. Ex eo enim quòd sensitiua apprehendat obiectum sibi delectabile, & appetitus sensitiuus in eo sibi complaceat, intellectus etiam apprehendit, ut sensui conueniens, & voluntas ex amore proprio, quem habet ad corpus, etiam delectatur. Alia est delectatio rationalis, & libera, quæ sequitur iudicium, & apprehensionem rationis, & imperium voluntatis liberè operantis: ex eo enim, quòd intellectus, &

ra-

ratio proponat voluntati delectationem in appetitu sensitiuo excitatam, ut licitam, & prosequendam, vel illicitam, & fugiendam, voluntas delectationem liberè, vel eligit, eique consentit, vel refugit, & liberè ab ea dissentit.

Not. 2. Quod sensualitas dupliciter potest considerari: in se, & simpliciter, prout continet potentias sensitiuas, tam internas, quam externas, ipsumque appetitum sensitiuum; quo modo reperitur in Amentibus, infantibus &c. & sic est communis hominibus, & brutis: 2. respectiuè, ut est à ratione ordinabilis; & aliquo modo ei subiecta, seu ut est humana. Insuper in Anima quoad hanc materiam tres motus reperiuntur; nempe naturalis; quem naturalium qualitatum dispositio gignit, seu qui ex iuribus Animæ naturalibus procedit, quales sunt fames, sitis, & actus animæ vegetatiuæ, & generatiuæ, & generaliter appetitus cuiusuis delectabilis in natura; alius sensitiuus, & est, qui ex apprehensione imaginatiuæ appetitum sensitiuum sequitur; & iste competit sensualitati prout per rationem est dirrigibilis. Tertius denique est motus rationalis; & est, qui à ratione procedit, ut deliberatio in intellectu, delectatio, vel consensus à voluntate elicitus, vel imperatus.

Not. 3. Quod Theologi distinguunt motus, in primò primos, & secundò primos. Motus primò primi; ut etiam in tract. de actibus human. dictum est, dicuntur illi, qui omnem rationis usum antecedunt, & iuxta Marchant. non solùm in sensualitate, prout natura est, reperiuntur, sed etiam in parte rationali, ut natura est, non ut libera; nam delectatio, quæ insurgit in sensualitate ob connexionem cum parte rationali, redundat etiam in ipsam, ut subita cogitatio mala, subita inclinatio voluntatis; vel auersio, ut natura est. Motus verò secundò primi dicuntur illi, qui consequuntur quidem aliquam rationis aduertentiam, & usum; sed non perfectam, & iudicium rationis deliberatum. Tales sunt delectationes in sensualitate, seu in appetitu sensitiuo, quatenus ad partem rationalem, idest intellectum, & voluntatem transmittuntur, & ipsa voluntas aliquo modo circa illa occupatur, antequam perfectè iudicet, & deliberet; in primis motibus nullum est peccatum; in secundis est tantum peccatum veniale, nisi accedat consensus deliberatus, vel interpretatiuus; ut in dele-

ctatione morosa, non quidem morosa morositate temporis, sed morositate consensus.

I. Concl. Motus carnis, seu sensualitatis, nec à voluntate excitati, nec aliqua ratione intenti, non sunt culpa mortalis ratione causæ datæ; si hæc sit ex se tantùm leuis: hæc videtur communis; adeout Vasquez in 1. 2. disp. 108. dixerit, de hoc hactenùs non fuisse controuersiam, & certè aliàs vix quidquam aspicere, loqui, audire, tangere &c. possemus sine periculo peccati mortalis; cum igitur huiusmodi motus facillimè soleant insurgere; ut sint, seu censeantur mortales, videtur requiri maius voluntarium, quàm sit id, quod solum est aliquo modo voluntarium in causa venialiter mala. Verùm motus carnis venerei, si à voluntate excitentur, vel ijs aliunde excitatis, voluntas consentiat cum plena aduertentia, & deliberatione, sunt peccatum mortale: quod ex dictis liquidò patet;

II. Concl Quando voluntas deliberatè consentit in aliquam delectationem de re illicita ex natura sua in materia mortali, quibuscunque conditionibus, vel circumstantijs honestis se muniat, si conditiones, & circumstantiæ in re actu non ponantur, peccat mortaliter. Ita Marchant. t.1. tribunal. ex communi docet: quam sic explicat, & simul probat. Delectatur quis deliberatè, & actualiter in concubitu cogitato cum uxore aliena, immò & cum soluta, posita conditione, si esset sua uxor; cum modò non sit sua uxor, peccat mortaliter. Ratio est quia conditio, vel circumstantia apposita, cum non sit de inesse, est planè impertinens ad hanc delectationem in præsenti, quæ est per se deformis. Vnde conditiones tantùm speculatiuè malum auferre videntur, cum res ipsa practicè sit in se mala. Et sic in uniuersum dicendum existimo de istis conditionibus, & circumstantijs, quæ in speculatione proponuntur tanquam futuræ, aut possibiles ad actum, qui hic, & nunc in esse ponitur; & qui debet hic, & nunc, prout sit, bene circumstantionari conditionibus, & qualitatibus suis inuestitus esse, ut bonus dicatur. Arbitror enim, pergit Marchant. effugium esse, & metaphysicas tantum speculationes, quæ in re morali nihil planè ponunt. Cum enim omnes propositiones de præterito, & etiam de futuro non sint veræ, vel falsæ, nisi reducantur ad propositionem de inesse

siue

siue de præsenti:conditiones istę planè impertinentes sunt, & non veræ censendæ. Quia ad unam veram, & pertinentem de præsenti practice non reducuntur e. g. Delectatur licitè uxor de præterita copula licita viuente marito; quia reducitur ista delectatio ad hanc propositionem practicam veram. Delector de copula, quæ, quàmuis præterijt, verè hic, & nunc mihi licita est: illicitè vero delectatur de copula præterita, mortuo marito: quia hic, & nunc cum maritus sit mortuus, talis copula non potest actu repeti; & consequenter delectatio est de re, quæ legitimè hic, & nunc ad praxim reduci non potest. Delectatio siquidem cum actualis sit, & modo existens non afficitur, nec affici potest, circumstantijs, & conditionibus non existentibus, quantùmuis possibilibus. Similiter delectatur Titius concubitu cogitato cum Berta, cum conditione si sua uxor esset; unde cum actu uxor sua non sit, & delectatio actualis sit, & extra suas causas, à tali conditione non afficitur, sed conditio ad delectationem actualem omninò impertinens est; ideoque peccat mortaliter.

III. Concl. Oscula, & amplexus urbanitatis causa, & ex fine honesto, puta ad ostendendum amorem, seu affectum honestum, reuerentiam, pietatem, seu ad pacem protestandam, in quolibet sexu honestè data, vel accepta non sunt peccata. Hæc de se constat; nam cum oscula ex se sint indifferentia, sicut etiam amplexus; si fiant honesto fine participant tali bonitate morali, si malo fine, tali malitia morali; siquidem scriptura pluribi narrat, & approbat oscula ad finem honestum data; ut Gen. 27. *Accede ad me, & da mihi osculum*. Luc. 7. Christus reprehendit Simonem. *Osculum mihi non dedisti; hæc autem &c.* & Apost. ad Thesal. cap. 5. *Salutate fratres omnes in osculo sancto*; ergo &c. Verùm oscula, & amplexus, quæ ex affectu libidinoso procedunt, vel cum affectu libidinoso sunt coniuncta extra coniugium; siuè ad concubitum carnalem ordinentur, siue in delectatione libidinosa, & sensuali ex ipso osculo oriente, sunt peccata mortalia, ut constat ex propositione damnata ab Alexandro paulò superiùs allata. Immò oscula enormia inter coniuges à pluribus Doctoribus censentur mortalia, ut dicit Alexander de Ariostis in summa; & quidem oscula coniugum partium pudendarum, nisi fiant ex aliqua le-

uitate, & subreptione; videntur excedere notabiliter coniugij honestatem; ac proinde fieri affectu nimis peruerso; ideoque consulendi sunt coniuges, & monendi, ut abstineant, à nimis turpibus osculis, & tactibus., Vnde fit regula generalis. Tactus omnes in quacunque parte corporis, siue proprij, siue alieni, quos iusta necessitas, vel congrua utilitas exigit per se peccata non sunt: ex opposito omnes actus, seu tactus prouenientes ab affectu impudico, & libidinoso sunt peccatum mortale.

Cæterum mulieres præsertim virgines non tenentur in secretioribus naturæ partibus viros admittere; ut ab illis curentur ab aliquo morbo etiam mortis inductiuo; eò quod nemo teneatur tale genus curationis admittere, à quo magis abhorret, quàm ab ipsa morte; seu morbo; ita Herincx, qui cum Lessio addit quod nemo tenetur admittere id, cui coniunctum est periculum turpis motus, aut delectationis carnalis, imò ò ad heroicum castitatis gradum pertinet male mori: quàm permittere in se turpes imaginationes, aut sensum ullum libidinis.


V. Concl. Quamuis aspectus ex natura sua sint indifferentes, euadunt tamen impudici, si ad libidinem, in se, vel in alio excitandam ordinentur. Ex hac conclusione, infertur primò; quod mortaliter peccant vir, & mulier, qui oculorum nutibus, & lasciuis aspectibus inuicem ad copulam, vel delectationes carnales ex intentione prouocant, vel prouocare intendunt. 2. Mortaliter peccant, qui ex aspectibus huiusmodi se, vel alios voluntariè proximo periculo lasciuæ delectationis, vel desiderij exponunt. Vnde si quis studiosè aspiciat concubitum viri cum muliere, etiam ex sola curiositate; vel etiam animalium copulam, seu comixtionem; cum ex natura sua sint proximè excitatiua; & incentiua ad libidinem, saltem ratione periculi possunt tales aspectus esse peccatum mortale; idem dicendum de studiosè aspicientibus picturas valdè obscenas; quia tales videntur ex intentione quærere delectationes carnales: secùs si ob solam curiositatem, & picturæ excellentiam aspiciant; neque ullum periculum reuerà subsit; ut in pluribus contingere potest. Quomodo autem in confessione sint explicanda, & iudicanda huiusmodi peccata; dat duas Regulas Marchant. cit. Prima est omnis aspe-

pectus voluntarius, & deliberatus mulieris, aut cuiuscunque rei ad libidinem incitantis iuxta rationem delectationis voluntariæ ex aspectu prouenientis, aut periculum proximum ipsius, est peccatum mortale eiusdem speciei, cuius est delectatio ex aspectu consecuta. 2. Vir, vel mulier, quæ ex aspectu impudico tentat ad libidinem alterum incitare, eodem mortali peccato offendit, quale est illud, ad quod tali aspectu incitare tentabat. Vnde inter solutum, & solutam erit peccatum simplicis fornicationis; & sic de alijs. Ratio, quia aspectus impudicus speciem sortitur à qualitate affectus ipsius respicientis, seu ab intentione, quam habet, vel à delectatione subsequente, aut concomitante, siue etiam à periculo, cui se exponit.

Cæterùm aduerte, quod ea, quæ dicta sunt de osculis, tactibus &c. in ordine ad personas solutas; militant etiam de osculis, tactibus &c. in ordine ad sponsos de futuro; quia cum delectatio libidinosa inter sponsos sit illicita ante matrimonium, consequenter est eis illicita omnis actio, ex qua proximè oriri potest talis libidinosa delectatio; etsi nonnulli oppositum docuerint; quod maximè post allegatam propositionem damnatam, non videtur admittendum.

Quæres. Quid de verbis inhonestis, cantilenis turpibus, choræis, missione litterarum, ac donorum censendum est. Resp. Turpia loqui, & turpia canere si bono fine, puta causa studij, censent passim Doctores, nullum esse peccatum, quod tamen difficile videtur. Si fient vano solatio, vel ex curiositate, & releuandi animum à laboribus est peccatum veniale dumtaxat; secluso tamen periculo adstantium, & audientium; quod non videtur abesse, quando verba, vel cantilenæ sunt valdè lasciuæ, & inhonestæ. Idem dicendum de lectione, & auditione rerum obscenarum, & turpium; Vnde qui legunt libros de turpibus, & obscenis ex professo agentes; si ob studium non peccant; si ex curiositate venialiter, si ob delectationem libidinosam intentam, vel periculo proximo se exponant labendi in talem delectationem peccant mortaliter. De componentibus autem, & repræsentantibus comedias, quæ continent res valde turpes, & ad libidinem excitantes, existimant communiter Doctores eos peccare mortaliter; quia dant causam ruinæ proximi; licet enim illam non intendant, ta-

men cum moraliter certum ſit, plures inde ad peccatum incitandos, mortaliter peccant; & idem iudicium fieri debet de deſcribentibus turpia, & de pingentibus fœminas cum nudatis pudendis: vel in actu coeundi; quia hæc, & ſimilia nata ſunt excitare libidinem. Hinc rectè inferunt Doctores, Magiſtratus, & Principes, qui comedias turpes exhiberi permittunt, mortaliter peccare; cum ipſi poſſint, & teneantur ex officio, & charitate teneantur lapſus præcauere, & impedire ita ex communi Marchant. omninò videndus tom. 3. in principio, ubi de pompis diaboli. Miſſio litterarum aut donorum honeſtorum gratia fouendæ amicitiæ non ſunt peccatum; ſecùs autem ſi inhoneſtæ ſint, vel ſi honeſtæ, intendatur libidinoſa delectatio, tunc eſt peccatum mortale. Denique Choræa, prout eſt honeſtæ recreationis gaudij, vel letitiæ ſignum, eſt licita, immò quandoque poteſt eſſe actus meritorius, ut Scrip. S. refert de Dauide ſaltante ante Archam; de ſorore Moyſi exod. 15. & legitur de B. Franciſco Solano ſaltante, & ſonante ante altare Sanctiſſimi Sacramenti. Verùm choreæ, quæ noſtris temporibus fiunt videntur multum periculoſæ; quia in multis ſunt cauſa libidinis, & ſæpè motiuum diſcordiarum, rixarum, & homicidiorum, ut quotidiana experientia apertè monſtrat: Vnde ad rem deſcripſit choræam Guilelmus Lugdunenſis, dum ait. Choræa eſt circulus, cuius centrum Diabolus, circumferentia omnes Angeli eius. Hinc Angelus in ſum. ſeptem conditiones aſſignat ad hoc ut choræa licitè fiat, quas Petrus Marchant. loc. cit. ad tres reducit; nempe. Vt fiant inter perſonas conuenientes: ut modus honæſtatis ſeruetur; & denique ut recta ſit intentio, nimirum ad honeſtam recreationem &c. Verùm ad hoc deuenit ſæculum iſtud per omnia miſerandum, inquit Marchant. ut vix inueniatur choræa honeſta: & Angelus ſic concludit, Adeoque quia præfatæ conditiones non inueniuntur in choræis noſtri temporis, non video quomodo ſine peccato mortali quis choræas faciat ex conſuetudine, ſicut communiter fiunt.



ARTICVLVS III.

De fornicatione, & Adulterio.

NOt. Quòd simplex fornicatio est concubitus, seu copula naturalis soluti cum soluta; quam Gentiles in errorum tradití non reputabant esse peccatum mortale; & hanc opinionem, seu potiùs errorem amplexi fuere nonnulli Hebræorum; & quidam Christiani Auctores, eo fundamento ducti; quod in præceptis Decalogi solam Mæchiam, hoc est adulterium Deus prohibeat; sed quàm longè à veritate abierint, monstrabit sequens concl.

I. Concl. Simplex fornicatio est peccatum mortale. Est de fide, & apertè traditur in S. Scrip. ut Tob. 4. *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire*; & Deuter. c. 22. *Si non est in puella inuenta virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui &c.* Et clarius in nouo Testam. nam ad Rom. 1. dicitur: *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione &c. Ad Ephes c 5. Omnis fornicator, aut inmundus &c. non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. Ad Hebr c. 13. Fornicarios enim & adulteros iudicabit Deus.*

Prob. ratione. Vagus, & incertus concubitus omninò aduersatur fini naturæ, & generationi naturali; quæ iuxta dictamen naturale per se solùm ordinatur ex natura sua ad prolis productionem, & congruam educationem, at non potest generatio prolis rectè dirrigi ad finem, nisi certitudine, & obligatione Patris, cura, & cohabitatione parentum; à quibus proles possit educari; ergo simplex fornicatio aduersatur rationi naturali, quæ execratur vagos concubitus. Nec refert, quod per diuites possit prouideri bonæ educationi prolis, & minus, quod in sterili non sequatur generatio. Quia rectitudo naturalis in similibus actibus consideratur ex ijs, quæ per se ex illis nata sunt sequi. Et nota quod concubinatus superaddit fornicationi statum, & perseuerantiam in peccato, cum sit continuata fornicatio cum non sua, quam veluti uxorem domi tenet, vel, si foris habeat, ad illam ex consuetudine solet ingredi: Vnde Trident. sess. 24. c. 8. de Reform. pœnas statuit contra Concubinarios; quod etiam Clericis sess. 25. cap. 14. de refor. suspensionem comminatur. Ex quo patet, quàm me-

ritò Innoc. XI. damnauerit hanc propositionem, quæ in ordine est 48. *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam inuoluere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.*

II. Concl. Adulterium est illicitus concubitus, quo coniugalis thorus violatur; estque peccatum mortale, grauius fornicatione tum ratione Sacramenti matrim. tum ob damna, quæ inde nata sunt euenire. Quare falsum est, quod nonnulli ausi sunt dicere, nempe consentiente marito, copulam habitam cum eius uxore non esse adulterium; ac proinde non teneri in confessione exprimere talem circumstantiam: quia vir non habet facultatem cedendi in hoc iuri suo; nec eius cessio operari potest, quin sit legitima uxor; tum quia est lex Sacramenti Matrimonij, cui fit maxima iniuria. Hinc meritò talis opinio est damnata ab Innoc. XI. propos. 50. quæ sic iacet. *Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Addo alteram propositionem in hac materia damnatam ab Alexand. VII. & in ordine propos. est 25. *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit præcepto dicens, commisi cum soluta graue peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Igitur tenetur exprimere speciem peccati commissi; ut etiam Trident. præcipit. Siquidem neminem latet diuersæ luxuriæ species, quas supra numerauimus, ab omnibus theologis admitti; ac proinde fornicatio velut species à cæteris omnibus distincta, & diuersa in confessione aperienda est. Insuper, qui alterius thorum violauit, si & ipse est uxoratus, duplex est adulterium, quæ confiteri tenetur 36. q. 1. §. 1. ut inter alios notat Alexand. de Ariostis in sum.

Quæres. An actus, & oscula, quæ fornicationem sequuntur, sint exprimenda in confessione.

Resp. iuxta regulam superiùs allatam de distinctione numerica peccatorum. Quare actus, tactus, & oscula, quæ copulam vel antecedunt, vel sequuntur, censentur moraliter uniri in uno peccato fornicationis, si immediatè, vel paulò post fiant, quia, sicut tactus, & oscula priora ordinantur ad unum finem; ita delectatio habita de copula immediatè post illam censetur quædam permanentia moraliter continuata cum actu copulæ: ita Doctores communi-

niter. Vnde non est audiendus Sanchez dicens idem esse verum de tactibus, & osculis, etiamsi post copulam magna intercesserit mora, modò ad alia negotia se interim non diuerterit, qui copulam habuit; id enim est apertè alienum à ratione; nam sic posset quis per totam noctem iacere cum fœmina, una sola copula habita; eique dicere sufficeret in confessione se commisisse unum tantùm peccatum fornicationis, quod improbatur passim à Doctoribus.

Quæres. Quid sit incestus, stuprum, raptus, & sacrilegium. Resp. Incestus est carnalis concubitus, vel copula inter consanguineos usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusiuè; & inter affines pariter usque ad 4. gradum inclusiuè, si affinitas orta sit ex copula licita; si vero ex illicita usque ad 2. gradum inclusiuè, nec non inter spiritualiter, vel legaliter coniuuctos, de quibus sigillatim in tract. de matrim. Stuprum est defloratio virginis contra ipsius liberam voluntatem. Dicitur defloratio virginis, quia si corrupta violenter opprimatur, non reputatur stuprum, sed violenta oppressio; sequiturque speciem luxuriæ quantum ad actum; etsi illa iniuriosa oppressio speciale peccatum dicat, ac proinde in confessione aperiendum. In stupro autem attenditur particularis malitia ex iniusta aperitione, seu ablatione claustri virginalis. Dicitur contra ipsius liberam voluntatem si enim virgo consentiat liberè in copulam, tunc non est stuprum, quod singularem luxuriæ speciem constituit peccatum speciale stupri; itaque erit simplex fornicatio; nec refert, quod sit contra voluntatem parentum, vel tutoris; ac proinde fuit eis iniuria; nam talis iniuria, ut aduertit inter alios Marchant. extrinseca est stupro; nec variat peccatum fornicationis, sed tantum aggrauant illud huiusmodi circumstantiæ.

Cæterum dubitari potest, quando censeatur virgo non consentire, seu quando censetur copula Virgini inuoluntaria. Resp. ex Marchant. t. 2. tract. 7. de luxuriæ speciebus; tunc censetur copula Virgini inuoluntaria, & consequenter stuprum. Primò quando violentia intercedit: 2. quando metus in constantem puellam cadens est additus: 3. quando dolis, & fraudibus puella est inducta, ut promissionibus, fraudolentia matrimonij, vel magnæ dotis &c. 4. quando magnis importunitatibus, quæ in fragili sexu

æqui-

æquiualent, ſi non veræ coactioni ſaltem inductioni ex parte inuoluntariæ. Ad quid autem teneatur ſtuprator, agetur in tract. de reſtitutione p. 3.

Raptus eſt eductio violenta puellæ, ſiue corruptæ, ſiue incorruptæ; ſiue etiam coniugatæ. Vel ut alijs placet raptus eſt abductio alicuius perſonæ ipſa inuita, vel reſiſtentibus eius parentibus, vel illis, ſub quorum cura eſt per vim ad libidinem explẽdam, vel matrimonium ineundum; qua definitione comprehenditur non ſolum fœmina, ſed etiam vir, ut tradit communis ſententia; etſi fœmina rapiens virum non incurreret in pœnas latas contra Raptores; quia iuxta quandam regulam iurius. *Maſculinum non concinet fœmininum in pœnalibus*. Et ex eadem infertur, quod non eſt raptus, ſi quis diſcedat cum Amaſia conſentiente, inſcijs, & inuitis parentibus. Alia, quæ ad raptum ſpectare poſſunt tradentur in materia de impedim Matrim. Sacrilegium, prout ad luxuriæ ſpecies ſpectat, eſt peccatum carnis, ſiue concubitus illicitus, alterutro, vel utroque peccantium voto caſtitatis adſtricto. Dicitur alterutro, vel utroque peccantium &c. quia etſi unus tantum ſit voto aſtrictus, adhuc eſt ſacrilegium. Quod ſi uterque voto ſit obligatus, debet pœnitens id exprimere, quia, ut obſeruat Marchant cum alijs eſt virtute duplex ſacrilegium, & iniuria duplex. Verùm ſi quis voto adſtrictus caſtitatis in perſona libera, & ſoluta turpitudinem, puta pollutionis excitaret, ita ut ipſe in corpore ſuo nil pateretur, peccaret quidem mortaliter; non eſſet tamen ſacrilegium; quia iniuria illa non fieret perſonæ ſacræ, ſed ſolutæ; etſi à ſacra fiat; ita communiter Doct.

Cæterùm, quia ſacrilegium committitur non ſolum ſi violatur perſona voto adſtricta; ſed etiam dum violatur locus ſacer, quo nomine venit Eccleſia cum cæmiterio; ideo præter Sacrilegium perſonæ, additur Sacrilegium loci Sacr.; quod dici poteſt extrinſecum, ut condiſtinguitur à Sacrilegio; quod committitur in Perſonis Sacris. Igitur qui in locis Deo conſecratis concubitus illicitos habent, aut peccata carnalia cum effuſione ſeminis committunt; ut pollutio voluntaria fornicatio, peccant peccato ſacrilegij &c. Addo cum Marchant. loc. cit. ad Sacrilegium etiam ſpectare, ſi quis in habitu ſacro, ut planeta, caſula, Alba,

vel

vel alijs ornamentis Sacris fœdum concubitum haberet; illa enim, ſicut loca ſacra contaminari videntur. Inſuper mouetur dubium: An, ſi coniugati in loco ſacro incluſi detineantur, copulam haberent abſque loci ſacri pollutione. Richard. Angelus, & Roſella affirmant; ſi multo tempore ibi detineantur; nec alibi adeſt opportunitas coeundi; ad vitandum incontinentiam dumtaxat; quo ſenſu amplectitur hæc ſententia communiter à Recentioribus. Cæterùm de pollutione loci ſacri alibi agetur; ideo &c.

ARTICVLVS IV.

Vtrum mollities, ſeu pollutio ſit peccatum mortale contra naturam.

NOt. Quòd vitium, ſeu peccatum contra naturam eſt illud, quod repugnat naturali ordini actus venerei, humanæ ſpeciei conuenientis; pluribus autem modis contingere poteſt, ut paſsim tradunt Doctores ex D. Thoma, Alenſi, & Aſteſano. Primo ſi abſque omni concubitu cauſa delectationis venereæ pollutio in ſe procuretur; & ſic dicitur mollities. 2. quando fit per concubitum, & non adhibetur perſona eiuſdem ſpeciei, ſed alterius ſpeciei, nempe brutorum, & ſic dicitur beſtialitas. 3. quando adhibetur in coitu perſona quidem eiuſdem ſpeciei; ſed indebitè, ut in coitu maſculi cum maſculo, vel fœminæ cum fœmina. ut indicat Apoſt. ad Rom. cap. 1. & ſic vocatur vitium ſodomiticum. 4. denique quando coniunctio eſt naturalis, & in vaſe naturali; ſed modo indebito, ut præpoſterè accedendo ad fœminam; vel alio indebito modo coeundo.

I. Concl. Mollities eſt vitium contra naturam; ac proinde iure naturæ, & diuino prohibita ſub pœna peccati mortalis. Prob. Mollities pugnat contra finem naturæ; ergo eſt contra naturam. Prob. ant. Deus naturæ Auctor ſexum, & vas legitimum inſtituit ad generationem; ſed talis inſtitutio ſimul cum fine deſtruitur per mollitiem, quæ eſt contra primarium finem, & ordinem, quem natura ipſa poſtulat in actu ſeminationis: ergo &c. Confirmatur ex S. Scrip. Nam Gen. 38. narratur Onam filium Iuda, qui ſe-

men fundebat in terram, percussum fuisse à Dominò, *Eò quòd rem detestabilem faceret*; ergo iure naturæ, & diuino est prohibita mollities ut grauissimum peccatum dicente Apost. ad Corinth. c. 6. Molles Regnum Dei non possidebunt. Quarè meritò Innoc. XI. damnauit hanc propositionem, quæ in ordine est 49. *Mollities iure naturæ prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset sæpe esset bona; & aliquando obligatoria sub mortali*. Itaque mollities semper est peccatum mortale, quoties quis eam procurat ex libidine; immò etsi eam procuret causa sanitatis, quia adhuc talis directè consentit in pollutionem, quæ iuxta Scripturam est peccatum mortale.

II. Concl. Dum quis dat operam rei illicitę, ex qua solum remotè sequitur pollutio, talis pollutio si non fuerit intenta, non est nisi peccatum veniale. Ex qua conc. infertur, quod si pollutio sequatur ex nimio cibo, vel potu, vel ex guloso esu eduliorum nimis calidorum, est tantum peccatum veniale. Similiter si eueniat pollutio ex equitatione sola recreatione, vel nimia curiositate, vel vanitate assumpta, licet sciat quandoque pollutionem se passum fuisse, modò absit periculum consensus in eandem, non est nisi veniale peccatum; idem de pollutione secuta ex speciali situ in lecto, quàmuis fuerit præuisa, sed non intenta. Immò communis sententia tradit; quod desiderare simplici affectu pollutionem in somno ob aliquem bonum effectum inde secuturum; puta ad corporis sanitatem obtinendam: vel ad tentationem extinguēdam, non est peccatum; ratio, quia tale desiderium, nec est causa pollutionis nec fertur in malum, sed in opus per se indifferens relatum in bonum finem. Regula igitur generalis est, quam tradit ex communi Herincx part. 3. disp. 6. q. 3. de temperantia n. 29. ubi dicit: pollutio, ut sit grauiter peccaminosa debet esse plenè voluntaria, adeoque vel directè volita, & procurata, vel saltem volita, & præuisa in sua causa; quam hic, & nunc possumus, & tenemur euitare; prout sunt illæ; quæ in genere luxuriæ sunt malæ grauiterque influunt in effectum huiusmodi; puta morosa delectatio, turpes imaginationes, & aspectus, vel tactus, oscula impudica. Quod si sit causa rationabilis, vel necessaria, non tenetur quis, secluso periculo consensu in ipsam delectationem, ex communi

sen-

ſententia Doctorum vitare. Quare confeſſarius non tenetur relinquere ſtudium circa res venereas, auditionem confeſſionum fœminarum, commeſtionem rerum calidarum, accubationem ſic, vel ſic. Vnde concludunt Doct. communiter; nullum actum habere malitiam mortalem eò quod ſit pollutionis præuiſæ; & non intentæ cauſa; niſi ſit in ſe ipſo mortalis contra ſextum præceptum non mæchaberis; quia ſoli tales actus cenſentur notabilis cauſa pollutionis.

ARTICVLVS V.

Quid ſit Sodomia, & beſtialitas: & an diſtinguantur inter ſe, & a pollutione, ſpecie; adeout in confeſſione ſint diſtinctè exprimenda.

NOt. pro reſolutione tertiæ partis huius quæſtionis; quod Philoſophi docent aliud eſſe genus, & aliud eſſe ſpeciem; ſpeciem autem diſtinguunt in ſpeciem infimam & non infimam, ſeu ſubalternam; prior dicitur illa, quæ ſub ſe non habet alias ſpecies; ut Homo, Aſinus, Leo &c. dicitur ſpecies infima; non enim ſub homine datur alia ſpecies hominis; poſterior verò dicitur, quæ adhuc diſtingui poteſt in alias ſpecies, quas ſub ſe habet, e. g. corpus, quod reſpectu ſui generis, nempe ſubſtantiæ eſt ſpecies non infima, diſtinguitur in alias ſpecies, nimirum in corpus animatum, & inanimatum, vegetabile, & ſenſibile &c. Iam verò à ſpecie phyſica gradum faciamus ad ſpeciem moralem, quæ pariter inſtar phyſicæ diſtingui poteſt in ſpeciem infimam, & non infimam, & prout ad præſens ſpectat luxuria veluti genus diuiditur primò in duas ſpecies iuxta regulam logicalem: omnis bona diuiſio debet eſſe bimembris; in luxuriam, quæ eſt iuxta naturam etſi illicitam; & ſic eſt fornicatio; & in luxuriam contra naturam, quæ pugnat, ut ſupra oſtenſum eſt, contra ordinem, & finem inſtitutum à Deo naturæ auctore; & hæc luxuria ut vitium libidinoſum, & ſpecies non infima ſubdiuiditur in tres ſpecies infimas, nempe pollutionem, ſodomiam, & beſtialitatem, ut in concluſione clariùs monſtrabitur.

I. Concl.

I. Concl. Sodomia propriè accepta est coitus, seu concubitus inter personas eiusdem sexus; ut passim cum D. Thoma tradunt Doct. sodomia vero impropriè dicta est concubitus cum personis diuersi sexus; ut masculus cognoscendo fœminam extras vas naturale: & utrique competit hæc definitio. Sodomia est concubitus libidinosus in vase à natura ad generationem non ordinato. Vnde in ore coit-, licet sit nimis fœdum, & turpe, non est tamen sodomiticus actus; sed reducitur ad pollutionem opere alieno factam. Potest insuper sodomia siue perfecta, siue imperfecta simul contrahere alias malitias; v.g. adulterij si fiat cum coniugato, vel coniugata; vel incestus si fiat cum affinibus, seu consanguineis; nec non sacrilegij si fiat cum persona Deo per votum castitatis dicata. Sed dubium suboritur. An in confessione explicandum sit, quod quis fuerit agens, vel patiens. Affirmant apud Mastrium Cardinalis de lugo Tambur. Caramuel, & alij; quia putant esse diuersæ speciei procurare pollutionem propriam, & alienam. Negant Alphons. de Leone, Diana, noster Poncius, & alij; quibus consentit idem Mastrius; ratio, quia vterque peccat contra naturam, & uterque alterius peccato cooperatur; unde quàmuis agens pollui soleat, non verò patiens, tamen patiens ipsius pollutioni cooperatur; quod si patiens quoque polluatur in tali actu, distinctè in confessione illud aperiendum est. Cæterùm, quando Sodomia censeatur reseruata videri potest in sum Diana, & in alijs; existimant tamen passim Doct. ut notat Herincx; tunc solum esse reseruatam, quando coitus est consumatus à duobus eiusdem sexus in vase præpostero. Nisi aliter explicetur in tabellis de reseruatione casuum, quæ quidem pro diuersitate Diœcesum sunt etiam diuersæ; & necessario à confessarijs legendæ; & attendendæ. Sane hoc pessimum vitium est maximæ abhorendum, cum S. Scrip. narret, ob hoc nefandum scelus à D. iustitia funditus voracibus flammis deleta fuerit regio Pentapoli; & ex Ciuitate Sodomæ combustæ nomen accepit. Adde leges humanas in detestationē huius pessimi criminis ex tremas pœnas statuisse: Porrò exercentes sodomiam sunt infames ipso iure ff. de postuland. l. 1. §. remouetur. Instit. de publ. iudi. §. 2. morte mulctandi C. de adulter. l. cum vir, & Autent.

ut

ut non luxuriant cont. natur. ʃ. 1. coll. 6. & de iure canon. Si eſt laicus debet excommunicari, ſi Clericus in Monaſterio ad agendam pœnitentiam detrudi: Et hi, ſubdit Alexand. de Arioſtis in ſum. præcep. Non mœchaberis, ſunt fillj diffidentiæ ideſt, de quorum ſalute diffidendum eſt, ut de exceſſ. Prælat. cap. Quicunque, & grauius eſt hoc peccatum, quàm matrem cognoſcere dicto capitulo Adulterij.

II. Concl. Beſtialitas eſt coitus libidinoſus hominis cum bruto, ſiuè paſſiuè, ſiuè actiuè, & in quocunque vaſe fiat; ita definitur à Marchant. loc. ſupracit. Vnde leuit. c. 18. *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo; Mulier non ſuccumbet iumento, nec miſcebitur ei, quia ſcelus &c* & c. 20. *Qui cum iumento, & pecore coierit, morte moriatur pecus quoque occidetur. Mulier ſi ſuccubuerit cuilibet iumento ſimul interficietur cum eo; ſanguis eorum ſiet ſuper eos*: In confeſſione autem non eſt opus explicare beſtiæ qualitatem, ſeu ſpeciem.

Cæterum ad hoc turpiſſimum vitium reuocatur iuxta communem Doctorum ſententiam concubitus cum Dæmone; definitur enim beſtialitas prout extenditur ad Dæmonem. Eſt carnalis commixtio cum re animata alterius ſpeciei, ut cum Bruto, vel Dæmone ſuccubo, vel incubo; cui peccato ſemper ſuperadditur malitia contra Religionem, & ſuperſtitionis, quatenus includit ſocietatem cum Dæmone, infenſiſſimo inimico Dei, & omnium noſtrum; ac proinde in confeſſione talis coitus exprimendus; ſicut etiam, an Dæmon fuerit ſub forma fœminæ, an viri; an ſub forma talis coniugatæ, conſanguineæ &c. quia tunc præter beſtialitatem additur affectus ad talem perſonam: ita communiter Doct. De quarta autem ſpecie contra naturam erit ſermo in tract. de matrim. talis namque modus inordinatus, & innaturalis per ſe non eſt peccatum mortale inter coniuges; fieri autem poteſt mortale; ſi interueniat tanta deordinatio, ut generatio impediri poſſit, vel ſemen extra vas effundi contingat.

III. Concl. Pollutio, Sodomia, & beſtialitas ſunt ſpecies infimæ moraliter inter ſe ſpeccificè diſtinctæ; ac proinde in confeſſione aperiendæ. Hæc eſt certiſſima ex propoſitione damnata ab Alex. VII. & eſt 24. in ordine: eſtque talis. *Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in confeſſione ſe procuraſſe pollutionem.*

num. Suffragatur etiam ratio; quia peccata possunt inter se specie differre non solum quia prohibita sunt sub pluribus præceptis in diuersis materijs, & ob diuersa motiua, vel circa eandem materiam, sed propter diuersa motiua formalia ad diuersas virtutes pertinentia, verùm etiam ratione diuersæ, ac notabilis deformitatis, & dissonantiæ à dictamine rationali; quatenus adeò diuersa ratione, & malitia materiam eiusdem virtutis; cui opponuntur, attingunt, ut quantum est ex natura peccati, ratio non errans magis abhorreat unum, quàm aliud ob maiorem, vel minorem deformitatem; quam in illis agnoscit reuerà reperiri; sic magis ratio recta abhorret bestialitatem, quam sodomiam, magis sodomiam, quam pollutionem; igitur licet pollutio, Sodomia, & bestialitas sint vitium contra naturam in genere; seu ut condistinguitur à vitio venereo iuxta naturam, & naturæ modum; attamen in esse morali, spectata ratione diuersæ malitiæ formalis, sunt omninò species disparatæ; & consequenter in confessione distinctè aperiendæ. Confirm. Diuersæ rationes formales in genere moris habent constituere diuersas species morales, tam vitiorum, quam virtutum, sed ratio formalis pollutionis, sodomiæ, & bestialitatis sunt inter se formaliter diuersæ moraliter; aliud siquidem est effundere semen absque ulla copula; aliud illud effundere per copulam cum Persona eiusdem speciei, sed in vase indebito; aliud habere copulam cum bruto, vel Dæmone; ergo hæc tria inter se tanquam species infimæ distinguuntur, & consequenter distinctè aperiendæ sunt in confessione.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Ira sit vitium capitale, & mortale.

NOt. 1. Quòd ira potest accipi dupliciter. Primo pro passione quadam potentiæ naturalis, quæ vocatur irascibilis; quæ sic describi solet. Est motus quidam naturalis animi ad propulsandum malum, vel ad arduum quid piam superandum nobis innatus. 2. sumitur pro ipso usu talis passionis; quatenus homo ratione utens motum illum excitat, & imperat, aut excitato utitur in bonum, vel ma-

malum; nam ira primo modo est de se passio indifferens in bonum tamen naturaliter ordinata: ut constat ex eius descriptione, in isto autem motu, seu passione iræ plures reperiuntur gradus. Primus est quidam motus simplex detestationis, vel persecutionis mali, aut superationis ardui, veri, vel apprehensi absque animi perturbatione; & hic pertinet ad fortitudinis virtutem. 2. est motus idem qui supra, sed cum aliqua perturbatione partis inferioris, absque tamen perturbatione ulla partis superioris, ideft mentis; quo sensu dicitur de Christo Ioan. c. 11. *Infremuit spiritu, & turbauit seipsum*; ideft pleno imperio excitauit in parte inferiori quendam motum naturalis turbationis teste D. Aug. l. 14. de Ciuit. c. 9. Tertius est excitatio quædam cordis in detestatione, vel propulsatione mali; siue aggressione ardui; quæ ad tempus aliqualiter mentem perturbat, ut in primis motibus accidere solet. 4. est motus, qui rationem inordinatè perturbat, & omninò commouet, ita ut commotio illa rationi dominetur.

Not. 2. Quòd filiæ iræ inordinatæ sunt sex, nempe indignatio, tumor mentis, tumor autem mentis est voluntas se ad vindictam disponens ex Alens. clamor, contumelia, blasphemia, Rixa, ita D. Greg. lib. 31. moral. Quarum numerus, & sufficientia sic declaratur; potest namque ira tripliciter considerari, Primo secundum quod est in corde; & sic ex eà nascuntur duo vitia, alterum est indignatio, inquantum quis reputat eum, contra quem irascitur, indignum: alterum est tumor mentis, inquantum quis animum suum implet diuersis cogitationibus excogitando diuersas vias vindictæ: 2. consideratur ira prout est in ore; & sic ex ea duplex vitium procedit; primum dicitur clamor, quatenus aliquis inordinatè, & confusè loquendo iram suam ostendit; secundum est ex eo quod quis prorumpit in verba iniuriosa; quæ quidem si sint cōtra proximum, tale vitium dicitur contumelia. Si verò sint contra Deum, dicitur blasphemia: 3. modo consideratur ira secundùm quod procedit usque ad factum; & sic ex ira oriuntur rixæ, contentiones, inimicitiæ, & homicidia: ita Nicolaus de Nise, Nicolaus de Orbellis, & alij.

I. Concl. Ira, quæ est appetitus vindictæ iniustæ, vel inordinatæ ex suo genere est peccatum mortale; & etiam

capitale: de hoc secundo patet; primum probatur. Quod repugnat charitati, & iustitiæ est peccatum mortale ex genere, nisi vel imperfectus consensus, vel leuitas materiæ excuset; sed huiusmodi ira repugnat charitati, & iustitiæ ergo &c. Prob. min. Repugnat charitati, quia proximo malum volumus: iustitiæ verò, quia iniustè, & inordinatè volumus; hoc autem potest esse dupliciter, ut dicit Nicolaus de Nise in p. 3. tract. 3. q. 3. uno modo ex parte appetibilis, ut potè cum quis appetit iniustam vindictam; vel iniusto ordine, idest à se, vel à Iudice non competente; vel propter indebitum finem; debitus enim finis, ob quem licet desiderare vindictam, est conseruatio iustitiæ, emendatio &c. & sic est peccatum mortale. Potest tamen contingere, quod talis oppetitus vindictæ fiat veniale propter imperfectionem actus; quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis, ut cum motus iræ præuenit iudicium rationis; vel ex parte appetibilis; ut cum quis appetit in aliquo modico se vindicare, e. g. si quis appetat, seu etiam de facto trahat puerum per aurem, vel per capillos; vel ex modo irascendi, quia nimis ardenter irascitur interiùs, vel nimis manifestat iram suam exteriùs; & sic est tantùm peccatum veniale.

II. Concl. Ira prout est animi perturbatio etiam secluso appetitu vindictæ; ubi ad eum gradum peruenit, ut hominem sensu, vel ratione priuet, aut motus, & gestus enormes in corpore excitet., si sit voluntaria in se, vel in causa est peccatum mortale, ita Petrus Marchant. t. . Tribunal. tract. 6. tit. 2. q. 3. Rationem dat, nam si ebrietas est peccatum mortale, quia hominem ratione, & sensu per intemperantiam gulæ priuat, & naturam inhonestat, certè peior ex istis causis est ira, quæ hominem furiosum reddit; hinc Seneca lib. 2. de ira c. 56. Nulla celerior ad insaniam via.

QVÆSTIO X.

Vtrum gula sit peccatum capitale, & mortale.

NOt. 1. Quòd gula est immoderatus, & inordinatus usus, seu appetitus ciborum; hæc autem immoderatio quadrupliciter contingere potest. Primò in excessiua reple-

pletione ultra naturæ ordinariam indigentiam. 2. in excessiua ciborum delectatione. 3. in inordinata procuratione, & multiplicatione ciborum. 4. in excessiua præparatione ciborum; Vnde Arist. in lib. Ethicorum ait; quod gulosus dicitur vel quia nimis edit, & bibit, vel quia nimis delicatè optat se cibare, etsi moderatè; vel quia nimium, & delicatè appetit cibos; & hi gulosi sunt peiores.

Not. 2. ex D. Greg. 31. moralium; quod ex gula solent oriri multa vitia, quæ quidem vitia possunt accipi vel ex parte animæ; vel ex parte corporis: Ex parte Animæ quadrupliciter contingit. Primo quantum ad rationem, cuius acies per gulam hebetatur; & sic ponitur hebetudo sensus circa intelligentiam propter fumositatem ciborum perturbantium caput. 2. quantum ad appetitum, qui per gulam deordinatur, quasi sopito rationis gubernaculo; & sic ponitur inepta lætitia. 3. quantum ad inordinatum verbum; & sic ponitur multiloquium. 4. quantum ad inordinatum actum, & sic ponitur scurrilitas idest modus, seu gestus exterior incompositus. Ex parte autem corporis ponitur immunditia, quæ attenditur secundum inordinatam emissionem quarumcunque superfluitatum.

I. Concl. Gula ex natura sua est tantùm veniale peccatum, fieri autem potest mortale ex diuersis circumstantijs. Prob. 1. pars; nam gula secundum se considerata non repugnat charitati Dei, vel proximi: ergo non est peccatum ex genere mortale. Prob. 2. pars: & quidem primò, si quis delectationi gulæ inhæret tanquam ultimo fini, eamque præfert diuinæ dilectioni iuxta illud D. Paul. *Quorum Deus venter est*; & sic est peccatum mortale: 2. ex Marchant. quando quis tanta ingluuie ciborum se replet, ut sciens, & aduertens, vel aduertere debens sibi morbos graues causet, aut enormiter temperantiæ modum, & rationem excedit; ratio, quia sic rationalis creaturæ statum enormiter lædit.

II. Concl. Ebrietas est voluntaria, & immoderata sumptio potus ad grauem rationis perturbationem: ita passim Doctores, & signanter Marchant. qui ita discurrit. Quando quis ad grauem perturbationem deducitur, adeout non possit communes actiones necessarias dirigere, dicitur dirigere, quia, etsi quis per se illas exercere non valeat ob titubationem, & motus impedimenta, ebrius tamen non

censetur, si potest dirigere famulitium, & auxilium rationabile sibi postulare. Itaque illa censetur grauis rationis perturbatio, non quæ rationem omninò tollit, ut quidam autumant, sed quæ ita conturbat, ut rationabiliter se dirigere nequeat. Ridiculum sanè est, quod nonnulli affirmant eum, qui crapula, & vino velut sepultus iacet in platea, si signum potest dare, ut currus diuertat, vel se submouere, ne currus super se transeat, ebrium non esse, ridiculum, inquam, & viris doctis indignum exemplum est.

Insuper est peccatum mortale ex eodem Doct. quando immoderantia enormiter temperantiam lædit; quod tunc censetur, quando tanta vini abundantia, & tam continua sumitur, ut monstruosa potitatio censeatur. Et hæ potationes vocantur vinolentiæ, etsi ratio non perturbetur. Vnde Isa. c. 5. *Va qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis*: & infra: *Va qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*. Et communiter Scrip. Sac. non solum priuationem rationis attendit, sed etiam excessum brutalem, & enormen, qui consideratur ex qualitate, continuatione, & alijs circumstantijs potationum. Quare Petrus Apost. in prima Epist. c. 4. inter peccata grauissima Gentilium recenset potationes, vinolentias, comessationes &c. Ex qua doctrina sequitur comprobatio doctrinæ Fernandez in exam. Theol. moral. lib. 4. c. 11. §. 6. de gula; nempe edere, aut bibere, & euomere cibos, & potus, ut iterum bibatur, & edatur esse mortale; quod docuit etiam Perez ex senten. Angeli, Siluestri, & Armillæ: quia videtur esse magna deformitas contra naturam. Est pariter peccatum mortale; cum tempore prohibito à lege interdicta eduntur, quando scandalum oritur ex nimia superfluitate ciborum, de quo scandalo Paulus dicebat, se nunquam manducaturum carnes, si sciret fratrem suum inde scandalo offendi; & deniquè quando quis ederet cibos, quos natura non creauit ad esum, vel potum humanum; talis est caro humana, & sanguis humanus. Addit tamen Nauar. in maxima necessitate, licitum esse edere carnes humanas, & bibere sanguinem humanum, si homo inueniatur occisus; nunquam enim licet hominem occidere.

Quæres. An liceat vinum præbere ei, qui inebriari solet.

let. Resp. D. Thom. Nauar. Tolet. & passim Doct. non licere; ac proinde mortaliter peccare præbentem vinum scienter ei, qui inebriari solet ratio est; quia ut docet D. Thom. cooperatur magno malo, quale est usus rationis amissio. Non est tamen illicitum cibo, & potu se replere ad remedium sanitatis, nempe ad vomitum, etsi ad hunc finem non liceat se inebriare.

QVÆSTIO XI.

Vtrum comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem sit peccatum.

NOt. Quod præter ea, quæ dicta sunt in quæstione antecedenti de gula; quæ faciunt pro resolutione etiam præsentis quęstionis, reuocanda est doctrina superiùs tradita in quæst. 5. de delectatione naturali secundùm se, & ut subiacet voluntatis imperio; nam voluptas est idem, quod delectatio potentiæ sensitiuæ, seu carnalis, ut notat Catholicon; non enim voluptas propriè loquendo spectat ad voluntatem, sed gaudium; & insuper obseruanda est doctrina ab omnibus recepta de temperantia. Siquidem temperantia ex communi doctrina, & signanter D. Thom. 2.2. q. 141. est virtus, quæ habet moderare appetitum circa delectabilia secundùm tactum, & gustum, prout rectam rationem decet, ob specialem honestatem, quæ est in tali moderatione. Ex qua definitione indicatur obiectum materiale virtutis temperantiæ, dum dicitur circa delectabilia, nempe circa delectationes corporeas, non tamen omnes, sed illas tantùm, quæ ex cibo, & potu, & rebus venereis percipiuntur; tangitur pariter obiectum formale, dum dicitur, ob specialem honestatem; bonitas namque, seu honestas specialis, quæ reperitur in eo, quod homo delectationibus ciborum, & venereorum moderatè utatur, & secundùm præscriptum rationis est obiectum formale; quam doctrinam tradit etiam Arist. lib. 3. Eth. cap. 10. dicens. Circa huiusmodi igitur voluptates, temperantia, & intemperantia versatur, quæ cæteris quoque animalibus communia sunt, seruilesque, ob id, & ferinæ habentur; & paucis interiectis subdit. Vnde gulæ deditus quidam Philo-

loxenus optabat guttur sibi longius gruis collo dari, utpotè qui tactu oblectaretur, circa quem intemperantia versatur.

Concl. Comedere,& bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem esse peccatum est ita certum, ut oppositum asserere sit damnatum ab Innoc. XI. in proposit. 8. inter damnatas, quæ est talis. *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Accedit euidens ratio; nam comedere,& bibere usque ad satietatem ob solam delectatione repugnat rectę rationi, & aduersatur virtuti temperantiæ, ut docuerunt etiam Philosophi gentiles, ut Arist. Seneca, & alij; ergo est peccatum, & vitium gulæ, quæ ut mox dicebamus, est appetitus inordinatus cibi, & potus; estque unum ex septem peccatis capitalibus,ac proinde est contra abstinentiam, & sobrietatem, quæ sunt temperantiæ species: abstinentia siquidem habet moderare appetitum circa cibos, & sobrietas circa potum; castitas vero habet moderare, ac regulare delectationes in ordine ad coitum,& pudicitia delectationes,quæ sunt in osculis, tactibus, & amplexibus. Itaque meritò damnatur relata propositio, & redarguuntur eiusdem propositionis assertores velut voluptuosi, ac gulosi, immò ut verius loquar, tanquam bestiales; cum de bestijs tantùm verificari possit, quod licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui; ergo cum appetitus naturalis complectatur non solùm gustum, sed etiam tactum, ac proinde concupiscentiam,quę ad illicitas venereas delectationes anhelat, licitè poterit homo in se admittere delectationes libidinosas, & suis actibus frui, quod constat esse hæreticum. En veneficus anguis, qui latebat satis apertè detectus per Sum. Pontificis damnationem.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Inuidia sit vitium capitale; & sit mortale peccatum.

NOt. 1. Quòd iuxta Alens. inuidia est tristitia alienæ fælicitatis, seu de bono alieno; quatenus illud est dimi-

minutiuum propriæ excellentiæ; inuidere namque ex vi nominis, idem importat, quod non velle videre, seu nolle alteri tale bonum; & ex nolle, seu tristitia alieni boni sequitur in eodem inuidente gaudium alterius calamitatis. Verùm obseruandum, quod quis ordinatè potest interdum tristari de bono proximi, aut ei bonum nolle, & consequenter gaudere de alterius calamitate. Primò; quia bonum, quod in proximo reperitur, est nociuum iniustè Reipublicæ, vel nobis; siue etiam proximo; quo sensu iusti dolent de prosperitate impiorum; inquantum sibi, & Ecclesiæ nocet; & sic non est inuidia, sed timor bonus, & auersio à malo; ut docet D. Greg. lib. 22. moral. c. 6. Secundò tristari quis potest de bono alterius, non quia in illo est, sed quia nobis deest; ita ut obiectum tristitiæ non sit ipsum bonum precisè, sed carentia illius, quod nobis putamus bonum; & utile, & hæc si sit de bonis spiritualibus dicitur emulatio Sanctorum, de qua D. Paul. 1. ad Corint. 12. *Emulamini charismata meliora*. 3. tristari quis potest de bono alterius, quia verè illo indignus est, aut quia malè, & peruersè illo utitur, aut usurus est, aut quia est impeditiuum salutis illius; siue quia ex eo superbit, & petulantior fit, & hæc pariter tristitia ab inuidia propriè non procedit, sed à zelo, & iusta indignatione: Tota igitur malitia inuidiæ in hoc consistit, quod contra charitatem aliquis ita propriam excellentiam, siue fictam, siue veram sibi amat, ut nolit proximum illam ullo modo habere, ne aut ei æquiparetur, aut ab eo superetur. Ita Petrus Marchant. Vnde D. Aug. lib. 11. super Gen. c. 14. *Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus; ne sibi coæquantur, vel superioribus, quod eis non coæquetur.*

Not. 2. Quod sicut homines multa operantur ob delectationem, tum ut ipsam consequantur; tum ex eius impetu ad ali agendum moti: ita etiam ob tristitiam multa faciunt, vel ut ipsam euitent, vel ex eius pondere in aliqua agenda prorumpentes, sic tristitiæ satisfaciant; ideoque cum inuidia sit tristitia quædam conuenienter ponitur vitium capitale, eique assignantur à D. Greg. lib. 31. moral. quinque filias nempe. Odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, & afflictio in prosperis; cuius numeri sufficientia traditur ab Alensi ubi supra. Omnis

nis enim inuidia, aut est in affectu, aut in sermone, aut in opere. Si in affectu & sic est odium, quatenus affectat malum damni, quia ut affectat malum penæ ob vindictam pertinet odium ad iram: Si autem sit in sermone; tunc aut ille sermo ordinatur ad discordias seminandas, & sic est susuratio; aut ad famam proximi tollendam; & sic est detractio; si autem sit in opere; aut est respectu aduersitatis proximi; quam desiderat, & procurat. & sic est exultatio in aduersis, aut est respectu prosperitatis, & sic est afflictio in proximis.

I. Conc. Inuidia est vitium capitale, & ex suo genere est peccatum mortale sumpta inuidia prout dicit tristitiam de bono alieno, in quantum apprehenditur impeditiuum propriæ excellentiæ. Est communis sententia Theologorum prima pars patet, cum in 2. notabili sint ei assignatæ tanquam vitio capitali filiæ: 2. pars prob. primo ex Arist. 2. Rethor. Quando aliquis tristatur de bonis alterius, in quantùm alter excedit ipsum in bonis, hoc propriæ est inuidia, quæ dolet de eo, quod est gaudendum, & ideo semper est mala, & vitiosa ergo &c. Prob. 2. Inuidia secundùm rationem sui obiecti repugnat charitati, quæ præcipit, vt proximum diligamus, sicut nos ipsos, at non diligimus, imò odimus, dum de bono alieno tristamur, & de alterius malo gaudemus: sed quod repugnat charitati ex genere suo est mortale, nisi vel leuitas materiæ, vel actus indeliberatio excuset; ergo &c. Vnde D. Pauli ad Rom. 1. inter grauissima peccata inuidiam enumerat, quibus Gentiles in reprobum sensum dati sunt, dicens, quod pleni essent inuidia, homicidio &c. idem docet ad Galat. cap. 5. & prima ad Timoth. 6.

II. Conc. Supremum inuidiæ peccatum, seu species est fraternæ charitatis inuidentia; quæ in hoc maximè consistit, quod quis dona spiritualia fidei, spei, & charitatis, virtutum Spiritus Sancti, doleat in proximo esse; vnde iuxta Marchant. vocatur peccatum in Spiritum Sanctum, qui subdit tripliciter quis peccare dicitur. Primò cum quis hominem iustum, & bonum persequitur, quia reputatur illo melior, aut quia magni fit ob virtutis, & donorum excellentiam: hinc murmura, susurria, detractiones, irrisiones, vilipensiones. Secundò cum iusta alterius vita videtur

tur actiones nostras condemnare iuxta illud Sap. 2. *Circumueniamus ergo iustum, quoniam contrarius est operibus nostris*. Tertiò non rarò status contra státum, ordo contra ordinem ex quadam praua inclinatione assurgit, cum quilibet suas, suosque prædicare, & promouere tentans, consequenter personas etiam miraculis claras, ac miracula, & sancta aliorum opera vilipendit, interpretatur, aut minus æstimat, ne videantur suæ intentioni officere; & subdit idem Marchant. Nota occultum, sed frequentissimum hoc sęculo peccatum, etiam, Ehù, inter eos, qui perfectionem profitentur, quos ob uanam sub velamine gloriæ Dei iactantiam iaculum occultæ inuidiæ necat.

Arg. 1. Quod inuidia non sit vitium capitale. Inuidia est filia inanis gloriæ; ex Arist. 2. Rhetor. ubi ait, quod Amatores honoris, & gloriæ magis inuident, ergo &c.

Resp. Nicol. de Nyse ex D. Greg. non esse contra rationem vitij capitalis, quod unum oriàtur ex alio; sed sufficit, quod habeat aliquam principalem rationem originandi multa genera peccatorum.

Arg. 2. quod inuidia non sit peccatum. In omni peccato, teste D. Aug. regnat libido; sed ubicunque regnat libido, est improba delectatio, at in inuidia nulla videtur esse delectatio, cum sit tristitia quædam; ergo &c.

Resp. ex Nicol. de Nyse, quod D. Aug. sumit ibi libidinem pro improba voluntate, & non pro delectatione immoderata; & ideo argumentum nil probat &c.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum Accidia sit peccatum capitale, & mortale.

NOt. 1. quod duplex definitio de Accidia à Doctoribus passim traditur. Altera est D. Thomæ eam sic describentis. Accidia est tristitia de bono spirituali, seu diuino; Altera est huiusmodi: Accidia est quidam remissi animi languor ad benè operandum in rebus salutis. Potest autem Accidia diuersis modis considerari: Primò ut est quidam motus, & passio naturalis corporis ex complexione malè affecta originem ducens; quæ dici potest torpor, & hebetudo quædam virium naturalium deficientium respe-

cta

ctu laboris suscipiendi; & sic non est peccatum; immò ut aduertit Gerson in reg. moral. tit. de Accidia Tædium boni proueniens ex malitia complexionis auget meritum, & laudem, si quis illud superare conetur: 2. spectari potest, ut est passio appetitus sensitiui laborem, & difficultatem operis refugientis; & hic motus pariter non est peccatum, etsi peccati incentiuum sit; si voluntas deliberatè ei consentiat, & iuxta rationem obiecti ad veniale, vel mortale inducit: 3. sumi potest pro quodam tædio boni spiritualis, & salutaris, quatenus laboriosum, & difficile est.

Not. 2. quod tædium illud, seu tristitia, in qua consistit Accidia circa duo versari potest: vel circa aliquod præceptum, & exercitium alicuius virtutis in speciali, quatenus est molestum carni, aut sensualitati, & eius delectationum impeditiuum; & hoc modo non est peccatum speciale; sed iuxta præceptum, aut virtutem, cui opponitur, vel cui contradicit, rationem peccati sumit: e. g. Ioannes ex sola apprehensione difficultatis voluntariè resoluit non ieiunare, ad quod obligatur sub pœna peccati mortalis: talis Accidia non est peccatum speciale, sed identificatur peccato transgressionis ieiunij; ac proinde sola transgressio est in confessione aperienda; Vel versatur circa Deum, & bonum diuinum, quatenus Deus diligendus est & omnia ad bonum diuinum, quod est ipse Deus, ut est finis noster, ordinantur: & hoc modo est speciale peccatum charitati, & dilectioni Dei oppositum, quia à dilectione Dei, & procuratione salutis, ac boni diuini hominem auertit, ad quæ ex præcepto speciali charitatis homo tenetur.

Not. 3. quod ex D. Greg. sex filiæ Accidiæ assignantur, quæ sunt, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, & vagatio mentis circa illicita; quarum numerus, & sufficientia sic ostenditur ex Nicolao de Nyse. Quia enim, ut dicit Arist 8. Eth. malus non potest diù absque delectatione manere cum tristitia, ideò ex tristitia contingit aliquid dupliciter oriri. Vno modo, ut homo recedat à contristantibus, alio modo, ut transeat ad delectantia; sic enim illi, qui ob vitam carnalem, quam ducunt non possunt gaudere spiritualibus delectationibus, se transferunt ad corporales, ut testatur etiam idem Philos. In fuga autem tristitiæ primò fugit homo contristantia,

tia, & ſecundò etiam impugnat ea, quæ triſtitiam ingerunt, ſpiritualia autem bona, de quibus Accidia triſtatur, ſunt finis, & id, quod eſt ad finem: fuga autem finis fit per deſperationem, fuga verò eorum, quæ ſunt ad finem, quantum ad ardua, quæ ſubſunt conſilijs, fit per puſillanimitatem; quantum verò ad ea, quæ pertinent ad communem iuſtitiam fit per torporem circa præcepta. Impugnatio ſiquidem bonorum ſpiritualium contriſtantium quandoq; eſt contra homines, qui ad bona ſpiritualia inducunt, & hæc dicitur rancor: Quandoque eſt contra ipſa ſpiritualia bona, quæ deteſtatur aliquis. & hæc propriè eſt malitia. In quantum verò propter triſtitiam aliquis ſe transfert ad delectabilia exteriora, ponitur euagatio circa illicita; unde patet, quod malitia hic non ſumitur ſecundùm quod eſt genus omnium vitiorum; neque rancor accipitur hic pro odio, ſed pro quadam indignatione contra eum, qui ad ſpiritualia bona inducit; neque pariter vagatio mentis circa illicita ſumitur hic prout generaliter reperitur in omni peccato, ſed ut ſupra indicatum eſt.

I. Concl. Accidia prout eſt triſtitia de bono ſpirituali, & diuino, eſt vitium capitale, & ex ſuo genere eſt peccatum mortale. Hæc eſt communis; & quoad 1. part. conſtat ex dictis, cum ſint enumeratæ filiæ, quę Accidiæ competunt: 2. pars prob. Nam Accidia aduerſatur charitati diuinæ per actum oppoſitum; charitas namque Dei in ſe includit quoddam gaudium de bono diuino quatenus diuinum; accidia autem includit triſtiam, ſeu auerſionem à bono ſpirituali, quatenus bonum eſt; vel quatenus ad Deum refertur, ſed hoc eſt grauiſsimum vitium, ergo Accidia ex ſuo genere eſt peccatum mortale, niſi leuitas materiæ, vel actus indeliberatio adſit, & excuſet. Tunc autem cenſetur Accidia aduerſari charitati in materia graui, quando, ut docet Petrus Marchant' ex illa oritur auerſio à Deo, & bono diuino, negligentia grauis ſalutis, contemptus virtutis, conuerſio totalis ad creaturam; & quædam in illis immerſio. Signa autem huius Accidiæ ſunt; ſi quis non niſi cum triſtitia audire poteſt conferre de Deo, de æterna beatitudine, de ſalute procuranda, de operibus ad ſalutem neceſſarijs, de voluptatibus huius ſæculii fugiendis. Hinc fugit conuerſationem illorum, qui de illis monent &c. & quęrit ſolatium in creaturis.

II.

II.Conc. Accidia, prout est quidam remissi animi languor ad benè operandum in rebus salutis, est tantum peccatum veniale ex genere suo. Ratio est euidens; quia per se non aduersatur charitati, sed tantùm eius feruori, & virtuti fortitudinis: ergo motus accidiæ, quando est propter repugnantiam carnis, ut paulò superiùs explicatum est, non censetur nisi peccatum veniale; immò si ratio viriliter detestetur, nullum penitùs est peccatum, sed materia exercendæ virtutis; quod iuxta Nicol. de Nyse intelligendum est etiam in omni genere peccati.

Arg. quòd accidia non sit peccatum. Accidia est quædam passio, quia teste Damasc. est species tristitiæ, ergo non est peccatum. Resp. dist. conf. non est peccatum, prout est pura passio appetitus sensitiui refugientis laborem, & difficultatem operis; conc. conf. non est peccatum, ut est tristitia de bono spirituali; neg. conf. quia sic aduersatur charitati; & licet tristitia possit oriri ab appetitus passione, attamen cum voluntas teneatur regulare omnes inferiores passiones, quæ sunt materialiter peccaminosæ, seu incentiuum ad peccatum, peccat iuxta grauitatem materiæ, circa quam versatur.

Quæres quale peccatum sit: Si quis fastidiosus vitæ, & ærumnarum deliberatè optat, se nunquam fuisse natum, aut conceptum; aut potiùs esse brutum.

Resp. Nauar. Siluest. Tolet. & Fernandez p. 4. c. 2. §. 8. de Accidia peccare mortaliter eũ qui sic deliberatè optat; idem dicendum de eo, qui desiderat perpetuò manere in terra, & cedere Deo cœlum suum; is enim peccat grauissimo peccato mortali contra præceptum spei diuinæ, qua quisque obligatur Deum, & diuina præ omnibus rebus creatis sibi concupiscere, Ita Stephanus à S. Paulo in sua Theol. morali; & addit cum Burgaber etiam peccare coniuges dicentes deliberatè, se desiderare, ut detur sibi perpetuò in terra conuiuere; nisi hoc loquendi modo solùm velint indicare vehementiam amoris coniugalis. Verùm clariùs, & meliùs respondet Herincx p. 3 disp. 13. q. 2. de accidia, qui postquam dixit, tristitiam de bono diuino, idest amicitia Dei, & statu filij adoptiui ob tædium laborum, & difficultatum esse graue peccatum mortale; subdit. Hac ratione Accidiosis displicet quod sint à Deo creati, ut per

exercitia laboriosa virtutum debeant peruenire ad beatitudinem, aliàs damnandi. Vnde interdum vellent se non esse creatos, præsertim ad talem finem; neque esse cœlum, aut infernum, aut se esse animal, seu brutum, ut liberi à præceptis possent sine timore suis cupiditatibus, aut otio indulgere. Sed quid de eo, quem tædet, seu pænitet assumpti status religiosi (idem est cum proportione de statu sacerdotali) respondet idem Herincx: quod sicut non tenebatur quis statum istum assumere; sic nec tenetur de assumpto lætari: Quàmuis huiusmodi affectus non soleant cadere in bonos Religiosos; cum sint ingrati animi erga Deum, qui ad religionem à sæculo eos vocauit, argumentum, nec parum periculosi, atque adeo omninò dissuadendi: & suadendi Religiosi, ne eos pæniteat talem statum assumpsisse; sed potiùs iuxta statum assumptum non viuere; sicque se reprehendere, & omni conatu à negligentia, & torpore se emendare.



TRACTATVS SEPTIMVS DE LIBERO ARBITRIO, ET GRATIA D. ACTVALI, ET HABITVALI.

DISPVTATIO I.

De libero arbitrio.

QVÆSTIO I.

Quid ſit liberum arbitrium.

NOt. ex Scot. in 4. d. 14. q. 3. ad 2. quod triplex eſt liberum arbitrium, nempe Diuinum, Angelicum, & humanum; ſicut triplex eſt natura intellectualis, Diuina, ſcilicet, Angelica, & humana; impræſentiarum non intendimus inueſtigare rationem, & quidditatem Diuini lib. arb. de quo aliqua dicta fuerunt in 1. part. neque de Angelico, ſed tantum de humano; de quo variæ afferuntur definitiones. Prima eſt Magiſt. ſent. deſumpta ex D. Aug. lib. de eccleſ. dogm. c. 21. ubi ſic docet. *Liberum arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente, vel malum gratia deſiſtente*. Secunda eſt D. Anſelm. de lib. arb. c. 3. *Liberum arbitrium eſt poteſtas ſeruandi rectitudinem voluntatis, propter rectitudinem ipſam*; ſed ut clariùs innoteſcat ratio quidditatiua lib. arb. ſit.

Concl. Liberum arbitrium eſt facultas actiua cum indifferentia contradictionis, & contrarietatis ad operandum, adeout poſitis omnibus prærequiſitis ad operandum poſſit agere, vel non agere, & agere hoc, vel oppoſitum. Hæc diffinitio colligitur ex Scot. in 2. d. 25. q. vn. & diſt. 12. q. 1. Prob. & explicatur. Hæc diffinitio explicat optimè

mè naturam lib. arb. Nam ly, facultas eſt genus, & ſimul indicat lib. arb. non eſſe purum actum, ut putant Herueus, & alij, ſed potentiam quandam, & principium elicitiuum; ly actiua inſinuat lib. arb. eſſe de genere potentiæ actiuæ, & non potentiæ paſſiuæ, ut imaginantur Hæretici aſſerentes lib. arb. eſſe velut inane quoddam nihil omninò agens; ac proindè merè paſſiuè ſe habere; quod damnatur à Trid. in ſeſſ. 6. can. 4. ly cum indifferentia contradictionis, & contrarietatis, denotat, lib arb. hominis eſſe perfectè liberum, ut infra oſtendetur; & reliquæ particulæ aliqualem perfectam libertatem explicant. Ex qua definitione infertur primò. Quod liberum arb. non eſt aliquis habitus, vel facultas quædam operandi, deriuata ex connexione, ſeu coniunctione rationis, & voluntatis, ut videntur ſentire quidam veteres Theologi. Etenim lib. arb. eſt potentia inſita, & intrinſeca naturæ, ac proindè inammiſſibilis; non ſic autem ſe habet habitus ex actibus acquiſitus. Tum quia omnis habitus ex ſui natura, cum determinet ad unum, & non inclinet ad oppoſitum, vel omninò tollit indifferentiam à potentia, vel ſaltem illam diminuit. Infertur 2. lib. arb. non eſſe aliquod coaleſcens ex actibus intellectus, & voluntatis, ut opinantur Durand. & quidam alij, quia tales actus ſuperadduntur potentijs, à quibus, cum ſint quid realiter diſtinctum, poſſunt ſeparari; & ſic lib. arb. deficere, quod eſt manifeſtum abſurdum, & contra Concilia, & Patres vocantes libertatem voluntatis liberum arb. atque unum pro altero uſurpantes.

Arg. 1. D. Bernard. & Magiſt. ſent. deſcribunt lib. arb. per iudicium intellectus, & facultatem rationis; ergo lib. arb. non eſt facultas. Reſp. conſuetum eſſe potentiam ſignificari per actum, & ſic voluntas modò ſumitur pro actu, modo pro potentia.

Arg. 2. probando indifferentiam lib. arb. ad operandum conſiſtere non in ſola voluntate, ſed etiam in intellectu.

Iudicium intellectus quamdiu eſt determinatum, voluntas nequit ad quamlibet contradictionis partem exire; eò quòd neceſſitatur ab illo iudicio, ut velit, vel nolit: ergo tota ratio lib. arb. non eſt in ſola voluntate, ſed formaliter in voluntate, & radicaliter in intellectu.

Reſp. neg. aſſumptum, quia indifferentia intellectus v.g.

ad

ad amandum vel non amandum est prorsus naturalis, non verò libera, ut aliàs dictum est.

Quæres. An de potentia Dei possit dari potentia intellectiua libera, Resp. Arriaga affirmatiuè disp. 5. sect. 3. eò quòd non appareat in hoc repugnantia. Verum non satis solide, inquit Herincx, hoc solo titulo asseritur rei possibilitas, quando meritò prudens suspicatur latere repugnantiam, etsi fortasse nobis non clarè apparentem. Et certè concipi non potest quo modo potentia intellectiua ex sui natura intellectualis formari possit libera, cum liberum, & naturale sint rationes formaliter diuersæ, ac proinde incompossibiles, nisi fingere velimus chimæras.

QVÆSTIO II.

Vtrum in homine reuerà reperiatur liberum arbitrium.

NOt. 1. Quòd Stoici, & Priscillianistæ, & eorum sequaces negarunt, hominem esse præditum lib. arb. quo posset pro libitu operari; sed asserebant, omnia hominis opera quadam necessitate fatali euenire. Hunc eundem errorem suscitarunt Abailardus, & Vvicleph. ut constat ex actis Concil. Constan. sess. 8. & ex recentioribus Luter. lib. contra Erasmum de seruo arbitrio, & assert. 36. dicit lib. arb. est figmentum in rebus, & titulus sine re; quem errorem deinde moderauit dicendo, posse quidem in homine admitti lib. arb. respectu actionum externarum, & ciuilium, non verò respectu moralium, & in ordine ad salutem supernaturalem animæ, Luthero subscribitur Caluinus, Bucerus, & alij Hæretici moderni; qui ulterius modificant asserendo (signanter Caluinus) posse tamen concedi hominem esse liberum respectu coationis, quia non agit coactè, licet non sit liber à necessitate, quia necessariò facit, quæcumque facit; cui videtur fauere Iasenius olim Episcopus Iprensis, ut infra ostendetur.

Not. 2. Quòd Principes Scolastici, nempè Alex. Alens. D. Thom. D. Bon & Scot. nec non plures alij ex veteribus, interdum appellant voluntatem liberam, etsi necessariò agat, dummodo tamen non coactè agat; & sic liberum confunditur cum perfectè voluntario, quale reperitur in amo-

re

re necessario, quo Deus amat seipsum. Vnde in hoc sensu Pater, & Filius spirant Spiritum S. Verùm præcitati Doctores non loquuntur de libero, quatenus requiritur ad bonos mores, & malos, siue ad meritum, & demeritum, ut inter alios rectè obseruat Herincx contra Hæreticos Doctorum Cathol. auctoritatibus pessimè abutentes, qui discurrendo disp.2.de libert.act. human. q.1. ita subdit. Phrasi Scotistarum prior libertas dicitur essentialis, & physica; estque solùm lubentia quædam; posterior autem accidentalis, & ab actu voluntatis separabilis; & denique moralis, quæ etiam sola simpliciter stat hodie pro libertate. Phrasi D. Bon. à priori dicitur arb. lib. à posteriori verò deliberans. Phrasi denique D. Thomæ à priori dicitur voluntas libera, à posteriori verò lib. arb. & Scotus pluribi se ostendit propugnatorem lib. arb. & signanter in 1. d. 25. q. un. & in 2. d. 25. q. un. & in 3. d. 17. q. 1. ubi docet sic. Dicitur autem libera voluntas inquantum in potestate eius est ita elicere actum oppositum eius inclinationi, siue conformem, & non elicere, sicut elicere. Quibus verbis non poterat Doctor clariùs exprimere indifferentiam lib. arb. humani.

I. Concl. Liberum arb. est adeò proprium naturæ intellectualis humanæ, ut nec per Dei potentiam, homo creari possit sine lib. arb. Hæc est conformis principijs Scoti, & Theologorum, & prob. breuiter. Nequit homo esse formaliter homo sine partibus essentialiter illum constituentibus, quæ sunt corpus, & Anima rationalis; sed Anima rationalis, cum sit natura intellectualis impossibile est, quod non sit prædita potentijs, & maximè intellectu, & voluntate, in quibus fundatur lib. arb. ergo etiam per potentiam Dei nequit homo esse sine lib. arb.

Cæterùm, quod de facto nobis insit lib. arb. naturali experientia est omnibus notissimum. Quid enim notius quàm in nostra potestate sit sedere, vel stare, loqui, vel tacere? Quare hoc negantes, tormentis, vel igni exponendi sunt, inquit Auicenna, quousquè concedant in potestate Tortoris esse illos comburi, vel non comburi, torqueri, vel non torqueri.

II. Concl. Datur in homine etiam lapso liberum arbitrium: est de fide contra recensitos hæreticos. Prob. ex S.

Scrip. n. 38. *In arbitrio viri erit, siuè faciat, siuè non faciat*: & Iof. 24. *Optio vobis datur eligere, quod placet*; ergo in homine etiam lapso datur lib. arb. nomine optionis, & electionis clarè expressum, tam in ordine ad actiones ciuiles, quàm morales; cum auct. Scrip. generaliter, & indefinitè loquantur, non solum in loc. cit. sed etiam in pluribus alijs.

Prob. 2. auct. S. S. Concil. nempè Bracarens. 1. can. 10. Arausic. can. 25. & deniquè Concil. Trid. sess. 6. can. 4. ubi sic dogmatizzat, & definit. *Liberum arbitrium cooperari assentiendo Deo excitanti, & posse dissentire si velit*; & sess. 6. can. 5. contra Lutherum. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse, dixerit, aut rem esse de solo titulo &c.* anathema sit. Hanc eandem veritatem tradunt SS. PP. quos Doct. moderni plena manu exhibent.

Prob. ratione. In homine est vis consultandi, ergo, & eligendi: sed ubi est vis eligendi, ibi est etiam libertas arbitrij, cum ea nil aliud sit, quàm potestas eligendi, quod velit, ergo &c. Confirm. Quia si in homine non esset lib. arb. frustra Deus ei dedisset leges obseruandas sub pœna peccati mortalis, cum illas defectu libertatis non haberet in sua potestate ut obseruare posset; Vnde D. Aug. lib. de fide cont. Manich. c. 10. *Quis non clamat stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur, facere*; ergo in homine etiam lapso reperitur liberum arbitrium.

Arg. 1. cont. 2. Concl. ab hæreticis varias scripturas afferentibus; quibus nituntur euertere lib. arb. D. Paulus ad Rom. 7. dicit. *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, illud facio*; ergo homo non habet lib. arb. ad agendum, vel non agendum malum. Item 2. c. 8. *Non est volentis, seu currentis, sed miserentis est Dei*; & ad Eph. 1. *Qui operatur omnia in nobis*: ergo non est in homine lapso liberum arbitrium.

Resp. ad omnes auctoritates; & quidem ad primam dicitur, quod D. Paulus illis verbis solum vult ostendere, in homine lapso adesse magnam difficultatem etiam cum auxilio Dei superandi appetitum sensitiuum contra rationem rebellem, & insurgentem. Vnde fit, quod voluntas sæpè immoderatè condelectetur obiecto delectabili appetitus sensitiui; ac proindè agit malum, quod aliàs non vult secundùm regulam recti dictaminis. Ad cæteras auctorit. resp. quod solùm licet inferre ex illis, hominem sine Dei adiu-

adiutorio non poſſe elicere actus ſupernaturales; Ideòque non volentis: ſed miſerentis eſt Dei; & in hoc pariter ſenſu Deus operatur omnia in nobis.

Arg. 2. In Prou. c. 21. *Cor Regis in manu Domini eſt. & quò voluerit vertet illud*, ergo non poteſt in homine conſiſtere liberum arbitrium. Reſp. neg. conſ. & ratio eſt, quia etſi Deus poſſit, & ſoleat cor Regis vertere quo voluerit, tamen huiuſmodi verſio fit Rege liberè conſentiente, & ſe ad talem verſionem determinante.

Arg. auct SS. PP. qui videntur docere, liber. arb. peccato Adæ eſſe deperditum, & præſertim D. Aug. in Epiſt. 107. ad Vital. ait: *Liberum arb ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*; & in Enchirid. c. 30. *Lib. arbitrio malè vtens homo, & ſe perdidit, & ipſum*; ergo in homine lapſo non eſt &c. Reſp. PP. & Aug. ſolum velle Adam, & nos in eo perdidiſſe lib. arb. quoad accidentalia, non verò quoad ſubſtantiam; remanſit ergo ratio formalis lib. arb. ſed perdidimus ob peccatum dominium diſpoticum ſuper appetitum ſenſitiuum, à quo trahitur noſtra voluntas, adeout ſine maxima difficultate non auertat ſe ab eo, quod appetit concupiſcentra. Quod autem in hoc ſenſu ſit loquutus D. Aug. liquidò conſtat ex eius doctrina, & præſertim in lib. 1, cont. 2. Epiſt. Pelagij c. 2. ubi ait. *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit lib. arb de humano genere?* & poſtea ſubdit. *Libertas quidem perijt per peccatum, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam; propter quod natura indiget gratia.* Hæc D. Aug. & lib. 2. cap. 15. *Peccato Adæ lib. arb. de natura hominum periſſe non dicimus; ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis Diabolo; ad benè autem piequè viuendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata.*

QVÆSTIO III.

Vtrum ad merendum, & demerendum ſufficiat libero arbitrio libertas à coactione.

NOt. 1. Quòd à Theologis triplex diſtingui ſolet libertas, nempe à ſeruitute, à coactione, & à neceſſitate. Prima eſt illa, qua liberè cenſentur, qui non ſunt manci-

 pia,

pia, seu non subditi propriè dicti, & ad hanc reuocatur libertas à peccato, à miseria, à Diabolo, & huiusmodi. 2. est illa, qua quis in agendo ita est liber, ut non cogatur ab extrinseco, licet non maneat in ipso indifferentia ad oppositos actus; sic quodammodo Beati dicuntur diligere Deum liberè; & hæc libertas interdum coincidit cum spontaneo, quod conuenit etiam Brutis, quæ, etsi ducantur, & determinentur ad agendum à naturali appetitu, non tamen coguntur, quia coactio attenditur à principio extrinseco, non conferrente vim passo, ut explicatum est in tract. de actibus humanis: 3. libertas dicitur à necessitate, & est quà quis positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, vel non agere, vel agere hoc, vel eius oppositum, & huiusmodi libertas dici etiam solet libertas indifferentiæ, & ad opposita; quæ si sit ad contradictoria dicitur libertas contradictionis: si ad opposita dicitur contrarietatis, ut aliàs explicatum fuit.

Not. 2. Quod hæretici fatentur quidem, hominem etiam in natura lapsa, mansisse liberum, sed tantum à coactione, non vero à necessitate; dicẽtes, absolutam, & antecedentem necessitatem voluntati hominis inferre; adeout dum benè agit, necessariò benè agat, & dum malè agit, necessariò malè agat. ac proindè non reperitur in homine lapso libertas indifferentiæ. Idquè deducunt ex falso, & impio principio Ideò enim putant Hæretici, nempe Lutherani, Caluinistæ, Manichæi, & VVicleffistæ, hominem non remansisse liberum libertate indifferentiæ post peccatum, quia, posito Adæ peccato, Deus decreuit saluare tantùm certum numerum hominum, qui prædestinati dicuntur, alios verò relinquere in massa perditionis. Insuper voluit Deus, in executione prædestinationis illorum, dare prædestinatis gratias efficaces. quibus voluntas nequit resistere, & reprobis talem gratiam negauit, ac proindè necessariò peccant. Quarè ex hoc impijssimo principio inferunt, quod nec reprobi, nec prædestinati sint indifferentes ad bonum, & ad malum; Non quidem prędestinati, quia mediante gratia supradicta, non possunt non consentire, & se non conuertere. Nequè reprobi, quia bonum operari non valent, cum careant gratia, qua possint bonum operari; & sic concupiscientia moti irreparabiliter in peccata labuntur.

Not.

Not. 3. quod Iansenius Episcopus Iprensis circa lib. arb. facultatem videtur sentire cum Caluinistis, & alijs Hæreticis. Etenim si per liberum arb. intelligatur potentia voluntaria, quæ se spontè, & non coactè determinet; fatetur Caluinus æquè ac Iansenius existentiam lib. arb. ut notant Doct. Moderni; & signanter Herincx, Frassen, & Boyuin in tract. de gratia. Vnde Caluinus lib. 2. cont. Pichium dicit, si coactioni opponitur libertas, lib. arb. & fateor, & constanter asseuero: At si per lib. arb. intelligatur facultas indifferens, negat apertè illud Caluin. in antidoto Conc. Trid. ad can. 5. sess. 6. ubi insolenter ait esse titulum sine re. Cæterùm idem profitetur Iansenius, volens omnem voluntatis indifferentiam perijsse in homine lapso, & solam remansisse necessitatem, quæ oritur, vel ex concupiscientia, dum fit malum, vel ex efficacitate gratiæ medicinalis, dum quis bonum operatur.

Not. 4. Quod Iansenius in lib. 6. de gratia Christi c. 34. sic habet. In Angelis, & in primo homine indifferentissimum fuisse liberum arbitrium ad bonum, & ad malum; in hominibus autem lapsis viatoribus itidem indifferens esse, sed longè minus, utpotè, qui vident aliàm legem in membris repugnantem legi mentis, & captiuantem eos sub lege peccati. In his videtur Iansenius cum Catholicis indifferentiam lib. arb. fateri. Sed quam indifferentiam admittat, aduertite quæso, inquit Boyuin in tract. de gratia Christi, & videbitis eum in omnibus esse fallacem, & captiosum. Non enim dicit voluntatem esse liberam à necessitate absoluta, sed à necessitate immutabilitatis, in quantum pro eo instanti, quo agit voluntas bonum, posset non agere, si videlicet gratia abesset, & dum malum operatur, posset illud non operari, si nempè gratia adesset, & in hoc ponit suàm indifferentiam, quæ est indifferentia tantum in sensu diuiso; quod non sufficit secundum Catholicos, qui ponunt indifferentiam in sensu composito; dicentes, quod, licet voluntas habeat gratiam, possit tamen non agere, & licet pulsetur à concupiscientia, possit vitare peccatum, quia ad hoc numquam deest gratia. Vndè meritò Innocen. X. Bulla incip. *Cùm occasione*. Damnauit hanc Iansenij propositionem, velut hæreticam.

Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requi-

 ri-

ritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione; & Trid. iam definierat sess. 6. can. 4. *Liberum arb. cooperari assentiendo Deo excitanti, & posse dissentire si velit*. Sit igitur.

Concl. Fide certissimum est, in homine etiam lapso reperiri libertatem à necessitate, ac proinde libertatem à coactione non sufficere ad merendum, & demerendum.

Prob. 1. ex S. Scrip. Gen. 4. Deus ait Cain. *Quarè iratus es, & cur concidit facies tua? Non ne si benè egeris recipies? Sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit, &c. Sub te erit appetitus tuus; & tu dominaberis illi*, ex quibus verbis liquidò patet libertas indifferentiæ hominis etiam lapsi. Item Ecclesiast. c. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, ideò stabilita sunt bona illius in Domino*. Si potuit autem facere mala, & non fecit; immò fecit bonum, ergo ad utrumquè erat indifferens. Prob. auct. Concil. Arauf. Senon. & signanter Trid. damnantis Caluinum, & Lutherum asserentes, hominem lapsum remansisse liberum solummodò à coactione; sess. 6. can. 5. *Si quis dixerit liberum arb. post Ada peccatum extinctum, & amissum esse, anathema sit*, & can. 4. *Si quis dixerit lib. arb. à Deo motum. & excitatum non posse dissentire, si velit, anathema sit*. Quæ quidem damnatio militat directè etiam cont. Iansenium, asserentem quod gratia sit talis efficacitatis, ut non possit illi resistere voluntas creata. Eandem doctrinam tradunt SS. PP. videndi apud Doctores modernos supracitatos.

Arg. cont. concl. ab aduersarijs afferentibus quosdam S. Scrip. textus, quibus etiam alibi satisfactum est: ac proinde non opus est in illis explicandis immorari. Itaque breuiter, quando ipsi dicunt. A Domino sunt gressus viri.

Resp. quia nos dirrigit per suas inspirationes, & per suam gratiam, cui tamen resistere possumus. Quando pariter in Ezech. 36. dicitur *Dabo vobis cor nouum &c. & faciam, vt in præceptis meis ambuletis*; ex hoc tamen non debet concludi, quod homo solo tractu necessariò sequatur, & nihil eius voluntas præstet in ordine ad bonum opus; etenim qui dicit dabo vobis cor &c. dicit etiam ad Ephes. 2. *Renouamini in spiritu mentis vestræ*. Si dicant ex Ioan. c. 8. *Si vos filius liberauerit verè liberi eritis*: sed reprobi non liberantur, ergo verè liberi non sunt. Resp. quod triplex est libertas, à peccato, à miseria, & à necessitate, ut significatum est supra. Si ergo

nos

nos liberauerit Christus, verè liberi erimus à peccato, quos verò efficaciter non liberauit non sunt liberi à peccato, idque non ex parte Dei, sed hominis non cooperantis; sunt tamen liberi à necessitate, cum sit in eorum arbitrio benè agere, vel malè, agere, vel non agere.

Arg. 2. ex D. Aug. Illud nobis est liberum; quod est in nostra potestate, & illud est in nostra potestate, quod fit cum volumus, sed ex Iansenio omnis volitio, eo ipso quo volitio est, fit cum volumus, ergo omnis volitio est libera, licet sit necessaria. Maior quoad utramque partem est D. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 3. & minor est Iansenij lib. 6 de gratia Christi. Resp. Verissimam esse 1. part. mai. nam in nostra potestate est nostra volitio, & illud est in nostra potestate, quod ita à nobis dependet, ut illud possimus facere, & non facere: at volitio necessaria non est in nostra potestate. Cæterùm, etsi Aug. lib. de Ciuit. Dei cap. 10. videatur admittere aliqualem necessitatem; non tamen admittit necessitatem in sensu Iansenij. Agebat enim D. Aug. contra doctrinam Ciceronis, qui ex præscientia Dei infallibili concludebat nihil esse liberum, sed omnia esse necessaria; cui respondet D. Aug. ea esse necessaria necessitate subsequenti (quam nos vocamus in sensu composito) quæ non tollit libertatem agentis rationalis; cum præsupponat, quod agentia intellectualia ad hoc, vel illud sint liberè se determinatura, antequam Deus eorum determinationes præuideat, quo sensu non tollitur libertas indifferentiæ, ut in 1. part. ostensum est. Verùm Iansenistæ à veritate deuiant, dum admittunt in actibus humanis necessitatem antecedentem, quæ est vel à gratia respectu boni, vel à concupiscientia respectu mali.

Dices. D. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei c. vlt. docet, *Beatos multò liberiores esse in Cælo, vbi peccare non possunt*, ergo in via non erant liberi libertate à necessitate. Resp. D. Aug. sumere ibi liberum arb. prout opponitur seruituti à peccatis.

Arg. Iansenius lib. de gratia Christi c. 12. Aug. & alij PP. opponunt libertatem coactioni, dicentes, quæcumque fiunt sponte, fieri liberè; Scholastici pariter veteres semper explicant libertatem per exemptionem coactionis, ergo sufficit lib. arb. libertas à coactione. Resp. 1. ad PP. antiquos, ipsos non distinguere inter coactionem, & necessita-

tem; dum enim dicunt voluntatem non cogi, volunt idem esse, ac non necessitari; ut patet ex eorum doctrina; ubi Patres cum dicunt, voluntatem non cogi, explicant, dicentes illam manere indifferentem, vel posse ad utrumlibet se determinare, vel actum semper remanere in suâ potestate, ut videri potest apud Clementem Rom. Epist. apud Irenæum lib. 4. cap. 71. apud Hilarium in psal. & apud alios. Quarè in eodem sensu loquuntur, quando dicunt, id fieri liberè, quod fit spontè; nam per fieri spontè intelligitur aliquid fieri taliter, ut ille actus remaneat in potestate voluntatis. Resp. 2. ad scholasticos veteres; illos ante errorem Lutheri, & Caluini, & ante Concil. Trid. communiter intellexisse per coactionem, omnem antecedentem necessitatem, siue fuisset ab extrinseco, quæ propriè dicitur coactio, siue ab intrinseco, in quo stat ratio necessitatis. Vnde asserentes voluntatem esse liberam, quia non est coacta, nec violenta, indicare volebant, nullam illi necessitatem imponi, sed ita esse suorum actuum dominam, ut esset in sua potestate ad quælibet se determinare ob suam libertatem indifferentiæ. Quidam autem usurpabant, ut supra nomen liberi pro voluntario.

Arg. 2. Si admitteretur libertas indifferentiæ, ergo nulla esset differentia inter gratiam sanitatis, & medicinalē, quod contradicit D. Aug. docenti gratiam sanitatis differre à gratia medicinali per hoc, quod primæ potuerit Adam resistere, & quod nunquam resistatur secundæ. Resp. pro nunc, nam de gratia sanitatis, & medicinali erit sermo in disp. 2. falsum esse quod nostra voluntas resistere gratiæ medicinali nequeat. Quod si Aug. dicat gratiam medicinalem semper habere suum effectum, intelligendus est de gratia medicinali efficaci; dum etiam loquitur de auxilio, quò quod datur in natura lapsa, & dat reuerà effectum, intelligitur pariter de auxilio quò efficaci, non vero sufficienti.

Arg. 3. Si homo gaudet libertate indifferentiæ, ergo haberet potentiam ad bonum, sicut ad malum: sed cons. est hæreticum, ergo & ant. est falsum. Resp. neg. cons. mai. ratio, quia homo non habet potentiam ad bonum nisi per gratiam; malum autem ex se potest operari.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ſit de ratione agentis liberi, ut, poſitis omnibus natura, & cauſalitate ad agendum, poſſit non agere in ſenſu compoſito.

NOt. 1. Quòd circa hanc quæſt. non eſt leuis controuerſia inter Thomiſtas, & Scotiſtas modernos. Etenim Thomiſtæ, & ſignanter Gonet tom. 3. Comp. theol. tract. 2. c. 4. §. 4. contendit non eſſe de ratione agentis liberi, ut poſitis omnibus natura, & cauſalitate requiſitis ad agendum, poſſit non agere in ſenſu compoſito; quod hac ratione probat. Ea, quæ ſecundùm ordinem naturæ tantùm prærequiruntur ad agendum ſunt ſimul cum actu (prioritas enim naturæ eſt ſolùm prioritas cauſalitatis, & inſtantis à quò, non vero naturæ, & inſtantis in quò) unde quia, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, impoſſibile eſt. quod, poſitis omnibus neceſſario præreqniſitis in agente libero ut operetur, poſſit non agere in ſenſu compoſito ſeu negationem actionis cum illis componere; aliàs poſſet non actum cum actu, & formam cum eius negatione componere: hactenus Gonet. E contra Scotiſtæ, & Neutrales nobiſcum ſentientes, ideoque pro maiori claritate ſit.

Not. 2. Quòd, licèt duo actus inter ſe ſimul repugnent, & ſint incompoſſibiles. non tamen repugnat unam, & eandem facultatem ſimul eſſe potentiam ad utrumque actum, ita ut particula, ſimul, non ad actus inter ſe componendos, ſed ad potentiam referatur v. g. in homine eſt potentia ſimul ad ambulandum, & ad ſedendum; non tamen ut ſimul utrumque faciat, cum inter actus ipſos ſit repugnantia, & incompoſſibilitas; hinc ortum habuit illa diſtinctio communiter recepta de ſimultate potentiæ, & de potentia ſimultatis. Siquidem in lib. arb. eſt ſimultas potentiæ ad operandum. & non operandum, licèt in eo non ſit potentia ſimultatis ad actus contrarios, vel contradictorios: ad quod explicandum applicatur communis diſtinctio ſenſus compoſiti, & diuiſi; nam potentia de ſe actiua ad utrumq; ſub uno actu exiſtens, in ratione poteſtatis, quam retinet, dicitur poſſe alium actum facere in ſenſu diuiſo, non tamen in ſenſu compoſito; eò quòd manens ſub actu non poteſt alium actum ſimul habere.

Concl.

Concl. Definitio tradita superius potentiæ liberæ, nempè ut positis omnibus prærequisitis possit agere, & non agere, ita est intelligenda, ut verbum illud (potest) faciat sensum compositum, & non diuisum, hoc est cum illa potentia, & omnibus prærequisitis possit componi, idest simul poni tam actus, quàm carentia actionis, simultate quidem potentiæ, quia hoc postulat formalis, & intrinseca vis, & indifferentia potentiæ liberè.

Prob. concl. Ad hoc ut actus voluntatis sit liber, oportet ut sic egrediatur ab ipsa voluntate, ut prius natura quam ponatur, possit non poni, seu ut voluntas quatenus concipitur nondum esse sub actu, qui dicitur liber, possit illum non ponere, etiam positis omnibus prærequisitis, adeout eodem tempore sit potentia ad actum, & ad eius omissionem, ergo ad libertatem creatam non sufficit indifferentia in sensu diuiso; siquidem nec ipsi hæretici indeterminationem in sensu diuiso negarent, sed facilè concederent, cum optimè consistat cum præmotione diuina necessitante voluntatem. Confirmatur. Quia alioquin falsum esset, agens liberum posse agere, & non agere; quando enim sunt prærequisita ad agendum, non potest agere; si autem ijs positis, nequeat actionem omittere, nec prærequisitorum ablatio sit in eius potestate, falsum est, quod tale agens possit non agere, ergo &c. Hæc ratio est euidens; nam quod agens non agat defectu eorum, quæ prærequiruntur, non oritur ex interna dispositione, & eminenti dominio in actum, sed potius ex defectu alicuius necessarij, sicut ex simili defectu, & non ex libertate oritur, quod ignis, qui est agens necessarium, non agat, combustibili non applicati.

Prob. secunda pars, nempè, quod requiratur indifferentia in sensu composito. Si talis indifferentia non exigeretur, esset rationæ diuinæ præmotionis physicæ ad omne opus liberum necessariæ cum quà absolutè impossibilis est non actio, ut aiunt Thomistæ, at huiusmodi præmotionis necessitas gratis asseritur, ergo pariter gratis negatur lib. arb. indifferentia in conclusione asserta. Prob. min. Quia fundamenta illius esset subordinatio perfecta causæ creatæ, etiam liberæ ad causam primam; sed talis subordinatio optimè, & nobilius haberi potest absque tali præmotione, nimirum per hoc, quod creatura, nil possit agere, nisi Deo

si Deo coagente; quod Deus possit pro libito omnem creaturæ actionem impedire; imò & omnem liberum consensum voluntatis, siuè suadendo, siuè permittendo obtinere; ergo non est necessaria ista præmotio; ac proinde, danda est lib arb. indifferentia in sensu composito. Hoc enim modo meliùs, & facilius saluatur sanctitas Dei, & creata libertas; & Doct. Cathol. magis recedit ab Hæreticorum sententia, ac proinde fortius impugnantur eorum errores.

Prob. auctoritate Trid. sess. 6. cap. 5. ubi explicans concordiam libertatis cum gratia, docet hominem posse abijcere inspirationem, quà ad iustificationem perducitur; & can. 4. definit, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum posse dissentire, si velit. Quæ verba abijcere, dissentire apertè indicant sensum compositum; nam abijcere est rem habitam dimittere, aut sibi oblatam respuere; dissentire pariter non est quomodocumquè non consentire, aut non consentire excitationi non existenti, sed excitationi de facto existenti non consentire, seù cum illa existente dissensum, aut non consensum coniungere, Quod etiam apertiùs tradit Concil. Senon. in Decreto fidei 15. dicens. *Non est tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Vt dictum est p. 1. disp. 8. q. 6. Accedit etiam, quod D. Thomas consonat Concilijs in quol. 1. art. 7. ad 2. ubi sic habet. Proponitur hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita, ideo sic mouet Deus mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere; ergo gratis excogitatur à Thomistis sensus diuisus. Cæterum ratio Gonet. in 1. notabili allata parum fundata videtur. Siquidem nulla est contentio de actu, qui quando est, necessario est, ut supra indicauimus; sed dicimus, quod eo ipso, seù in eodem instanti, quò ponitur actus, posset non poni, seù poni actus oppositus; cum potentia in illo instanti sit libera libertate indifferentiæ, etiam positis omnibus requisitis ad agendum.

Arg. cont. concl. Inter prærequisita antecedenter ad usum lib. arb. ut scilicet homo producat actum dilectionis, enumeratur absolutum, & efficax Dei decretum, quo statuit, ut lib. arb. producat talem actum, & auxilium efficax, quo in tempore præmouet voluntatem ad eundem actum, sed cum prædicto decreto, & auxilio efficaci non

stat

ſtat ſimul, quod lib. arb. non producat illum actum dilectionis, aut eliciat actum odij in contrarium; ergo, poſitis omnibus requiſitis ad producendum aliquem actum, non ſtat ſimul, quod lib. arb. non producat illum actum, aut eliciat actum contrarium. Reſp. neg. partem mai. de præmotione phyſica prædeterminante, quia ſic læderetur libertas voluntatis, cum ſit neceſſitas antecedens, ac proindè impediens voluntatem, ne in actum oppoſitum exeat, vel actionem ſuſpendat; ad min. neg. non ſtare ſimul cum decreto, & auxilio efficaci, quod lib. arb. non producat actum dilectionis, vel actum oppoſitum; Decretum enim Dei concurrendo cum voluntate creata, & auxilium efficax non adimunt homini libertatem, ut oſtenditur in 1. p. in diſp. de Diuina Prouidentia, & prædeſtinatione.

Arg. 2. Vnum ex prærequiſitis, ut Deus operetur ad extra eſt æternum decretum de illo opere v. g. de creatione Mundi: ſed poſito tali Decreto, Deus non poteſt non agere in ſenſu compoſito, ideſt non poteſt componere ſuum decretum de creatione Mundi cum non creatione illius; & tamen Deus liberrimè creauit mundum; ergo non eſt neceſſarium ad ſaluandam libertatem, quod poſitis omnibus natura, & cauſalitate ad agendum prærequiſitis, poſſit quis non agere in ſenſu compoſito. Reſp. conc. mai. & etiam min. quia cum Déus ſit immutabilis, poſito decreto æterno de re producenda in tempore, non poteſt non producere illam; potuit tamen in illo priori, quo intelligimus Deum adhuc non poſuiſſe huiuſmodi decretum, ad quod liberè ſe determinauit.

Cæterum hæc ratio non militat de decreto à Deo poſito, concurrendi, ſcilicet ad actus noſtræ voluntatis; quia huiuſmodi decretum eſt accomodatum noſtro lib. arb. ſeù noſtris voluntatibus, quæ continentur eminenter in diuinā voluntate, imò ſi hæc ratio valeret, ſequeretur quod non eſſet in noſtra poteſtate agere, vel non agere, vel agere oppoſitum, quod etiam eſt ſupra improbatum.



DIS-

DISPVTATIO II.

QVÆSTIO I.

Vtrumgratia rectè diuidatur ingratiamgratis datam. & ingratiam gratumfacientem.

NOt. 1. Quòd gratia iuxta ſenſum magis uſitatum, ſcilicet Scrip. & SS. PP. & Theologorum loquendi modum ſignificat beneficium, quod gratis, & ſine debito datur; quò ſenſu dixit Apoſt. ad Rom. 11. *Si gratia tam non ex operibus; alioquin gratia non eſt gratia* Quarè cum beneficia, ſeu dona gratis data ſint triplicis generis; ita triplex eſt gratiæ acceptio, & ſignificatio. Prima lata, & impropria, quæ comprehendit quodcumque beneficium à Deo nobis collatum, ſiue ad naturam pertineat, ſiue ſupra naturam ſit; & in hoc ſenſu PP. Synod 6. 11. in Epiſt. ad Sophronium Angelorum immortalitatem, eſtò illis connaturalem, gratiam appellant, ſic pariter rerum creatio, & conſeruatio gratia vocari poſſunt. 2. acceptio gratiæ eſt magis propria, quæ comprehendit tantum dona aliqua naturalia omninò indebita, quale in ſtatu naturæ integræ fuit donum integritatis; ſicut etiam à quibuſdam Doctoribus numerantur auxilia quædam intra ordinem naturæ ſpecialia, quæ homini lapſo ad aliqua opera difficilia, & heroica ordinis naturalis exercenda donantur. 3. demum eſt acceptio gratiæ propria, quæ ſignificat ſolum dona, & beneficia ſupra totum naturæ debitum, nobis per merita Chriſti exhibita in ordine ad noſtram ſalutem, & gloriam, & hæc eſt propriè theologica, de qua præcipuè agendum eſt in hoc tractatu.

Not. 2. Quòd gratia tertio modo accepta diuiditur in gratiam increatam, & creatam; increata eſt donum aliquod increatum conceſſum hominibus, quod vel Deus ipſe eſt, vel perſona diuina, vel aliqua perfectio Dei, quæ ſpeciali modo creaturæ rationali communicatur; ſic in iuſtificatione Deus dat ſeipſum; ſic pariter in incarnatione. Gratia creata eſt omne donum creatum gratis datum homini in ordine ad beatitudinem; hæc autem ſubdiuiditur in

gra-

gratiam internam, & externam. Prima est, quæ hominem interius afficit, siuè per modum permanentis, ut gratia habitualis, siue per modum transeuntis, ut gratia actualis. 2. est, quæ hominem interius non afficit, sed solum mouet sensus, ut prædicatio Euangelij, miracula &c. sine gratia interna externa nihil prodest, quicquid reclament Pelag.

Not. 3. Quòd gratia gratis data accepta non genericè, prout est idem, ac donum gratis concessum; sed specificè, prout opponitur gratiæ gratum facienti (& pro tunc speciei relinquitur nomen generis defectu vocabulorum) est donum supernaturale sine debito collatum particulariter ad salutem aliorum; dicitur donum supernaturale ratione modi, & finis, estò sit aliquod naturale in entitate, ut patet de dono linguarum, & interpretatione sermonum, quæ sunt entitates merè naturales, ordinantur tamen ad finem supernaturalem. Gratia autem gratum faciens, de qua hic propriè agendum est, est illa, quæ vel proximè, vel remotè ordinatur ad salutem propriam, de qua in sequenti quæst. erit clarior explicatio.

1. Concl. Gratia interna rectè, & adæquatè diuiditur in gratiam gratis datam, & in gratiam gratum facietem. Prob. Tot sunt gratiæ, quot sunt dona, quæ hominibus dantur, ut ad Deum perueniant; sed duplex donum homini confertur, alterum ad salutem propriam spectans, alterum ad salutem aliorum, ergo diuiditur rectè gratia interna in gratiam gratis datam, & in gratiam gratum facientem.

Arg. contra. Illa membra diuisionis non habent inter se oppositionem, quia possunt esse in eodem homine, ergo non est bona diuisio, patet conseq. quia omnis bona diuisio datur per membra opposita. Resp. dist. ant. ex natura rei, & ex parte subiecti in quò ponuntur, conc. ant. ad quem ordinant hominem, neg. ant. patet distinctio ex dictis.

Contra. Fides, spes, & auxilia actualia non pertinent ad gratiam gratis datam, quia sunt ad salutem propriam, neque ad gratiam gratum facientem, quia reperiri possunt in homine peccatore, ergo &c. Resp. dist. ant. non spectant ad gratiam facientem gratum formaliter, & primariò conc. reductiuè, & secundariò neg. ant.

Arg. 2. Prædestinatio, quæ dicitur fons, & origo gratiæ, non est gratia gratum faciens, neque gratia data, ergo &c.

Resp.

Resp. dist. ant. Si prædestinatio sumatur pro effectibus, quos continet, nego, quia sic reducitur ad utramque gratiam, cum omnes gratiæ dentur propter executionem prędestinationis hominis; si verò sumatur pro actu diuinæ voluntatis; & sic conc. in hoc enim sensu prædestinatio est gratia increata; quod si sumatur pro actu diuinæ voluntatis terminato ad prædestinatos; tunc includitur in utraque gratia, tanquàm causa in effectu.

Quæres. Quotuplex est gratia gratis data.

Resp. D. Paulus 1. ad Corint. 12. nouem species gratiæ gratis datæ enumerat dicens. *Per spiritum alij datur sermo sapientia, alij sermo scientia, alteri fides. Alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij Profetia, alij discretio spirituum. alij genera linguarum, alij interpratatio sermonum*; cuius diuisionis sufficientiam sic ostendit D. Thom. Gratia gratis data confertur homini, ut consulat alterius saluti, ad hoc autem tria requiruntur: 1. cognitio rerum diuinarum, alioquin non esset idoneus ad alios instruendos: 2. ut possit confirmare ea, quæ dixit, aliàs eius doctrina esset inefficax: 3. ut ea, quæ scit, & intelligit, conuenienter possit auditoribus proferrè. Quarè ad hoc ut hæc tria idoneè præstentur, nouem species gratiæ gratis datæ desiderantur.

Ad. 1. tria requiruntur; primo ut contineat prima principia cognitionis rerum diuinarum, & hoc fit per fidem: 2. ut nobiliores effectus, seù altiores conclusiones ex illis principijs deductas possideat; & hoc spectat ad sapientiam: 3. ut inferiores effectus illius supræmæ causæ cognoscat, quà cognitione mediante, Auditores suos ducat ad primi principij notitiam, & hoc fit per scientiam.

Ad 2. idest ad confirmationem suæ doctrinæ, seù rerum, quæ reuelantur, requiritur ut Euangelicus Doct. faciat opera quæ naturalem virtutem superent, & ista opera sunt quatuor. Aliquando enim reddit sanitatem corpori; & sic est gratia sanitatum. Aliquando facit ea miracula, quæ ostendunt diuinam potentiam; ut quod Sol stet &c. & sic habetur operatio virtutum. Aliquando futura secreta reuelat; & hoc fit per Prophetiàm. Aliquando tandem secreta cordium scrutatur, ut sciat qua intentione loquuntur homines; & sic est discretio spirituum.

Ad. 3. duo sunt necessaria 1. vt Doct. loquatur idioma-

te, quò intelligi possit, & ob id dantur genera linguarum: 2. ut ea quę sunt reuelata in scriptura proferat, & explicet eo sensu, quo dicta sunt à Prophetis, & Euangelistis, & ad hoc datur interpretatio sermonum. Itaquè ex illis tribus capitibus nouenarius numerus colligitur gratiarum gratis datarum; quarum definitiones ex superiori doctrina eruuntur. Sermo sapientiæ est facilitas diuinitus data explicandi altiora fidei mysteria. Sermo scientiæ est facilitas diuinitus data explicandi res fidei, & morum. Fides est excellens intelligentia diuinitus data, atquè certa fiducia impetrandi miracula; & sic de reliquis.

QVÆSTIO II.

Vtrum gratia gratum faciens rectè diuidatur in actualem, & habitualem.

NOt. Quod gratia actualis est auxilium transiens hominem interius excitans, aut eleuans ad benè operandum, ut oportet ad salutem; ex quà descriptione colligitur, quod tale auxilium non consistit formaliter in actibus indeliberatis intellectus, aut voluntatis, ut volunt plures ex Recentioribus; sed in quadam motione, vel qualitate transeunte à Deo impressa potentijs Animæ, ut eas eleuet, compleat, & constituat in actu primo sufficienti ad tales actus eliciendos. Gratia verò habitualis est donum Dei permanens, quò homo iustificatur, sanctificatur; fitque Deo acceptus, & amicus, de quà latè agetur post disputationem de gratia actuali.

Concl Optima est supradicta diuisio. Prob. Illa est legitima diuisio, cuius membra diuidentia habent tres istas conditiones. Prima est, quod participent rationem genericam: 2. quod inter se distinguantur: 3. quod adæquent diuisum; sed hæc diuisio sic se habet; nam primò participant rationem genericam, nempè gratiæ gratum facientis: 2. distinguuntur, vt patet: 3. diuidunt adæquatè; quia nulla est gratia gratum faciens, quæ non sit, vel transiens, vel permanens.

Arg. Quod datur peccatoribus, nequit esse gratia gratum faciens; sed gratia actualis datur peccatoribus, ergo &c.

Resp.

Resp. dist. mai. Quod datur peccatoribus nequit esse gratia gratum faciens formaliter, & proximè conc. remotè, & concomitanter, neg. datur enim gratia actualis, ut mediante ipsa bonum operemur, & gratiam habitualem consequamur.

Contra Non omnis gratia actualis est gratum faciens remotè, ergo nulla responsio. Prob. ant. Datur quædam gratia, quæ non ordinatur ad iustificationem, sed solum ad obseruantiam legis citra meritum vitæ æternæ, ergo &c.

Resp. neg. ant. ad probationem dicimus, quod licet à quibusdam Recentioribus ad mittatur quoddam auxilium actuale quod non ordinatur ad beatitudinem supernaturalem; attamen probabilius negatur huiusmodi auxilium speciale, etiam si non supernaturale ratione finis; nulla enim apparet ratio, quæ cogat ad id ponendum.

Quæres. Quotuplex est gratia actualis.

Resp. Quod gratia actualis diuidi solet à Theologis in operantem, & cooperantem, in excitantem, & adiuuantem, in præuenientem, & consequentem, in concomitantem, & subsequentem; sed quia huiusmodi diuisiones nomine tantum differunt; nam ex una parte antecedens, præueniens, excitans, & operans pro eadem gratia sumuntur; & ex alia, consequens, adiuuans, & cooperans idem sonant; ideò rectiùs procedemus, si unica tantum diuisione contenti erimus; videlicet, in gratiam excitantem, & in adiuuantem, quæ secundùm diuersa munia diuersè nominantur; Vnde dicitur excitans, quatenus vel hominem peccatorem excitat, ur à peccato resurgat, vel iustum à bono opere cessantem adiuuat: iuxta illud Apoca. *Ego stò ad ostium & pulso*; & ad Ephes. c. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabit te Christus*: Effectum huius gratiæ eleganter describi D. Aug. in lib. conf. ubi sic ait. *Vocasti, clamasti, rupisti surditatem meam*. Dicitur antecedens, quatenus antecedit consensum nostrum; dicitur præueniens, quatenus præuenit prioritate temporis, vel naturæ bonum liberi arbitrij usum, seu consensum iuxta illud Psal. 58. *Misericordia eius præueniet me*; dicitur operans, quia operatur in nobis sine nobis, idest liberè consentientibus; unde Apost. ad Corint. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere*. & c. 15. *Non ego sed gratia Dei*: 2. dicitur adiuuans quatenus adiuuat no-

noſtros conatus, dicitur conſequens, quatenus, illos conſequitur &c. dicitur cooperans quia nobiſcum operatur, & facit vt quod voluerimus impleamus; Vnde D. Aug. *Si velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum operatur.*

QVÆSTIO III.

Vtrum gratia excitans rectè diuidatur in ſufficientem, & efficacem, & an ab inuicem diſtinguantur ex natura rei.

NOt. Quòd gratia ſufficiens, ſeu inefficax eſt auxilium diuinum, quò ſufficienter homo excitatur ad bonum faciendum, & ad malum fugiendum, eſtò de facto non operetur, & poteſt dici ſufficiens, ut notat Herincx dupliciter, remotè, ſcilicet, & proximè. Tunc proximè eſt ſufficiens, quando ex parte gratiæ nulla virtus deeſt ad opus ipſum exercendum; tunc verò remotè eſt ſufficiens, quando non poteſt quidem homo ſine nouis, aut maioribus viribus opus facere; per illam tamen poteſt præſtare aliquid, quo acquirat vires ulteriores ad opus neceſſarias.

Not. 2. Quòd non ſemper quælibet gratia ſufficit ſe ſola ad opus ultimatè intentum, ad quod præparat; ſufficit tamen ſemper ad aliquod opus bonum, aut effectum bonum, aut ſaltem deliberatam complacentiam eliciendam. Alioquin potius ad legem, vel doctrinam, quam ad gratiam propriè dictam eſſet referenda; nam Spiritus S. operatur intrinſecùs, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinſecùs, ut ait D. Aug. 15. de ciuit. c. 6. Vnde non datur gratia Chriſti, quæ ſit inſufficiens; ſi autem voluntas oblata gratia rectè utatur; tunc Deus illam inuabit amplius uſquè ad opus, ad quod ab initio gratia eam præparabat. Non enim miſeretur Deus, & primò deſerit. Si vero voluntas gratiam neglexerit, tunc Deus ob eius demeritum ceſſat ulterius eam excitare.

Not. 3. Quòd gratia efficax eſt illa, quæ non ſolum dat poſſe operari, ut ſufficiens, ſed dat infallibiliter operari, quia ita mouet, ut reuerà conſentiamus; & licet diſſenſus ſit poſſibilis, tamen nunquam in actu ponitur. De utraque gra-

gratia, nempè sufficienti, & efficaci meminit S. Scrip. & quidem de sufficienti habetur 2. ad Corint. 15. *Sufficit tibi gratia mea*; & ad Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat*. De efficaci Ezech. c. 26. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in praeceptis meis ambuletis*, & Paul. ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere*.

Not. 4. Quòd sicut à Theologis homo consideratur diuersimodè in statu innocentiæ, & in statu naturæ lapsæ; ita diuerso modo loquuntur de gratia, & eius effectibus; nam gratia, quam Deus dedit Adæ in statu innocentiæ dicitur gratia sanitatis, qua potuisset obseruare mandata Dei, & dicitur sanitatis, quia collata homini sano. Gratia verò quæ datur homini lapso dicitur medicinalis, & dicitur medicinalis, quia datur homini ægrotanti ob passiones concupiscentiæ. Differunt autem inter se istæ duæ gratiæ, non quia, ut ait Caluinus in antidoto Concil. Trid. sess. 6. art. 5. gratiæ sanitatis potuerint liber. arbitr. resistere; & gratiæ medicinali nemo unquam resistere valet, hæc enim differentia est hæretica: sed differunt primò, quia gratia medicinalis est abundantior iuxta illud Io. c. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*. & alibi: *Vbi abundauit delictum* &c. 2. quia gratia sanitatis conferebatur ut homo sanctitatem, & innocentiam conseruaret bene agendo; gratia verò medicinalis datur, ut homo à lege carnis oppressus concupiscentiæ moderare possit appetitum. 3. quod gratia quædam medicinalis, idest efficax dat non solum posse, sed etiam operari; gratia verò sanitatis solam potentiam non vero effectum conferebat, his prælibatis sit.

I. Concl. Rectè diuiditur gratia excitans in sufficientem, & efficacem. Prob. omnis gratia, quæ mouet hominem, vel ita mouet, ut gratiæ consentiat, & tunc est efficax; vel ita mouet ut illi homo resistat, estò acquiescere posset, & cum illa operari, & tunc est sufficiens; ergo optima est diuisio. Quicquid latret Caluinus lib. 2. Instit. c. 3. §. 10. alijque hæretici recentiores existimantes, omnem veram gratiam Christi, seu medicinalem esse efficacem; adeout tollat liberi arbitrij indifferentiam, ac proinde necessitet, & rapiat ad consensum; quibus adhæsit etiam Iansenius ut obseruant Theologi Recentiores.

II. Concl. Gratia sufficiens, & efficax non distinguuntur ne-

neque realiter, neque formaliter intrinsecè, sed extrinsecè tantùm. Hæc est Recenriorum Scotistarum iuxta mentem Scoti. Prob. breuiter, & clarè. Quæcunque distinguuntur vel realiter, vel formaliter, distinguuntur per aliquod intrinsecum, quod est in uno, & non in alio; sed nihil intrinsecum est in gratia efficaci, quin sit in sufficienti, ergo intrinsecè non differunt, sed solum penes diuersas habitudines extrinsecas, quas habent, vel non habent ad consensum, ita quod illa dicatur efficax, quæ consensum obtinet; & illa sufficiens, quæ non habet consensum.

Confirmatur. Gratia excitans potest æqualiter illustrare, & excitare duos homines in æquali dispositione constitutos, idest eodem modo passionibus, & tentationibus affectos, & tunc æqualis gratia utrique datur saltem in ratione entitatis; & tamen unus operatur, & alter non; sed hoc non prouenit à gratia, sed à lib. arb. hominis, qui gratiam negligit, & cooperando non efficit efficacem, ergo gratia sufficiens, & efficax ex natura rei non distinguuntur, sed solum ex parte liberi arbitrij cooperantis; & non cooperantis. Confirm. hæc doctrina S. Scrip. auct. & signanter Matth. 11, ubi sic habetur. *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tiro, & Synode facta fuissent virtutes, quæ olim operata sunt in te, cum cinere, & cilitio egissent pœnitentiam.* Quibus verbis Christus ostendit, quod easdem gratias, quas fecerat Corozain, Bethsaidæ, si fecisset Tiro, & Sydoni, eorum habitatores se ad pœnitentiam conuertissent; ergo de duobus habentibus æqualem gratiam, potest fieri, quod unus conuertatur, & alius non. Immò fieri potest, quod aliquando conuertantur illi, qui minorem habent gratiam, & non conuertantur qui maiorem habent gratiam; quod patet Matth. 12. Vbi Christus Iudæos reprehendens dicit. *Viri Niniuita surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*: sed Ionæ prædicatio fuit minor gratia in Niniuitis, quam in Iudæis, qui habuerunt maxima, & multa Dei auxilia; ergo Niniuiti cum minori gratia conuersi sunt, & Iudæi nequaquam ergo &c. Similiter de Iuda videtur probabile accepisse maiores gratias pluribus prædestinatis. Denique pro certo habetur aliquos superiores Angelos cedidisse, minores verò perseuerasse in gratia, & gratia fuit maior in superioribus,

bus, ut dictum fuit in tractatu de Angelis, ergo &c.

Arg. cont. 2. concl. Qui consentit vocationi recipit à Deo maiorem gratiam: ergo falsò supponitur, quod detur auxilium æquale, dum unus consentit, alter non, quia gratia respectu unius est tantum sufficiens, respectu verò alterius est efficax, quæ est maior. Resp. dist. ant. in ratione doni, quia reuerà habet effectum conc. ant. in ratione entitatis, neg. antecedens.

Dices. Ergo conuersio nostra repetenda est à nostro libero arbitrio, cont. D. Paulum dicentem. Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? &c. Resp. dist. cons. est à libero arbitrio se solo, neg. cons. à lib. arb. excitato per gratiam, & adiuto per cooperantem, conc. cons.

QVÆSTIO IV.

In quo consistat efficacitas Gratiæ.

NOt. Quod præter ea, quæ hactenus dicta sunt, ulteriùs considerari potest gratia in actu primo, & in actu secundo. Tunc dicitur in actu primo, quatenus potest habere suum effectum, & sic habet à Deo; Tunc dicitur in actu secundo, quatenus suum effectum, obtinet; de quà efficacitate sumpta in actu secundo, variæ sunt opiniones. Nam alij volunt efficacem gratiæ consistere in aliquo influxu reali, qui reperitur in gratia efficaci, & non in sufficienti, quia ità physicè prædeterminat voluntatem ut illo posito, non possit voluntas non agere, ita Thomistæ. Alij arbitrantur consistere in quadam prædeterminatione morali; quæ in hoc consistit, quod tanta sit gratia, ut, licet voluntas absolutè, & physicè illi possit resistere, numquam tamen resistit, ac proinde inuoluit effectum infallibiliter, non quidem physicè, quia non infert illum neccessariò, sed moraliter. Alij putant consistere in quadam congruitate ipsius cum voluntate humana; ita quod illa gratia sit efficax, quam Deus præuidet esse talem, & dari tali modo, tali tempore, ut reuerà voluntas consentiat. Alij deniquè sentiunt gratiam reddi efficacem per cooperationem voluntatis humanæ adiutæ gratia secunda, quæ vocatur cooperans.

I. Concl. Efficacitas gratiæ non consistit in influxu physico prædeterminante voluntatem physicè. Hæc videtur conformis doctrinæ Scoti, & nostræ scholæ, ut supra indicauimus; est tamen contra Thomistas. Prob. concl. Voluntas humana, posito tali influxu reali prædeterminante, adhuc remanet indifferens ad consentiendum, & non consentiendum, vel non habet amplius illam indifferentiam. Si remanet indifferens, non determinatur physicè, eò quia per physicam prædeterminationem ita mouetur voluntas, ut non posset resistere, aliàs non esset physica prædeterminatio, quæ ita determinat ad unum, ut in aliud declinare non possit. Si non remanet indifferens, ergo non maneret libera libertate morali, quæ requiritur ad meritum ut supra ostensum est, ergo efficacitas gratiæ non consistit in prædeterminatione physica, quia voluntas necessitaretur, ac proindè læderetur eius liberas &c. & quamuis hæc opinio post decretum Xisti V. & Clementis VIII. à nemine censura notari possit, attamen multis displicet.

II. Concl. Neque consistit efficacitas gratiæ in prædeterminatione morali, nec in congruitate eius cum voluntate. Prob. utraque pars eadem ratione. Quia in hoc sensu ut gratia redderetur efficax, requireretur, quod esset tanta, ut moraliter voluntas non posset illam repudiare. Vel ut esset ita conformis voluntati, & loco, & tempore, ut infallibiliter haberet suum effectum; sed hæc videntur absurda, ergo &c. Prob. min. Quia ex primo sequeretur, quod voluntas non esset libera moraliter, cum stante tali prædeterminatione non posset negare suum consensum, quod est contra Concil. Trid. Tum quia ex secundo, & pariter ex primo sequeretur, quod illa gratia non esset sufficiens propriè, quæ non haberet hæc omnia sibi adiuncta; idest si non esset moraliter prædeterminans, aut si non haberet illam congruitatem; unde cum hoc non detur omnibus; sequeretur quod non omnes haberent gratiam sufficientem; si illa determinatio, & congruitas, quæ à solo Deo dependet, illis deesset.

Confirmatur. Quia si ex prædeterminatione morali sequeretur efficacitas gratiæ illi, qui haberent maiorem gratiam semper agerent, & qui minorem haberent, non agerent; sed hoc est falsum, ut patet ex dictis, ergo &c. Tum

quia

quia illi peccatores possent conqueri de Deo, quod non dedisset illis tales gratias prædeterminantes, & congruas, ergo &c.

III. Concl. Efficacitas gratiæ in actu secundo pendet à cooperatione nostræ voluntatis. Hæc videtur Scot. & nostræ Scholæ, eamquè docent Frassen in tract. de gratia, & Boyuin, nec non Herincx ibidem; & est conformis Concil. Arausf. & Trident. sess. 6. can. 4. ubi definitur esse in potestate liberi arbitrij consentire, vel dissentire vocationi: ergo consensus, seù cooperatio nostri liberi arbitrij reddit gratiam efficacem. Vnde D. Paulus monet, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, ergo monet, ut demus efficaciam gratiæ; sicut dissensu, & negligentia in respondendo gratiæ, facimus eam inefficacem.

Arg. 1. cont. 1. concl. Prædeterminatio physica voluntatis non necessitat ipsam voluntatem ad sic, vel sic operandum; ergo admittenda est ista efficacitas in prædeterminatione physica. Prob. ant. necessitas conditionata non tollit libertatem, ut patet in homine currente; supposito namque quod currat, necessariò currit; ergo ob istam necessitatem non est dicendum, efficaciam gratiæ non posse consistere in prædeterminatione physica nostræ voluntatis. Resp. neg. ant. ad prob. disting. ant. quando conditio à nobis dependet, ut in homine currente, conc. ant. quando autem est independens à nostra voluntate, neg. ant. In proposito nostro talis conditio non dependet à voluntate creata, sed à diuino decreto, quod nequit ab ea impediri, quin sequatur talis motio.

Cont. necessitas in sensu composito non est incompossibilis cum nostra libertate, ut patet in prædestinato, qui liberè saluatur, licet in sensu composito necessariò saluetur, idest quatenus prædestinatus est: ergo &c.

Resp. ut supra dist. ant. Necessitas in sensu composito non tollit libertatem, quando id, quod componitur cum libertate dependet ab illa, ut in prædestinato, cuius prædestinatio ex dictis in quæst. de prædest. pendet à voluntate cooperante prædestinati, saltem præuisa, & sic conc. quando autem conditio, quæ ponitur cum voluntate non pendet ab illa, ut in proposito ubi gratia prędeterminans non est in potestate nostra, & sic nego.

Cæterùm si dicat; ergo si prædestinatio fieret sine præuisione meritorum, tunc necessitas in sensu composito staret cum libertate; sed talis modus prædestinandi docetur etiam à Scoto, ergo necessitas in sensu composito &c. Resp. etiam si demus prædestinationem fieri absque præuisione meritorum, non componi necessitatem in sensu composito secundum sensum Thomisticum, quia Deus non prædeterminat prædeterminatione physica nostras voluntates, ut latè ostensum fuit in superiori quæstione.

Contra. Vel Deus prædeterminat voluntatem, vel expectat illam; secundum est contra Concil. Arauf. 2. can. 4. *Si quis contendit Deum expectare voluntatem, ut purgemur à peccato, non autem facere, vt velimus conuerti, resistit Spiritui S. dicenti. Præparatur vo'untas à Domino*; ergo admittendum est primum. Resp. conc. Deum non expectare voluntatem nostram, sed potius anticipat, & præuenit per inspirationes, suppositis autem inspirationibus, seu gratia præueniente expectat aliquo modo cõsensum voluntatis, ut cooperetur gratię iuxta illud. *Ego sto, & pulso ad ostium si quis aperuerit, &c.*

Arg. cont. 2. concl. Aug. vocat gratiam efficacem altam, eximiam, secretam inæstimabilem, & infallibiliter suum effectum operantem; ergo saltem moraliter voluntatem prædeterminat. Resp. neg. conf. licet enim Deus aliquando concedat gratias quibusdam personis, ut latroni, Paulo, Magdalenæ &c. ita fortes, & eximias, ut subitò consentiant, & non possint non consentire, nisi cum maxima difficultate, tamen non tollunt absolutè libertatem moralem, sicut nec graues tentationes, quãdo urgent, maximè in hominibus deprauatis, non tollunt libertatem, quin voluntas possit resistere; aliàs non diceret Trid. sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit liber. arb motum non posse dissentire si velit, Anathema sit.* Nec dicant quidam, hominem conseruare semper libertatem physicam resistendi, licet non habeat amplius moralem; talis enim responsio videtur contradicere Concilio loquenti de potentia morali, cum agat in materia iustificationis contra Caluinum asserentem gratiam necessitare liberum arbitrium, estò fateretur voluntatem habere semper potentiam physicam, ut resisteret.

Arg. cont. 3. concl. Talis gratiæ efficacitas tribuenda est Deo; ergo malè tribuitur voluntati.

Resp.

Resp. dist. ant. principaliter conc. quia deriuatur ab eius gratia; minus principaliter etiam à nobis, quatenus nostro libero arbitrio gratiæ cooperamur, neg.

Dices. Ergo liberum arbitrium aliquam efficaciam tribuit gratiæ. Resp. neg. conf. estò enim insiuat in opus; nihil tamen tribuit gratiæ; sicut nec approximatio aliquid tribuit igni in ratione actiuitatis; nec sumptio in efficaciam medicinæ; neque est inconueniens, quod gratia quoad effectum pendeat à lib. arbitrio, ut pluries explicauimus, cum Deus instituerit negotium salutis nostræ, ut possimus illud, gratia adiuuante, vel non; neque ex hoc sequitur salutem esse in nostra potestate, quia non sumus certi, de consensu dando gratiæ ob conditionem nostræ naturæ corruptæ, & ob tentationes &c.

Quæres 1. An concursus Dei tanquam causæ primæ quatenus est debitus principio supernaturali, v.g. habitui infuso pertineat quoque ad ordinem gratiæ.

Resp. Herincx cum nostro Doctissimo Vega affirmatiuè. Quia præstatur à Deo, tanquam gratiæ Auctore. Neque tollit ab ipso rationem gratiæ, eò quod sit conaturaliter debitus ipsi principio supernaturali ex gratia collato; imò à Theologis gratia pro gratiâ dicitur.

Quæres 2. An gratiæ gratis datæ sint permanenter in hominibus iustis. Resp. quod aliquæ sunt in illis permanenter, & per modum habitus, ut de ijs utuntur ad arbitrium, & quando volunt, ut fides, sapientia, & scientia. Aliæ verò se habent in illis per modum motionis, seu impressionis actualis, quibus pro libito uti possunt, sed solum quando à Deo mouentur, ut Prophetia, & donum miraculorum; ab hac tamen regula excipiendum est Christus, in quo omnes gratiæ gratis datæ fuerunt perfecto modo, ac proinde permanenter, ut communiter docent Theologi.

Cæterùm placet hic ponere quasdam propositiones Iansenii, quas sum. Pontifex Innocentius X. damnauit, quia sicut in superioribus quæstionibus de aliquibus egimus; ita in sequentibus occurret occasio de illis disserendi.

Prima est. Aliqua præcepta Dei hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia qua possibilia fiant: 2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam

restituitur: 3. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. 4. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: 5. Semipelagianum est, dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Quæ quidem postrema propositio damnata est tanquam hæretica intellecta in hoc sensu, ut notat noster Herincx, nempe, quod Christus pro salute prædestinatorum tantum sanguinem fuderit.

Quoniam verò postquam Pontifex damnauerat enarratas propositiones tanquam hæreticas, quidam conabantur defendere Iansenium dicendo, non illas in hoc sensu docuisse; ideoquè S. Sedes per aliam Bullam declarauit, eas non solum contineri in libro Iansenij, sed etiam damnari in sensu ab Auctore intento; quantum scilicet sensum præseferant verba in libro eiusdem Iansenij expræssa, attento contextu, & circumstantijs.

DISPVTATIO III.

De necessitate Gratiæ.

QVÆSTIO I.

Vtrum homo sine gratia cognoscere valeat verum naturale.

NOt. 1. quod plures errores seminauit Pelagius heresiarcha, natione Brito, professione Monachus contra doctrinam Catholicam de gratia Diuina. Primò, docuit, hominem viribus naturæ posse velle, & facere bonum sufficiens ad vitam æternam. Secundò cum cogeretur ex Sac. Scrip. aliquando agnoscere gratiam Dei, ipsam agnouit, sed nomine gratiæ naturam intellexit, quam gratiam vocabat, quia gratis à Deo datur: 3. cum præmeretur à Patribus ex eiusdem Scrip. testimonijs admisit aliam Dei gratiam, sed externam, consistentem in doctrina legis: 4. cum

co-

cogeretur præter naturam atquè legem, aliam Christi gratiam fateri, eam admisit tanquam necessariam ad redimenda peccata, non verò ad ipsa vitanda: 5. cum adhuc urgeretur agnoscere gratiam Christi, quà adiuuetur homo ad non peccandum, tandem admisit reuerà, sed voluit illam esse externam in exemplo Christi constitutam; ità apud Aug. lib. de gratia, & lib. arb. c. 2. & alibi: 6. deniquè coactus admisit gratiam internam, quæ dabatur à Deo homini, se volebat eam esse solumodo utilem, non verò necessariam ad salutem. Ex quibus omnibus patet, quomodo Pelagius diuersis his modis loquendi, tenuit hominem posse simpliciter facere bonum ad vitam æternam perducens absquè speciali auxilio Spirit. Sancti: ita ex Herincx.

Not. 2. quod sicut triplex est verum, ità triplex est cognitio veri. Prima est naturalis notitia, siuè sit mechanica, ut cognitio artium; siuè sit theoretica, ut cognitio scientiarum, idest de ijs, quæ ex primis principijs per euidentem consequentiam possunt deduci, & ex sensibilibus cognosci: 2. est cognitio veri moralis, ut cognitio quà quis scit virtutem esse bonam, esse amandam, & vitium fugiendum in communi; aut in particulari, ut eleemosynam esse hic, & nunc largiendam, & intemperantiam vitandam: 3. est notitia veri supernaturalis, ut articulorum fidei, de quà in sequenti quæstione; hic autem quærimus de vero naturali tantùm, quia etiam de morali agetur inferius.

Not. 3. Quod in hac quæstione sunt tres opiniones. Prima est Henrici de Gandauo; quam refert, & reijcit Scot. in p. d. 3. q. 4. opinantis, nos nullam sinceram, & certam notitiam ullius veritatis naturalis assequi posse sine speciali illustratione, cuius ratione adducentur, & soluentur in in parte argumentatiua. Eandem sententiam ex parte videtur instaurasse Vasquez disp. 188. c. 2. ubi arbitratur notitiam cuiuscumq; veritatis naturalis mouentis affectum ad rectè viuendum non posse haberi sine auxilio gratiæ per Christum, secùs autem de ea, quæ ad virtutem non mouet; idest posse quidem haberi sine ulla gratia Christi, non tamen sine aliquo auxilio gratiæ Dei. II. Opinio est Durandi in 2. dist. 28. q. 1. cui adhæret etiam Caiet. contendentis intellectum hominis lapsi posse cum solo concursu generali agnoscere omne verum speculatiuum, non solum di-

diuisim, sed etiam coniunctim, seù collectiuè. III. Opinio est Theologorum utriusquè Scholæ, nempè Thomistarum, & Scotistarum, exceptis quibusdam paucis, docentis hominem lapsum posse quidem cognoscere veritates naturales diuisim absquè speciali auxilio, non verò coniunctim, iuxta quam sententiam sit.

Concl. Homo sine speciali auxilio Dei, sed solo concursu generali potest plures, immò singulas veritates naturales agnoscere, diuisiuè, non autem collectiuè. Prima pars est contra Vasquez, & Vincent. Contesonum Thomistam tom. 5. diss. 2. cap. Prob. Quælibet creatura potest cum solo generali Dei concursu actus sibi connaturales, & proportionatos elicere; ut sol illuminare, ignis calefacere, &c. ergo pariter intellectus solo generali concursu potest agnoscere veritates naturales, quæ ex primis principijs per euidentem consequentiam possunt deduci, & ex sensibilibus cognosci; intellectus enim habet lumen naturale, quod est de se sufficiens ad aliqua intelligibilia; cognoscenda, ergo &c.

Confirmatur. Quia nihil deest intellectui, neque ex parte potentiæ, cum intellectus sit ex se completus ad cognoscendum; neque ex parte obiecti, quia obiecta naturalia suam speciem producunt, vel potentiæ obijciuntur, ut experientia docet. Prob. 2. pars. nempè quod singulas agnoscere possit. Maxima, & difficillima cognitio veritatum naturalium est illa, quæ habetur de Deo ex effectibus naturalibus, cum sit de obiecto immateriali, & à sensibus remotior sed in statu naturæ lapsæ potest Deus naturaliter ex creaturis ab homine cognosci, ut tradit D. Paulus ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, & Sap. 13. *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit horum Creator videri*; ergo à fortiori quæcumquè alia veritas naturalis poterit naturaliter, & absquè speciali auxilio Dei cognosci. Prob. 3. pars, nimirum, quod homo non valeat pro statu isto cognoscere omnes veritates naturales collectiuè cont. Caiet. putantem hominem posse eas agnoscere. Potentia infirma, & vulnerata nequit præstare totum id, quod facere potest potentia sana, & integra; sed attingere omne verum speculabile nedum diuisiuè, sed etiam collectiuè est actus potentiæ intellectiuæ sanæ, ergo

intellectus hominis naturæ lapsæ vulnere ignorantiæ affectus nequit, nisi sanetur per gratiam specialem, totam collectionem veritatum naturalium agnoscere. Confirm. voluntas propter vulnus malitiæ non potest omnia præcepta legis naturæ collectiuè sumpta adimplere, ut infra patebit, ergo nec intellectus vulneratus ignorantia &c.

Prob. 2. Ad hoc ut potentia intellectiua, & sic pariter potentia volitiua, possit tendere in omne verum speculatiuum, non solum requiritur potentia physica, sed etiam moralis, & expedita, seù ab omnibus impedimentis libera; sed in homine lapso, licet sit potentia physica ad totam collectionem veritatum ordinis naturalis, quia continentur sub eius adæquato obiecto; non tamen potentia moralis, & expedita, cum in statu naturæ lapsæ plura sint impedimenta, quibus quasi ligatur, & impeditur, ne possit omnes veritates naturales collectiuè attingere; qualia sunt breuitas vitæ, indispositio corporis, hebetudo sensuum, rebellio, & perturbatio passionem, sollicitudo frequens circa temporalia, & similia, quæ insinuari videntur verbis illis Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Arg. cont. 1. part. concl. SS. Patres videntur asserrere omnem nostram cognitionem descendere à Patre luminum, & omne verum quodcumque dicatur esse à Spiritu S. ergo nemo sine speciali Dei auxilio potest ullam veritatem attingere; patet ant. & præsertim ex illa forma orandi, quam studijs suis præmittere solebet D. Thomas. *Creator ineffabilis, qui verus fons luminis, & sapientia diceris, infunde super intellectus mei tenebras radium tuæ claritatis, duplicem à me remouens priuationem, & tenebras, peccatum scilicet, & ignorantiam.*

Resp. 1. SS. Patres loqui de cognitione aliquo modo supernaturali, & ad salutem conducentem. Vel solum velle indicare scientiam, & cognitionem veritatum naturalium prouenire à Deo, ut Auctore naturæ, & per concursum generale. Resp. 2. ex D. Thoma q. 24. de veritate art. 14. ad arg. in hac quæst. art. 1. ad ubi sic ait. Ad primum dicendum, quod omne verum quodcumque dicatur est à Spiritus S. sicut infundente naturale lumen, & mouente ad intelligendum, & loquente veritatem non tamen sicut ab inhabitante per gratiam. Cæterùm quod attinet ad illam

orationem Sancti Thomæ, & aliorum PP. dicimus quod postulabant à Deo notitiam virtutum supernaturalium, vel remotionem impedimentorum, ad hoc ut clariùs, & faciliùs cognoscerent veritates naturales. Quæmadmodum enim oramus pro pluuia, & serenitate obtinenda, ita possumus orare pro assecutione, seu perfecta attingentia veri, etiam naturalis, quando illud habet aliquid fallibilitatis, & contingentiæ.

Contra. D. Aug. lib. 9. de Trinit. c. 8. habet, quod sinceræ veritates videntur in regulis æternis, & dicit illas veritates scriptas esse in libro lucis illius, qui veritas dicitur; sed hoc fieri nequit, nisi per speciale auxilium, quo attingere veritates sinceras valeamus: ergo &c. Resp. Scotus loc. cit. explicando quatuor modis posse in regulis æternis videri sinceras veritates; ad quem vos mitto, ne limites breuitatis transeam. Vnde breuiter resp. videntur in regulis æternis, hoc est, in suis Ideis, non quæ videntur in verbo, sed quæ participant ex Verbo; omnes enim Ideæ, quas habemus de veritatibus necessarijs, sunt participationes Idearum diuinarum.

Arg. 2. cont. 2. part. concl. Voluntas in statu naturæ lapsæ remansit impotens ad aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis, ut infra ostendetur, nempe ad diligendum Deum, & ad superandam grauem tentationem, & ergo similiter intellectus ob ignorantiȩ vulnus sine speciali auxilio nequit singulas veritates naturales agnoscere.

Resp. conc ant. & neg. cons. Ratio disparitatis est, quia, etsi utraque potentia per peccatum originale remanserit vulnerata, non tamen eodem modo; nam intellectiua non fuit adeo vulnerata, ut non possit intelligere prima principia, & ex illis ad conclusiones agnoscendas procedere, sed solùm in extrinsecis, nempe quia sensus externi fuerunt debilitati, vita abbreuiata &c. at voluntas fuit vulnerata circa finem, qui est principium in operalibus, quatenus per peccatum originale remansit auersa à fine ultimo.

Arg. cont. 3. part. Vulnus ignorantiæ ex peccato originali proueniens non afficit intellectum speculatiuum, sed tantùm practicum; ergo homo lapsus potest absque auxilio speciali omnes veritates speculatiuas collectiue sumptas agnoscere. Resp. neg. assumptum in ant. nam ut supra innui-

nuimus, etiam intellectus speculatiuus remãsit vulneratus.

Contra. Non obstantibus impedimentis prædictis potest homo singulas veritates naturales agnoscere; ergo etiam omnes collectiuè, cum à singulis enumeratis ad omnia simul ascendendo valeat consequentia.

Resp. conc. ant. & neg. cons. ad rationem allatam, nempe arguẽdo à singulis enumeratis, resp. valere quando cons. eodem modo sumitur ac ant. secus autem si diuerso modo, ut est in proposito; quia arguitur à sensu diuiso ad collectiuum, ac proinde non rectè arguitur.

Dices. Intellectus ut potentia spiritualis quò plures veritates cognoscit, eò fit potentior ad intelligendum alias: ergo tandem poterit ad totam veritatum naturalium collectionem peruenire. Resp. dist. ant. potentia intellectiua in seipsa considerata, conc. ant. ut subiacet impedimentis, seu moraliter, neg. ant.

QVÆSTIO II.

Vtrum homo sine auxilio speciali possit verum morale cognoscere.

NOt. Quòd hic non est sermo de vero morali tantum in communi, nempè quod Deus sit colendus, parentes honorandi, & similia; nam hæc omnia facilitate eadem, qua cognoscitur verum naturale, cognoscuntur; sed quæstio procedit de vero morali in particulari, v. g. an quis scire possit naturaliter, se teneri Parentes colere pro tali tempore; tale bonum hic, & nunc esse faciendum, tale malum vitandum, eleemosynam esse huic pauperi elargiendam, & id genus similia. Hæc autem cognitio dicitur practica, & diuiditur in practicè practicam, & in practicam simpliciter, de qua diuisione egimus etiam in tractatu de actibus humanis disp. 1. q. 3. ac proindè superfluum est illam hic repetere.

Concl. Potest homo sine gratia speciali aliquas veritates morales cognoscere, licet in multis fallatur; ac proinde non omnes sine speciali auxilio. Hæc est communis. Prob. Constat apud Theologos, hominem naturalibus viribus posse cognoscere bonum morale in generali, idest prima

prin-

principia doctrinæ moralis; ergo ex illis poterit naturaliter elicere conclusiones saltem principales; puta, alienum esse restituendum, alteri facere, quod nobis fieri volumus, & è contra; ergo &c. Ita Scot. in 3. d. 37. & in 4. d. 14. q. 3.

Confirmatur auct. Scrip. & SS. PP. siquidem ex Scrip. S. homini etiam gentili à natura inest quædam notitia naturalis veritatem practicarum dictans de honesto, ac turpi, quæ appellatur lex cordis; Vnde ad Rom. c. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ sunt legis faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*; ut latè ostenditur in tract. de legibus. Hinc D. Aug. in psal. 56. ait. *Manus formatoris nostri in ipsis cordibus veritatem scripsit quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; ergo &c.

Prob. 2. pars. Etenim de omnibus agibilibus in particulari procedit illud Ecclesf. c. 1. *Cunctæ, res difficiles, non potest eas homo explicare sermone*. Quare PP. passim docent, antiquos Philosophos, etsi perspicacissimos, circa plura agibilia errasse ob defectum gratiæ actualis; ergo ad omnia agibilia in particulari est necessaria gratia actualis pro statu isto.

Arg. cont. 1. part. conc. Quælibet cognitio cuiuscumque veritatis ex Concil. Arausf. est donum Dei; ita enim habet c. 22. *Fatendum est tam veritatem, quam iustitiam esse ab illo fonte, quem in heremositire delemus*, & Mileuit. can. 4. *Deus est qui docet hominem scientiam*: ergo ad agnoscendas veritates, tam speculatiuas, quam morales naturales est necessaria gratia Dei. Resp. Arausf. solum velle, quod omnis veritas sit à Deo, ut fonte, quia ipse est Auctor naturæ, & suo generali concursu præstat quicquid opus est ad omnes effectus causarum secundarum; quod si contendatur Concil. loqui de speciali auxilio, dicendum loqui in ordine ad salutem æternam. Ad Mileuit. pariter resp. loqui de Deo ut naturæ Auctore, qui sine dubio docet hominem scientiam, cum dicat D. Paulus. *Quid habes quod non accepisti?* Verùm meliùs est dicere præfata Concilia loqui de cognitione, scientia, & iustitia in ordine ad vitam æternam, ut supra innuimus; fundamentum autem huius responsionis est, quia Concilia agebant, ut benè notat Boyuin, in tract. de gratia cont. Pelag. dicentem, legem scriptam esse quidem donum gratiæ, eius verò obseruantiam, quæ ducit ad beati-

titudinem, posse habere sine gratia; ideoquè Concilia determinarunt hominem non posse &c.

Cont. Cuncta cogitatio hominis intenta est ad malum, ut habetur Gen. 6. ergo nulla est cognitio boni. Resp. dist. ut plurimum, conc. semper, nego, & in hoc sensu etiam dicitur omnis caro corruperat viam suam, & similia.

QVÆSTIO III.

Vtrum homo sine gratia possit cognoscere verum supernaturale.

NOt. 1. Quòd veritas aliqua dici potest supernaturalis triplici ratione, nempe ex parte obiecti, ex parte motiui assentiendi, & ex parte utriusquè simul. Primo modo dicitur supernaturalis, quando ex se transcendit captum naturalem intellectus, adeòut non possit percipi, nisi ex diuina reuelatione; posita tamen reuelatione attingitur etiam ratione, & motiuo naturali, ut contingit in hæreticis: 2. modo dicitur supernaturalis quando intellectus veritatem percipit, & illi assentitur per diuinam reuelationem; v. g. dum quis credit Isaac genuisse Iacob, quod ex parte obiecti est purè naturale. Tertio modo deniquè dicitur supernaturalis quando obiectum cognitum, & motiuum, quò cognoscitur, sunt supernaturalia; ut dum credimus Deum esse trinum, quia Christus hoc reuelauit.

Concl. Ad cognoscendas veritates supernaturales, & assentiendum mysterijs fidei non sufficit externa reuelatio, seù prædicatio; sed necessariò requiritur gratia interna non solum in intellectu, sed etiam in voluntate in ordine ad vitam æternam. Est de fide. Prob. concl. quoad 1. p. auct. S. Scrip. nam Ioan. 6. dicitur: *Nemo potest venire ad me* (sub intellige credendo) *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; at hæc tractio fit mediante auxilio speciali. D. Paul. ad Cor. 1. c. 4. ait: *Quid enim te discernit &c.* Si enim fides esset in nobis, ex nobis, quasi dicat Apost. quilibet fidelis dicere posset, fides mea, quam non ex gratia, sed ex me ipso habeo, me discernit. Item ad Ephes. 2. *Gratia salui facti estis per fidem, non ex nobis donum enim Dei est.*

Prob. auct. Conciliorum Arausic, can. 7. sic dogmatiz-

zat. *Si quis per natura vigorem aliquod bonum ad salutem pertinens, aut cogitare, aut eligere se posse confirmet absquè illuminatione Spirit. Sancti, haretico fallitur Spiritu.* Et Trident. seff. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine preuenienti Spirit. S. inspiratione posse hominem credere &c. sicut oportet anathema sit.*

Prob. etiam ratione. Assensus fidei, quo prædictis veritatibus assentimur, est supernaturalis; sed supernaturale est improportionatum intellectui nostro, ac proinde non attingibile; ergo noster intellectus suis viribus naturalibus nequit elicere huiusmodi assensum, sed indiget eleuatione, & gratia intrinseca, seù interna ad illum eliciendum. Tum quia assensus mysterium fidei, ut oportet, est una ex dispositionibus requisitis ad iustificationem supernaturalem peccatoris; ergo debet esse quid supernaturale.

Prob. 2. pars de voluntate, nempè quod sicut ad initium fidei supernaturalis, hoc est ad primum, & supernaturalem actum exigitur diuinum auxilium; ita etiam ad pium credulitatis affectum, hoc est ad efficacem voluntatis affectum requiritur gratia actualis. Prob. etsi probationes primæ partis militent etiam in hac parte secunda, auctoritate Apost. ad Philip. 1. *Qui capit in vobis bonum opus* (idest fidei) *ipse perficiet*; & iterum. *Nobis datum est per Christum non solum vt in eum credatis*: ergo ad initium fidei necessaria est gratia actualis. Prob. etiam de sola pia credulitate auct. Concil. Arauf. loc. cit. sic definientis. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium, pium credulitatis affectum, non per gratia donum, idest, per inspirationem Spiritus Sancti, sed naturalem nobis inesse, dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius probatur.*

Prob. etiam ratione. Ad credendum ex motiuo supernaturali requiritur pia motio, seù affectio voluntatis, quæ efficaciter moueat, & determinet intellectum ad assentiendum veritatibus ipsis reuelatis: ergo etiam requiritur auxilium supernaturale ex parte voluntatis. Illa enim affectio pia voluntatis habet obiectum supernaturale, ac proindè indiget auxilio supernaturali.

Arg. 1. auct. D. August. dicentis in lib. de bono perseur. c. 14. dum agit de Syrijs, & Sidonijs, qui, uisis Christi miraculis, credidissent; sic. *Ex quo apparet habere quosdam ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo inducantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.*

Qui-

Quibus verbis docere videtur aliquos ex ſolo naturali lumine intelligentiæ abſque ullo interiori dono gratię, quo præueniantur poſſe moueri ad fidem, & credere myſterijs reuelatis. Reſp. D. Aug. loqui de motione ad fidem tantum obiectiua; unde dicere vult Aug. quoſdam habere naturale munus intelligentiæ tale, quod eadem miracula, & eadem exterior prædicatio Euangelij ſunt magis congrua naturali eorum ingenio, quam ingenio aliorum ad eos mouendos ſolum exteriùs, & obiectiuè.

Dices ad Rom. ita ſcribit c.7. Velle adiacet mihi perficere autem non inuenio. Reſp. velle adiacet &c. viribus naturæ, neg. Dei adiutorio, conc.

Arg. ratione. Quidquid exigitur ab homine, eſt in eius poteſtate: ſed quod eſt in hominis poteſtate, non eſt gratia propriè dicta, nec donum Dei præter naturæ debitum; ergo &c. mai. patet, quia aliàs fruſtra Deus à nobis exigeret aliquid, quod non eſſet in noſtra poteſtate.

Reſp. diſt. mai. Vel per Dei gratiam, vel per naturam, conc. eſſe in poteſtate hominis; per naturam ſemper neg. mai.

QVÆSTIO IV.

Vtrum homo ſine gratia ſanctificante, vel ſine fide poſſit facere aliquod opus morale ordinis naturalis.

NOt. 1. Quòd hæc quæſtio proponi ſolet ſub iſtis terminis: an opera infidelium, & exiſtentium in peccato mortali ſint bona moraliter, vel omnia ſint peccata. In qua ſunt plures opiniones. Prima eſt Lutheri in aſſert. art. 6. & Caluin. l. 2. inſtit. c. 3. de grat. & lib. arb. temerè aſſerentium hominem in natura lapſa, ne quidem cum gratia Dei, & auxilio ſpeciali poſſe aliquid boni agere, & quantumcumque iuſtum, & ſanctum non poſſe quidquam operari, quod peccatum non ſit, non tamen fidelibus in Chriſtum credentibus imputatur ad peccatum: & hæc eſt hæretica: 2. eſt Ioan. Hus dicentis ad quoduis honeſtatis opus eſſe neceſſariam gratiam habitualem, ac proinde omnia peccatoris opera eſſe peccata; quæ pariter eſt hæretica: 3. eſt Michael. Baij qui inter propoſitiones ab Eccleſia damnatas, hanc, quæ eſt 25. edomit: omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſo-

phorum virtutes sunt vitia; cui videtur consentire Iansenius 4. est Greg. Arim. Vasq. & Vincent. Contesoni in theol. mentis, & cordis putantium gratiam quandam actualem auxiliantem esse necessariam: 5. denique est utriusque scholæ, nempe Scotist. ac Thomist. docentis ad id sufficere vires lib. arb. cum solo generali Dei concursu.

Not. 2. Quòd certum est de fide contra Pelagianos, & Semipelagianos, non posse hominem lapsum absque gratiæ auxilio quidquam cogitare, velle, & facere, quod conducat ad vitam æternam, ut S. Scrip. apertè docet in Psal. 36. *A domino gressus hominis dirrigentu*. Sap. 8. *Scius quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det*, & Corint 12. *Nemo potest dicere Domine Iesu nisi in Spiritu S.* Idem constat ex definitionibus Concil. Arausf. can. 7. *Si quis dixerit sine prauenientis Spiritus S. operatione &c* & idem Concil. can. 1. & 2. Accedit etiam ratio, quia cum vita æterna sit quid supernaturale excedens omnem vim creatæ naturæ, & creabilis exigentiam, media ei proportionata debent esse supernaturalia, ac proindè vires naturæ excedentia.

I. Concl. Ad opus morale ordinis naturalis producendum non requiritur gratia sanctificans. Est Scot. 3. d. 36. q. 20. & in Report. d. 28. q. un. & videtur esse de fide; quia colligitur manifestè ex Trid. sess. 6. can. 7. ubi anathema dicitur, ei qui dixerit, omnia opera, quæ ante iustificationem fiunt, verè esse peccata; & can. 8. damnantur ij, qui dixerint, metum gehennæ esse malum. Imò quidam Doctores pronunciant conclusionem esse de fide, ac proindè hæreticum est dicere, omnia peccatoris opera esse peccata.

Prob. 1. Etenim Scrip. S. inuitat peccatores, ut orent, ieiunent, & ad conuersionem se præparent, sed, si hæc omnia elicita, & facta à peccatoribus essent peccata, sequeretur, quod Ecclesia ad peccata inuitaret, quod est hæreticum, ergo, & ant. Tum quia Concil. Trid. sess. 6. can. 7. sic dogmatizzat. *Si quis dixerit, omnia opera, quæ ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, esse peccata, anathema sit*;

Prob. ratione. Absentia iustificationis non facit, quin opera fidei, spei, Religionis &c. sint consona rectæ rationi; ergo absentia gratiæ sanctificantis non operatur, quod non sint bona moraliter; id enim est planè ridiculum: inquit Herincx.

Con-

Confirm. Quia alioquin peccaret, qui peccatorem ad se conuertendum induceret; imò ipse Spiritus malè ageret, quod est impium dicere, ad hoc excitando; quia excitaret ad actus peccaminosos iuxta errorem damnatū Ioan. Hus.

II. Concl. Ad eliciendum opus honestum, & moraliter bonum non requiritur fides: est communis utrique Scholæ contra Baium, eamque docent Scot. in 3. dist. 30. q. un. & in 2. d. 28. q. un. D. Bonau. Richar. & alij.

Prob. 1. ex S. Scrip. quæ narrat varijs in locis opera infidelium fuisse à Deo remunerata; ut exod. 1 Deus remunerasse obstetrices Ægyptias ob beneficium ab eis præstitum Israelitis, & ædificasse illis domos. Et Ezech. 29. Nabucdonosor dicitur, sui operis mercedem recepisse à Deo. Ex quò inquit D. Hieron. *Intelligimus etiam ethnicos, si quid operis boni fecerint, non absquè mercede Dei iudicio prateriri*, & D. Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei c. 15. asserit: *Deum dedisse Romanis amplum imperium, vt eorum virtutes in hac vita remunerationem aliquam haberent*. Resp. Iansenius his, & similibus testimonijs solum probari dari in Infidelibus aliqua opera bona ex officio, & obiecto, non autem ex parte finis.

At contra: Scrip. & PP. loc. cit. testantur aliqua infidelium opera à Deo remunerata; sed si illa fuissent bona ex obiecto, & mala ex parte finis, seù mala ex intentione agentis, non fuissent à Deo remunerata, cum huiusmodi opera, non mercedem, sed pœnam mereantur, ergo &c. Quarè meritò Sedes Apost. in Bulla Pij V. damnauit hanc propositionem. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, idest quod ex solis viribus natura ortum ducit, agnoscit*: Et aliam videlicet. *Liber. arbit. sine adiutorio gratia Dei, non nisi ad peccandum valet*.

III. Concl. Homo sine gratia strictè sumpta, imò sine auxilio speciali ordinis naturalis, potest solo concursu generali Dei facere aliqua opera moraliter bona. Est Scoti, & Scotistarum, & videtur communis. Prob. 1. auct. Trid. sess. 6. can. 1. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, qua vel per humana natura vires, vel per legis doctrinam fiunt absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anath. sit*. Quibus verbis Concil. apertè supponit, per vires naturæ absquè Iesu Christi gratia effici posse aliqua opera moraliter bona; sed hoc intelligi nequit de operibus bonis solùm

ex officio, vel ex obiecto, & malis ex fine, & intentione operantis; ergo Concil. supponit per naturæ vires posse fieri aliqua opera bona non *ex obiecto tantùm, quæ sunt peccata, cum sint mala ex intentione*. Hæretici autem non erant ità stolidi, & amentes, ut dicerent per illa hominem iustificari, alioquin affirmassent peccata peccatis deleri; asserebant igitur hoc de operibus moraliter bonis, tam ex obiecto, quam ex fine, & intentione operantis: ac proinde Concilium supponit opera moraliter bona per vires naturę fieri posse, & ita docent PP. & signanter D. Aug. in lib. de Spiritu, & littera c. 27. dicens: *Infideles aliqua bona opera fecisse; nam inquit, quæ secundùm iustitiæ regulam meritò, rectèque laudamus*; & quidem per naturæ vires, seù lib. arb. absquè ulla gratia. Nec valet responsio Vasquez SS. PP. loqui de bono morali, seù naturali, nempè de ijs, quæ fiunt propter commoditatem naturæ, vel ad gubernationem externam, nempè ædificare domos, plantare vineas &c. non valet, inquam, quia, ut supra ostensum fuit ex eodem August. loquuntur de operibus moraliter bonis, de quibus remunerationem infideles à Deo in hac vita receperunt.

Prob. ratione. Homo in statu innocentiæ poterat viribus naturæ operari omne bonum morale suæ naturæ proportionatum; ergo in statu naturæ lapsæ aliquod opus moraliter bonum facere potest; quia propensio lib. arb. ad bonum honestum non est totaliter extincta, sed debilitata, & infirmata ex Concil. Trid. sess. 6. can. 5.

Arg. 1. cont. 1. concl. In Prouerb. c. 5. dicitur: *Victimæ impiorum Deo abominabiles*; & Isai. 1. *Ne offeratis vltra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi. Kalendas vestras, & solemnitates vestras &c* ex quibus verbis infertur, sacrificia impiorum Deo displicere; ergo à fortiori opera, quæ sunt indifferentia. Resp. S. Scrip. loquitur de illis operibus, quæ exigunt in sui productione gratiam sanctificantem; ut susceptio Eucharestiæ; non verò de operibus moraliter bonis, quæ cum non tendant ad Dei reconciliationem, sed ad solam honestatem finis naturalis, non exigunt gratiam sanctificantem.

Arg. 2. ex Psalm. 13. *Omnes declinauerunt, & inutiles facti sunt*. Item *Arbor mala non potest bonos fructus facere*; ergo peccator nequit efficere opus moraliter bonum. Resp. ad 1.

Inu-

Inutiles esse ad opera meritoria gloriæ. Vnde dicit D. Aug. omnes indigent gratia Dei; non tamen sunt inutiles ad opera moralia. Ad 2. resp. arbor mala in genere meriti, & in ordine ad vitam æternam conc. in genere moris, nego.

Arg. 3. ex D. Paulo ad Titum. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed coinquinata sunt eorum mens, & conscientia*: ergo &c. Resp. Apost. non loqui de operibus infidelium, sed de cibis mundis, & imundis secundum legem. Quasi dicat hominibus iustis, & fidelibus nullus est cibus immundus post abrogatam legem; sed tantum Iudæis, & infidelibus, qui nolunt credere Christum, omnes cibi sunt immundi, quia mala conscientia manducant, existimantes se teneri legi &c.

Arg. 4. ratione. Ad moralem bonitatem actus humani exigitur, quod in Deum referatur; sed ad Deum nequit referri nisi per gratiam habitualem, & per charitatem: ergo &c. Resp. neg. assumptum in mai. Nam ad bonitatem moralem actus humani sufficit, quod ipse actus ex natura sua, siuè ex obiecto ordinetur in Deum, ut luminis naturalis, & boni honesti Auctorem, & sicut bonum particulare in bonum uniuersale, & quod eliciens talem actum non impediat huiusmodi ordinationem, ordinando illum ad aliquem finem prauum, vel alia circumstantia vitiosa deturpando: eo enim ipso quod non impeditur relatio, quam ex sui natura importat ad Deum, refertur ad illum.

Arg. 1. cont. 2. concl. Nullum potest dari opus bonum sine intentione recta; sed non potest dari intentio recta sine fide: ergo &c. min. prob. quia fides est veluti mentis oculus, qui intentionem dirrigit; dicente D. Aug. *Nemo computet sua bona ante fidem*, & concludit: *Intentiones fides dirrigit*.

Resp. neg. min. ad prob. dicitur, quod D. Aug. intelligendus est de operibus bonis ordinis supernaturalis, non verò ordinis naturalis, qualia sunt opera moralia, quæ etiam ante fidem illa supponit, ut indicat per illa verba. Nemo bona sua &c.

Contra. D. Aug. lib. 4. cont. Iulian. videtur docere, quod fides ad omne opus bonum exigitur: ergo sine fide nullum opus bonum potest ab homine fieri, patet ant. nam infert omnia opera infidelium esse peccata, & virtutes Philosophorum non esse veras virtutes, sed vitia. Resp. breui-

uiter cum nostro Herincx. D. Aug. solum velle, quod nulla sint bona meritoria. Deinde quod ordinariè sunt vitiosa ex fine, ut satis patet ex contextu, & exemplis, quæ allegat, & ex alijs locis eiusdem, ubi clarè asserit oppositum signanter lib. de spiritu, & litt. c. 27. Quarè Iansenius, qui nimis sic arguendo confidit in testimonijs D. Aug. deberet illa interpretari ad mentem ipsius Doctoris, & non eum trahere in suam prauam intelligentiam.

Contra. Idolatra habet pro suo ultimo fine idolum: ergo idolatra omnia facit propter idolum, ac proinde omnia eius opera sunt peccata. Resp. neg. ant. Non enim omnia opera idolatræ procedunt ex intentione expressa, vel implicita placendi idolo, ut patet, quando dat eleemosynam, nihil cogitans de idolo, sed solum ex pietate erga pauperem; & quando tribuit alteri, quod suum est ratione iustitiæ.

Arg. iterum ex D. Aug. lib. 9. de Trinit. c. 7. ubi ait. Quicquid ab homine fit, fit aut charitate, aut cupiditate, at cupiditas est vitiosa: ergo &c. Resp. Aug. intelligit ut plurimùm, non verò semper. Vel resp. dist. ant. aut charitate humana, aut charitate diuina. Vnde si non fit ab infideli; & peccatore charitate diuina, fit tamen charitate humana, ut patet de eleemosyna &c.

QVÆSTIO V.

Vtrum homo solis viribus naturæ possit obseruare præcepta legis naturæ.

NOt. 1. Quòd præcepta legis naturæ obseruari possunt dupliciter, vel quoad substantiam, vel quo ad modum. Tunc dicuntur præcepta moralia (& idem dicendum est de alijs) seruari quoad substantiam, quando scilicet homo fidelis facit rem præceptam, ut si det eleemosynam, diligat Parentes; & prohibita vitet, ut non occidat, non fornicetur &c. Tunc verò dicuntur obseruari quoad modum, quando actus præcepti, vel prohibiti ex lege naturali exercentur, vel vitantur propter finem supernaturalem, vel ex motiuo supernaturali charitatis idest secundùm mentem legislatoris, & in ordine ad vitam æternam.

Not.

Not.2. Quòd potentia hominis ad bonum morale est duplex, nempè physica, & moralis; physica attenditur penes naturæ potentiam, quæ quantum est ex se nata est facere aliquid, non habita ratione de circumstantijs extrinsecis, quæ possunt illud reddere difficile, aut impossibile. Potentia verò moralis est ea, quæ non solum respicit obiectum, & potentiam, sed etiam circumstantias loci, temporis, tentationis, & aliorum, quæ in exercitio boni operis possunt impedimentum afferre. Si spectetur potentia physica, homo non est impotentior in natura lapsa ad actus virtutum naturalium, quam in natura integra: secùs si spectetur potentia moralis, cum circumstantijs extrinsecis, quę reperiuntur in agendo sit igitur.

I. Concl. Homo in statu naturæ lapsæ per solius naturæ vires potest physicè obseruare omnia legis naturæ præcepta quoad substantiam; moraliter verò nequit omnia collectiuè adimplere, sed aliqua tantum quoad substantiam, non quoad modum. Est Scoti D. Thom. Prob. ex hactenus dictis. Potest homo operari secundum naturæ potentiam, & naturam obiecti; sed præceptum legis naturæ est proportionatum potentiæ naturali in se consideratæ; voluntas enim humana habet potentiam physicam sufficientem ad fugiendum, & ad prosequendum, quæ lumen naturale ei proponit facienda, & fugienda, ergo naturaliter, spectata potentia physica, homo potest omnia legis naturalis pręcepta seruare. Prob. 2. pars ex D. Paulo ad Rom. 7. *Video in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ &c.* & idem tradunt Conc. Carteg. 11. Mileuit. & alia. Ratio est: quia moraliter impotentes sumus ad id, quod est laboriosum, & perdifficile, sed in statu naturæ lapsæ est homini valdè laboriosum, & difficile seruare omnia præcepta collectiuè; ergo nequit in statu naturæ lapsæ &c. minor est manifesta, nam homo pro stato isto agitatur innumeris tentationibus, exterioribus, & interioribus, tum concupiscientiæ, tum Dæmonis, adeout moraliter sit homini impossibile, etiam breui tempore seruare omnia præcepta; sicut nequit facere omne opus morale.

Prob. 3. pars. Eo quia aliquando possunt occurrere aliqua præcepta naturæ, quæ ità sint facilia, ut homo sine gratia ea seruare valeat, & reuerà seruet; maximè si non

agi-

agitetur graui tentatione; & sit homo non adhuc vitijs deditus. Prob. etiam hæc concl. iisdem rationibus, quibus ostensum fuit, hominem posse viribus naturæ cum solo generali concursu facere aliquod bonum morale (dico aliquod, non verò omnia sigillatim) quia non possumus vincere omnem tentationem, ut infrà videbimus, quæ in obseruatione omnium præceptorum occurrere possunt, juxta illud Sap. 8. *Sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.*

II. Concl. Homo in statu naturæ lapsæ nequit sine gratia habituali, seù sanctificante obseruare totam legem naturæ. Hæc est communis utriquè Scholæ. Prob. impossibile est esse benè ordinatum circa media, qualia sunt præcepta, & non circa finem, idest Deum, quia media propter finem eliguntur, sed sine gratia sanctificante nullus homo pro statu isto est benè ordinatus in Deum ultimum finem, ergo sine gratia habituali nullus homo lapsus potest obseruare omnia mandata naturalia. Confirm. Sub lege naturæ comprehenditur præceptum diligendi Deum super omnia tanquam naturę auctorem; at hoc impleri nequit sine gratia, ut paulo infra videbimus ergo nec tota lex naturalis.

III. Concl. Homo lapsus ad totius legis naturæ obseruantiam præter gratiam habitualem, necessariò indiget auxilio speciali Dei, seù gratia actuali. Prob. 1. pars. Impotentia moralis ad totius legem obseruantiam in homine lapso, & in peccato mortali existente, non solum prouenit ex defectu subiectionis mentis ad Deum, ut finem ultimum, sed etiam ex rebellione, & pugna appetitus inferioris contra rationem: sed gratia habitualis estò mentem Deo subijciat, rebellionem tamen appetitus inferioris contra superiorem non tollit, immò eam ad pugnam, & meritum in nobis reliquit, ut docet Trid. sess. 5. in Decret. de peccato originali; & experientia satis ostendit; ergo in homine lapso ad totius legis naturæ obseruantiam, præter gratiam habitualem, necessariò requiritur gratia actualis.

Arg. 1. cont. 1. concl. In Deut. c. 30. habetur. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, neque procul positum, nec in cælo situm.* Quibus verbis indicari videtur, obseruantiam legis, quam nomine Dei intimabat Moyses Populo hebræo, non esse supra naturales vires: ergo &c.

Resp.

Resp. dist. & simul explicando auctorit. Mandatum hoc non est supra te adiutum gratia diuina, conc. ant. supra te operantem ex solis viribus naturæ, neg. ant. Id sanè significare voluit Moyses Populo hebræo.

Arg. 2. Ad Rom. 2. dicitur. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*; ergo Gentiles ex solis viribus naturalibus legem naturalem obseruabant. Resp. 1. ex D. Aug. lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. & ex D. Thoma in comment. super hunc locum; illa verba Apost. posse intelligi de gentibus ad fidem conuersis, & operantibus per naturam gratia reformatam. Resp. 2. ex Orig. Chrisost. Hieron. & Ambrosio. Quod equè benè verba Apost. intelligi possunt de gentibus non dum ad fidem conuersis; Vnde dicere voluit Apost. Gentiles naturaliter idest solo lumine naturali, viribus naturæ in aliquibus benè operari, & aliqua legis naturalis præcepta obseruare; licet totam præceptorum naturalium collectionem, totamque naturæ legem adimplere non possent sine auxilio diuinæ gratiæ.

Contra. Præcepta legis naturæ collectiuè sumpt, cum sint naturalia, non excedunt vires naturæ: ergo ad illa obseruanda non est necessaria Diuina gratia. Resp. dist. ant. non excedunt vires naturæ sanæ, & integræ, conc. ant. infirmæ, & corruptæ, neg. ant. Rep. 2. non excedunt naturam etiam corruptam physicè conc. moraliter neg. ant. quæ distinctio patet ex dictis.

Contra. Homo in statu naturæ lapsæ potest singula præcepta legis naturæ, sine speciali gratia obseruare; sed qui potest singula præcepta, potest etiam, & totam collectionem; ergo homo in statu naturæ lapsæ potest obseruare omnia præcepta naturalia absque diuina gratia. Resp. 1. neg. mai. homo enim lapsus nequit sine gratia obseruare primum, & maximum mandatorum Dei, ut infra dicetur, sine diuina gratia, nempe de dilectione Dei, ut auctoris naturæ. Resp. 2. data mai. neg. min. cuius falsitas patebit ex dicendis infra, cum de venialibus agetur. De qua difficultate aliquid dictum fuit etiam in quæst. de cognitione veritatum naturalium.

Arg. 1. cont. 2. concl. Habitus non est necessarius nisi ad actus sibi proprios, v. g. temperantia, ad actus temperantiæ. Iustitia ad actus iustitiæ &c. sed gratia habitualis est

tan-

tantum necessaria ad actus supernaturales, & meritorios; ergo non est necessaria ad actus virtutis naturalis.

Resp. dist. mai. non est necessaria per se, & influendo conc. mai. per accidens, & remouendo impedimentum, nego mai. estò enim temperantia influat tantum in actus temperantiæ; per accidens tamen concurrit, ut actus iustitiæ exerceatur; nimirum impediendo, ne homo per voluptates corporis diuertatur à iure reddendo unicuiq; &c. sic gratia propter influxum in actus meritorios est necessaria per accidens, quatenus Deus iustificato i tuitu ipsius gratiæ dat gratias actuales. Tum quia ut dictum fuit in tract. de Sacram. in genere, gratia habitualis pœnitentiæ e. g. exigit quodammodo gratiam sacramentalem, quę consistit in gratia actuali, qua resistitur peccato.

Cont. Si homo sine gratia habituali non posset obseruare totam legem naturæ, teneretur quilibet Christianus conteri, & confiteri quamprimum peccata mortalia; sed hoc est contra communem sententiam Theologorum, ergo &c. Sequela maioris probatur, eò quia tenetur quilibet sub peccato mortali vitare occasionem peccati mortalis; at remanere in tali statu, ut non possit non peccare contra legem naturæ, est remanere in occasione peccandi mortaliter, quam vitare tenemur; ergo &c. Resp. neg. sequelam mai. ad prob. dist. min. occasionem proximam tenetur quis vitare conc. remotam, neg. Talis autem occasio in nostro proposito non est proxima, quia licet homo in peccato existens nequeat toto tempore vitæ suæ seruare legem naturæ, potest tamen pro aliquo tempore, saltem adiutus auxilio actuali, nec non superare graues tentationes; & sic non manet in proxima occasione peccandi, quæ tunc est, quando quis moraliter loquendo, vel semper, vel plerumquè peccat mortaliter, ut docent Theologi, de qua p. 4. t. 3.

Cont. Si gratia habitualis requiratur ad obseruationem legis naturalis, ergo nullus infidelis poterit legem naturæ obseruare, sed hoc videtur absurdum; ergo &c. Resp. dist. sequelam mai. Quamdiù infidelis manserit in infidelitate conc. si autem studeat transire ad veram fidem, nego. Nullus enim est infidelis, cui desint media, quibus cessare possit ab infidelitate, ut alibi dicetur.

Arg. 1. cont. 3. concl. ex canone Concil. Mileuit. *Gratia*

Dei,

Dei, quà iustificamur per Dominum nostrum Christum, non ad solam remissionem peccatorum commissorum valet, sed insuper est adiutorium, ut non committantur, ergo præter gratiam habitualem non est necessaria gratia actualis. Resp. Quod ex dictis paulò superius constat quid sit respondendum. Dicendum ergo, quod Concil. nil aliud intendit docere, nisi quod etiam gratia habitualis aliquid præstat ad obseruantiam legis; & maximè, quia in ea fundantur gratiæ actuales sacramentales, ut supra indicatum fuit. Itaquè Concil. loquitur de gratia habituali, quæ velut principalis trahit ad se minus principale, seù accessorium, idest gratiam actualem. Ex hactenus dictis euidenter infertur, quam temerè, & impiè asseuerauerint hæretici, Deum impossibilia præcipere, in quò errore etiam Iansenius se inuoluit, ut patet ex eius prima propositione damnata. Quarè ne cogamur nouam quæstionem instituere contra hæreticos, & Iansenium, dicimus de fide esse; Deum nihil impossibile præcipere, imò omnia eius præcepta esse possibilia homini, vel proximè, vel remotè, idest mediante gratia sufficienti, quam nemini Deus denegat, ut infra ostendetur. Quod si illa gratia non sit tanta, ut cum illa vinci possint omnes difficultates, quæ in præceptorum obseruatione aliquando occurrunt; tamen semper talis est, ut per eam petere maiorem possimus, & impetrare, vel eleemosynis, vel orationibus, vel ieiunijs, &, ut unico verbo omia complectar, eliciendo aliquod bonum. Hæc autem veritas catholica clarè traditur in S. Scrip. ut Deut. 30. *Mandatum, quod ego &c.* Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*; ergo iugum præceptorum Dei non est impossibile, aliàs non esset suaue, sed durum. Ioan. præcepta eius grauia non sunt; & Paul. ad Corint. c. 20. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quuod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*. Vbi Apost. non loquitur solis prædestinatis, ut malè abutitur Scrip. Iansenius; sed & omnibus fidelibus, qui erant Corinthi, quorum plurimi erant contentiosi, rixantes, & vino indulgentes; ac proindè non obseruabant omnia mandata legis ut patet ex c. 11.

Traditur insuper eadem veritas à Concilijs, & signanter à Senonensi, quod primum contra Lutherum celebratum fuit, in sua præfatione referente hanc propositionem, quæ

Lu-

Lutheri est. *Qui negat Deum ad impossibilia hominem obligasse, malè agit, & qui dicit hoc falsum esse, pessimè facit*, contra quam definiuit, illam damnando. Et Trid. sess. 6. c. 11. *Nemo temerariè illa, & à Patribus prohibita voce utatur. Dei præcepta homini iustificato ad obseruanda esse impossibilia*. Et subdit: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & dat, ut possis*, idem habet can. 18. & sess. 6. can. 6. *Si quis dixerit non esse in hominis potestate vias suas malas facere anathema sit* Cui damnationi subijciuntur Iansenistæ, quia in eadam prorsus opinione versantur.

Neque respondeat Iansenius, se differre ab illis hæreticis, eo quia intelligebant, mala opera esse in potestate hominis; ipse verò dicat lib 8. de gratia Christi c. 24. Malè facere esse in potestate peccantium; nam hæc responsio est elusoria, quia ut notat Boyuin sexcentis in locis explicat, quomodo peccatum sit in potestate hominis; non quod homo sit dominus eius, ut illud vitare semper possit; sed quia ad illud non cogitur, licet necessitetur; ex qua falsa doctrina constat, idem sentire cum Caluino, licet Iansenius diuersis verbis utatur ad euitandam hęreticorum damnationem. Denique eandem veritatem docent unanimi consensu SS. PP. atque Theologi Catholici.

QVÆSTIO VI.

Vtrum homo solis viribus naturæ diligere possit Deum super omnia.

NOt. 1. Quòd sicut duplex distingui potest Religio, altera ordinis naturalis, cui præfulget lumen rationis, & qua Deus colitur ut auctor naturæ per actus eiusdem ordinis, altera supernaturalis, cui præfulget lumen fidei, & qua Deus colitur ut auctor gratiæ per actus fidei, spei, & charitatis, & virtutum moralium infusarum; ita etiam duplex est dilectio Dei sumpta, non pro naturali propensione in finem ultimum, seu in bonum, quo maius excogitari non possit, sed pro dilectione elicita, seu voluntaria; prior est naturalis, & ex genere suo acquisita, quæ per lumen rationis regulatur, & ad Deum ut auctorem naturæ terminatur; posterior supernaturalis, & per se infusa, quæ regu-

latur per lumen fidei, & qua Deus ut auctor gratiæ, & gloriæ à nobis diligitur; hanc non posse ab homine elici ex proprijs viribus, & sine auxilio gratiæ de fide habetur definitum in Trident. sess. 6. can. 3. sed de altera controuersia est inter Theologos.

Not. 2. Quòd amor Dei naturalis duplex esse potest; unus beneuolentiæ, quo quis Deum propter ipsum Deum diligit; etsi à Deo redametur, vocatur amor amicitiæ. Alius concupiscientiæ, quo creatura diligit Deum, ut benè sit ipsi creaturæ. Rursus amor concupisceintiæ duplex est, alius licitus, quo Deum amamus, ut ultimum finem nobis conuenientem; alter illicitus, & vitiosus, quo amamus Deum tanquam medium ad obtinenda ut ultimum finem, bona temporalia. Insuper amor Dei vel est perfectus, vel imperfectus. Imperfectus est ille, quo Deus diligitur, non tamen super omnia, nec omnibus rebus actualiter præfertur. Perfectus verò est ille, quo Deus diligitur super omnia: & iste adhuc duplex est, nempe affectiuus, seu inefficax, & effectiuus, seu efficax. Primus est propositum nostræ voluntatis statuentis Deum diligere super omnia, si daretur occasio: 2. est executio illius propositi videlicet, cum voluntas Deum rebus omnibus anteponit; & hic amor includit obseruantiam omnium mandatorum Dei.

Not. 3. Quòd amor Dei super omnia potest intelligi tripliciter; nempe intensiuè, & est quando summo voluntatis conatu, & actu intensionis diligitur Deus. 2. extensiuè; idest dum diutiùs durat talis amor; 3. æstimatiuè, seu appretiatiuè, & est quando Deus ita diligitur, ut pluris æstimetur Deus, quam cætera bona omnia, siue fiat comparatio cum bonis creatis in particulari; siue diligatur absolutè tanquam infinitum bonum, & omnibus præstantius.

I. Concl. Homo etiam lapsus viribus naturæ cum generali concursu Dei potest amare Deum, ut auctorem naturæ amore imperfecto, tum concupiscientiæ, tum beneuolentiæ, quocum stare potest peccatum mortale. Hæc est Alens. Bonau. Richard. Scoti, & Scotistarum Recent. contra Michaelem Baium, qui in propositione 34. damnata à Pio V. & Gregor. XIII. sic ait. *Distinctio illa duplicis amoris, quo Deus amatur, ut auctor naturæ, & amoris gratuiti, quo amatur, ut beneficator, vana est, & commentitia ad illudendum Scrip-*

tu-

tura & Patribus. Prob. concl. ex D. Paulo ad Rom. ubi ait. *Gentiles esse inexcusabiles, quod cum Deum cognouissent, non tanquam Deum glorificauerunt*; idest laudauerunt, & amauerunt. Prob. 2. auct. SS. Concil. Mileuit. can. 4. Arausic. can. 25. Trident. sess. 6. can. 3. docentium, Deum sine gratia non posse diligi; prout oportet, ad salutem, ergo si non prout oportet, saltem amore naturali imperfecto. Eandem doctrinam tradunt SS. PP. & signanter D. August. contra Iulian. lib. 4. cap. 3.

Prob. ratione. Naturalis ratio ostendit, Deum esse bonum summum, & infinitum, ergo voluntas saltem actu imperfecto potest naturaliter in eius dilectionem exire.

Confirmatur, eo quia in huiusmodi amore eliciendo non experitur specialis difficultas, cum non excludat efficacem affectum erga creaturas, neque peccaminosum, ergo &c.

II. Concl. Homo lapsus nequit viribus lib. arb. & cum solo generali concursu diligere Deum ut naturæ auctorem super omnia dilectione efficaci: Hæc est Alens. D. Bonau. Richard. & Scoti, licet non solum à Thomistis, & signanter à Gonet, sed etiam à quibusdam Scotistis ei adscribatur sententia conclusioni opposita. Prob. 1. auct. Concil. Arausic. can. 25. *Prorsus donum Dei est diligere Deum*; & Trident. sess. 6. & cap. 6. docet: *Hominem à Deo motum, & excitatum, atque eodem adiuuante, incipere diligere Deum*; ergo nequit homo &c.

Prob. auct. D. Aug. lib. de gratia, & lib. arb. cap. 16. dicentis; *Si non ex Deo, sed ex hominibus est dilectio Dei, & proximi vicerunt Pelagiani: Si autem ex Deo, vicimus Pelagianos*. Prob. ratione. Perfectus amor amicitiæ Dei, maximè ut finis supernaturalis, præsefert omnium præceptorum obseruantiam; nam diligens Deum super omnia habet efficacem voluntatem implendi quicquid iubet Deus iuxta illud Apost. ad Rom. c. 13. *Plenitudo legis est dilectio*; sed obseruatio omnium præceptorum nequit haberi sine gratia actuali Dei, ergo neque amor perfectus amicitiæ Dei.

Præterea. Amor perfectus amicitiæ Dei super omnia appretiatiuè est opus omnibus excellentius, ac proindè valde arduum, quia cum eo pugnat natura corrupta, voluntas ad malum procliua, appetitus sensitiuus circa sensibilia, & delectabilia; quæ sunt incompossibilia cum perfecto Dei amore ex viribus naturæ elicito; ergo ad hoc ut vo-

lun-

luntas difficultates præfatas superare valeat, indiget necessariò gratia Dei ad ipsum super omnia diligendum.

Arg. cont. 1. concl. Scrip. non meminit alterius amoris, quàm illius, qui elicitur à charitate, ergo non debemus admittere amorem naturalem. Resp. neg. conf. & ratio est quia finis scripturæ est tantum accendere in cordibus nostris amorem, qui ad salutem æternam ducit.

Arg. intellectus agnoscere potest viribus naturæ Deum esse summum bonum; ergo voluntas potest viribus naturæ illum diligere super omnia; voluntas namquè potest habere suos actus circa quodlibet obiectum ab intellectu ei ostensum. Confirm. auct. Scoti docentis in 3. d. 27. q. un. & dist. 26. q. un. hominem posse ex puris naturalibus diligere Deum super omnia, & idem videtur docere quol. 17. & in 2. Reportat. dist. 28. Resp. neg. conf. & ratio est, quia voluntas est magis vitiata ad appetitum boni, quam intellectus ad cognitionem veri; peccatum namquè à voluntate commissum, & appetitus rebellio est contra voluntatem magis, quàm contra intellectum. Quare plura intellectus dictare potest, quæ nequit voluntas se sola, & cum solo generali concursu operari; dictat siquidem omnia præcepta esse seruanda, & tamen non potest viribus naturæ obseruare, ut paulò superius ostensum est.

Ad confirm. dicendum quod Scot. loquitur de potentia physica, non verò de potentia morali; nam spectando potentiam intellectiuam dictantem, Deum esse diligendum super omnia potest, ut Scot. loquitur signanter in 3. d. 27. Vel intelligi de amore imperfecto, & inefficaci &c. Vel resp. cum aliquibus Scotistis, Scot. tantum velle, quod voluntas hominis possit absquè gratia habituali, non verò absquè actuali diligere obiectum summum, & infinitum, quale est Deus. Vndè ly in puris naturalibus non est particula exclusiua simpliciter omnis alterius comprincipij supernaturalis, etiam actualis; sed solùm habitus charitatis, de quo loc. cit. erat disput. & concertatio inter Scotum ex una parte, & D. Thom. & Henric. ex altera. Hinc si hunc Scoti sensum, eiusquè phrasim loquendi profundiùs inuestigasset Bontempo, non dixisset tract. 5. de gratia disp. 1. q. 11. Scotum impropriè, & laxè nimis in hac quæstione loquutum fuisse, nec se videre quomodo cum defen-

dere possit à Pelagianis; nimis equidem temeraria censura in tantum Doct. cuius scripta inoffenso pede percurrunt.

Arg. 2. Paganus magis diligit sua Idola, quàm cæteras mundi creaturas, & hæreticus plus diligit suam peruersam Religionem, quam omne aliud, cum uterquè paratus sit potiùs mori, quam Idola contemnere, & hæreses deserere; ergo à fortiori homo sine gratia poterit diligere Deum super omnia, etiam longo tempore, & non obstante graui tentatione. Resp. neg. absolutè conf. & ratio est quia ad malum faciendum non requiritur gratia, benè tamen ad bonum operandum, quod longo tempore duret, quia naturæ corruptæ est vitium in malum propendere, & usquè ad sanguinis effusionem, & vitæ profusionem peruersam voluntatem tenere, & delectabilibus sensus inhærere. Sic operati sunt, & operantur Gentiles, & Hæretici propugnantes suos errores, etiam usquè ad mortem, qui meritò martyres Diaboli appellantur. Vnde Concil. Arauf. can. 17. ait fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit. Itaquè ad difficilia perferenda, ut de mente Aug. adnotauit noster Herincx disp. 2. q. 3. de necessitate gratiæ n. 31. hoc in impijs præstat mundana delectatio, seù cupiditas, quod in virtuosis præstat delectatio cœlestis, seù diuina gratia.

Arg. ultimò. Potest aliquis homo solis naturæ viribus mori pro Patria, vel prò Parentibus; ergo à fortiori pro Deo, ut naturæ Aucthore; ac proindè Deum solis naturæ viribus super omnia efficaciter diligere iuxta illud Ioan. c. 15. *Maiorem charitatem &c.* Resp. dato ant. neg. conf. & paritatem ob duplicem rationem discriminis. Prima est quia Deus est magis separatus à bonis sensibilibus, quæ magis & efficacius nos mouent: 2. quia dilectio Patriæ, vel Parentum non postulat, quod relinquantur omnia peccata mortalia; sicut dilectio efficax Dei, quæ nullum peccatum mortale, siuè actuale, siuè habituale, siue originale compatitur.



QVÆ-

Vtrum homo solis viribus liberi arbitrij possit se disponere ad actus contritionis, vel attritionis saltem quoad substantiam.

NOt. 1. Quòd contritio imperfecta, seu attritio ex Concil. Trid. est dolor de peccatis commissis cum proposito de cætero non peccandi ob turpitudinem peccati, vel ob metum gehennæ, & pœnarum. Contritio autem perfecta est dolor efficax, seu detestatio de peccatis commissis cum proposito de cætero non peccandi ob offensam Dei, summè diligendi; ex quibus diffinitionibus constat differentia, quæ intercedit inter attritionem, & contritionem perfectam; de quibus Deo adiuuante latè agetur in 4. parte huius Breuarij theologici. Quid autem sit contritio, & attritio quo ad substantiam, & quoad modum ex dictis patet.

Not. 2. Quòd Pelagiani, ut refertur in Concil. Palest. propositione 22. dicebant hominem proprijs viribus posse resurgere à peccatis, & vitam æternam assequi; addentes, quod petentibus venia non datur secundùm gratiam, & misericordiam Dei, sed secundùm meritum, & laborem eorum. In quo errore nonnulli malè intelligentes Scotum, ne dicam malo affectu in Scotum, ipsum inuoluerunt; eo quia in 4. d. 14. q. 2. §. de 2. principali ait. Peccator in peccatis existens potest ex naturalibus cum influentia communi considerare peccatum commissum, ut offensiuum Dei, & contra legem Dei, ut auersiuum à Deo, & ut inductiuum supplicij &c. Doctiss. noster Vega expendens illam particulam, ex naturalibus; dicit, quod illa se tenet ex parte intellectus tantum, quia Scot. loquendo de voluntate, non ponit illam particulam ex naturalibus. Delfinus, & Fauentinus aliter explicant Scotum; sed ne limites breuitatis, cui studeo, trasgrediar; omissis cæterorum Scotistatum responsionibus, & explicationibus amplector expositionem Hiquæi Scoti coment. in 4. loc. cit. qui in hoc sensu Doctorem interpretatur, videlicet, Scotum utendo hac phrasi ex puris naturalibus, cum communi Influentia excludere solum gratiam inhærentem, cum ponat duas re-

gulas in intellectu dictantes pœnitentiam, alteram ex lumine naturali, alteram ex lumine fidei; subditque esse regulam reuelatam, & notam peccatori fideli. Neque ly ex puris naturalibus cum communi influentia, intelligitur de concursu generali causæ primæ ad effectus causarum secundatum. Neque dicitur communis eo modo, quo adiutoria communia extrinseca dicuntur generalia, sicut dicebat Pelagius de lege, reuelatione, & exemplo Christi, & eius doctrina, sed dicitur communis, & generalis, quatenus comprehendit sub influentia communi, & generali omnia media supernaturalia operandi, siue permanentia, siue transeuntia, idest tam actualia, quàm habitualia, & dicitur generalis, denominatione desumpta à lege diuinę essentiæ, qua decernitur Prouidentia generalis de omnibus hominibus in ordine ad auxilia supernaturalia. Qui quidem modus loquendi est etiam D. Aug. qui aliquando sub nomine generico Prouidentiæ comprehendit gratiam, & adiutoria, etiam efficacia, ut patet in lib. de perfectione iustitiæ cont. Cælestium. Scotus igitur nomine influentię generalis diuinæ Prouidentiæ comprehendit dona per se necessaria ad detestandum peccatum, ut oportet.

Cæterùm, quod hæc Scoti doctrina non faueat Pelagianis, & sanè sit intelligenda, euidenter deducitur ex ijs, quę habet pluribi, & præsertim in 4. d. 20. q. un. ubi docet sic. Cum ergo opus sit non hominis, sed Dei fructuosam pœnitentiam inspirare, potest eam quandocumque vult, supple, dare, & inspirare. In 1. d. 17. q. 2. art. 2. in principio docet, quod asserere actum ex puris naturalibus esse meritorium, appropinquat errori Pelagij, & art. 1. §. contra istam concl. nempe quæ dicitur Magistri; sic discurrit. Ex secunda via, hoc autem quod meritoriè agit, supple homo, non potest esse pura natura, quia tunc ex solis naturalibus posset meritoriè agere, quod videtur error Pelagij ex quibus locis, & ex alijs perspicuè constat nunquam Scotum exclusisse gratiam actualem. Quarè immeritò Aduersarij trahunt in calumniam illum modum loquendi ex naturalibus cum communi influentia, & eo vel maximè, quod etiam D. Thomas, & alij utuntur eadem phrasi, idest generali influentia, & tamen Doctores, non eos censurant, sed conantur eos in bonum sensum trahere: tum quia deberet eis

suf-

ſufficere Scoti doctrinam à ſupremo Tribunali SS. Inquiſitionis Romæ Decreto ſpecialiter edito 1610. fuiſſe canonizatam; pronunciando. Quidquid conſtaret dixiſſe Scotum, intactum inuiolatumquè admittendum eſſe.

Concl. Homo poteſt cum ſolo generali concurſu Dei elicere actum contritionis, non quidem perfectè, ſed imperfectè, quæ attritio dici ſolet quoad ſubſtantiam actus; non verò quoad modum, ſeù meritoriè in ordine ad gratiam, & gloriam. Prob. Concl. quoad 1. p. Poteſt homo abſquè gratia actuali obſeruare præcepta aliqua; etiam diligere Deum ſuper omnia amore imperfecto; ergo poteſt homo fidelis conſiderare pecatum ut vitium, ob eius turpitudinem deteſtabile, & ut inductiuum ſupplicij æterni, & illud fuggere, nolle, & deteſtari citra meritum vitę æternæ: ſed talis deteſtatio dicitur attritio quoad ſubſtantiam actus; ergo homo fidelis talem actum attritionis &c.

Prob. 2. pars auct. Concil. Arauſ. can. 35. Mileuit. c. 14. & Trid. ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit ſine præuenienti Spirit. Sanct. operatione &c* ergo ſicut nequit elicere homo etiam fidelis actus fidei, ſpei, & charitatis ſicut oportet, ideſt meritoriè; ita nec actus pœnitentiæ, ideſt attritionis. Prob. ratione. Sicut actus fidei, ſpei, & charitatis ſupernaturales, ut oportet ad iuſtificationem aſſequendam ſunt in adultis peccatoribus diſpoſitiones ad ipſam iuſtificationem, ità actus ſupernaturalis attritionis; ergo homo non poteſt elicere actus ſupernaturales penitentiæ; ac proindè ut proportionentur formæ, ad quam diſponunt, eſt neceſſaria gratia actualis ad illos meritoriè, & ut oportet eliçiendos. Nam principium naturale ſimpliciter nequit ſe ſolo proportionari effectui ſupernaturalis ordinis.

Arg. cont. concl. Si attritio eſſe poteſt actus naturalis quoad ſubſtantiam, & ab homine ſine gratia haberi poſſet; ergo attritio, ſeu contritio non computarentur inter difficilia; ſed inter difficilia computantur; ergo &c. Reſp. neg. ſequelam, quia attritio meritò inter difficilia comtatur; non autem inter impoſſibilia quoad ſubſtantiam actus, benè tamen quò ad modum, ſeù quoad ſupernaturalitatem, cum impoſſibile ſit, quod homo ſine gratia Dei à peccato mortali reſurgere valeat.

Quæres. An gratia ſit neceſſaria ad actus virtutum mora-

ralium, videlicet Prudentiæ, Iuſtitiæ, Temperantiæ, & Fortitudinis. Reſp. Quòd virtutes morales poſſunt eſſe naturales, vel ſupernaturales: ſunt naturales quando eliciuntur ex motiuo naturali; ut abſtinentia à cibis propter ſanitatem, vel arduum aggreditur, ut mors deuitetur, & ſic eſt Temperantia, & Fortitudo naturalis. Supernaturales verò ſunt quando eliciuntur ex motiuo ſupernaturali; ut ſi quis hic, & nunc abſtinet à cibis, à ſocietatibus prauis &c. ne Deum offendat, ne gratiam amittat his prænotatis. Dicendum, quod virtutes, ſeu actus morales, ut naturales ſunt, dum eliciuntur, non exigunt gratiam ad illos producendos, niſi in caſu, quo urgeret grauis tentatio. Verùm ut producantur actus virtutum moralium, ſupernaturales, neceſſariò requiritur gratia actualis. Ratio, quia obiectum, & potentia debent eſſe eiuſdem ordinis, ſed obiectum eſt ſupernaturale, & potentia naturalis; ergo exigitur gratia Dei, ut potentia eleuetur ad ordinem ſupernaturalem. Similiter dicendum eſt de donis Spiritus S. quæ ſunt numero ſeptem, quorum quatuor pertinent ad intellectum, nempe ſapientia, ſcientia, intellectus, & conſilium, & tria ad voluntatem; ideſt timor, fortitudo, & pietas. Etenim dona iſta, vel identificantur in noſtra ſententia cum virtutibus infuſis; & ſic equè gratia indigemus; vel diſtinguuntur, ut volunt alij, inquantum procedunt ex ſpeciali motione Spirit. S. & tunc gratia ſpecialis eſt pariter neceſſaria, imò ſpecialior ad huiuſmodi actus eliciēdos; dixi ſpecialior; quia hoc diſcrimen eſt inter virtutes, & dona Spirit. S. quod illę ordinent hominem ad omnes actus bonos; iſta autem ad actus heroicos, ſeu præſtantiſſimos.

Sed petes. Quid ſit virtus heroica.

Reſp. quod virtus heroica, alia dicitur philoſophica, alia theologica. Prior ſic deſcribi poteſt, eſt illa, quæ ſupra homines in genere naturæ euehit, quatenus in operando facit ſuperare modum communem agendi aliorum hominum. Poſterior autem ſic. Eſt Regula tam perfecta rationis, & dominium tam abſolutum ſuper omnes paſſiones, ut nullum obiectum vim habeat remouendi heroum ab honeſto, & hoc ne dum reſpectu alicuius virtutis, ſed reſpectu omnium; adeout homo in ſuis actionibus potius diuinum ſapiat, quam humanum; ita operabantur Sancti in-

terris degentes. Vnde actio heroica ut sic, quæ Christo assimilat, est, ut docet Emin. Cardinalis Lauræa Seraphici Ordinis Decus in tom. de virtut. hominis fidelis operatio in aliqua materia virtutis ob finem supernaturalem, supra communem aliorum modum ex diuino dono, ac instinctu, seu operatione, cum abnegatione, siue implicita, siue explicita operantis. Dicitur hominis fidelis; quia solus christianus sic operatur; dicitur in aliqua materia virtutis, quia actio indifferens, & malà, non competunt Heroi christiano; dicitur ob finem supernaturalem; quia differt à ciuili, & philosophico; dicitur supra omnem communem agendi modum; quia id competit ipsi soli, dicitur instinctu diuino, quia licet iustus auxilio supernaturali operetur obseruando diu ina præcepta, ut alij; attamen non habet instinctum spec ialem, seù donum, quod in actionibus non indiget ratiocinio humano, sed à Spiritu S. ducitur, ut constat in multis sanctorum actionibus ob solam Dei gloriam, & absquè humano affectu. Hinc rectè infertur hominem in statu innocentiæ sine gratia speciali potuisse quidem operari heroicè in ordine ciuili, & philosofico, non verò in ordine supernaturali, & Theologico.

Quæres 2. An homo pro statu naturæ lapsæ cum sola gratia habituali possit elicere actus supernaturales, & meritorios. Resp. negatiuè. Ratio est, quia habitus, quo quis liberè agit nunquam operatur nisi applicetur ad operandum à potentia, in quà reperitur;' potentia autem creata nequit applicare habitum supernaturalem ad operandum, nisi ipsa potentia supernaturaliter eleuetur, ut possit applicare habitum supernaturalem. Quod docuit D. Aug. etiam de Adam in statu innocentiæ in lib. de correptione, & gratia, ubi ait. *Primum parentem præter illam gratiam, in quà conditus fuerat, indiguisse adiutorio, sine quo permanere non posset.* Imò sic videtur definitum in Concil. Trid. sess. 6. c. 16. ubi habetur. *Christus Iesus tanquàm caput in membra in ipsos iustificatos virtutem influit, quæ bona eorum opera semper antecedit, concomitantur, & sequitur.* Quæ verba indubiè de gratia actuali intelligenda veniunt; ut communiter Doct. contra Ruardum, Bellarmin. lib. 6. de gratia, cap. ult. quorum opinionem non omninò improbabilem, ut refert Herincx, censent VVigger.; & Malderus; etsi Ouiedo tract. 7. con-

trou. 6. punct. 7. credat, quod ab hac doctrina communi nemini recedere liceat; ob auctoritatem præsertim Trid. & Arauſ. can. 9. docentis. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.*

Quæres 3. An homo lapſus viribus naturæ, ſeù lib. arb. ſolo generali concurſu poſſit vitare omnia peccata mortalia ſaltem quoad ſubſtantiam.

Reſp. ex hactenus dictis conſtat, hominem lapſum non poſſe obſeruare præcepta naturalia; & tantò minus totám legem; ergo nec poteſt vitare omnia peccata mortalia alioquin obſeruare poſſet totam legem. Cæterum, poſſe hominem viribus lib. arb. vitare aliqua peccata citra meritum vitæ æternæ, & maximè non urgente graui tentatione; patet ex ſupradictis.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum homo lapſus viribus ſolius liber. arb. poſſit vincere omnes tentationes.

NOt. 1. Quod tentatio nihil aliud eſt, quàm motiuum ad malum inducens, & à bono retrahens. Tentatio autem ex triplici capite oriri ſolet. Primo ex ſuggeſtione Diaboli: 2. ex inclinatione appetitus: 3. ex occaſione, quæ in vita occurrunt. Tentationum autem aliæ ſunt leues, quæ parum afficiunt, & alterant animum, leuiter ſuadendo intellectum, & mouendo voluntatem. Aliæ ſunt graues, quæ vehementer mouent, & ſuadent, & afficiunt animum. Quæ quidem tentatio grauis duplici modo afficere poteſt animum. Primò taliter, ut uſum rationis prorſus impediat, vel abſorbeat, ut contingit in aliquibus iracundis, qui irati neſciunt quid faciunt: 2. taliter, ut iudicium rationis ſaluum, & inalteratum remaneat.

Not. 2. Quod tentatio ex triplici motiuo vinci poteſt. Primo per aliud peccatum; ſic aliqui propter auaritiam reſiſtunt tentationi luxuriæ; & tunc non eſt neceſſaria gratia: 2. ob amorem Dei, & hoc motiuum eſt ſupernaturale, ad quod ſemper exigitur gratia: 3. propter honeſtatem, & de hoc motiuo eſt quæſtio. Vnde quærimus: An tentatio, quæ rationis uſum non perturbat, ſiuè leuis, ſiue

gra-

grauis vinci possit sine gratia, non quod vincatur meritoriè, hoc enim est extra difficultatem apud Catholicos, sed ex honestate. Circa quam quæstionem sic explicatam sunt tres opiniones. Prima est Pelagij dicentis lib. arb. sine gratia posse superare omnes tentationes, quæ est hæretica: 2. est Mich. Baij asserentis nullam quãtumuis leuem sine gratia vinci posse: 3. est Theologorum Catholicorum, quę videtur communis, videlicet leues vinci posse, & aliquando graues aliquas pro breui tempore; non autem graues semper.

Concl. Homo lapsus nequit sine gratia Dei vincere leues tentationes collectiuè sumptas; diuisiuè autem, immò, & aliquam grauem tentationem pro aliquo tempore, non verò prò longo tempore superare sine gratia potest citra meritum vitæ æternæ. Prob. 1. pars. Nam in subitis, & repentinis tentationibus aliquando ita mens hominis commouetur in natura lapsa, ut nisi adiuuetur gratia diuina, necesse sit succumbere leui tentationi, quæ frequenter occurrit. Neque natura humana potest ita vigilare, ait Scot. in 2. d. 28. q. 11. quod omnes motus sensualitatis continuò reprimat, dum enim unum conatur reprimere, alius aliundè insurgit, cui moraliter necesse est, ut succumbat: ergo &c. Prob. 2. pars. Ex Pio V. & Gregorio XIII. qui damnant Baij propositionem 30. ubi fures, & latrones appellat eos, qui dicunt homines posse ulli tentationi sine Christi adiutorio resistere. Id etiam ratio suadet. Quia quando facultas aliqua, seclusis impedimentis, potest aliquid facere, potest etiam illud, dum leuia impedimenta occurrunt, fugere, & deuitare, alioquin talia impedimenta essent grauia. Prob. 3, pars ratione Scoti in 1. d. 1. q. 4. & in 4. d. 49. cont. D. Thom. & plures modernos. Ex duobus bonis potest voluntas minus bonum præferre maiori; ergo licet bonum delectabile, vel utile per tentationem oblatum præponderet bono honesto attamen poterit voluntas natiua virtute honestum eligere; maximè quia grauis tentatio iudicium rationis relinquit integrum, nec voluntatem necessitat ad consentiendum; ergo voluntas hominis lapsi naturalibus viribus poterit graui tentationi non consentire, immò etiam reluctari; non quidem pro longo tempore, sed pro aliquo tempore breui, citra tamen meritum vitæ æternæ, seù non meritoriè.

Arg.

Arg. cont. 2. & 3. part. Scriptura, Concilia, & PP. docent, victoriam tentationum esse à Deo; ergo &c. Resp. Victoriam nostram in ordine ad vitæ æternæ meritum esse à Deo, attamen citra meritum posse esse etiam à lib. arb.

Cont. Apost. ait. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? resp. gratia Dei per Iesum Christum*: ergo nequit homo superare tentationes; Vnde D. Aug. lib. 50. homilia 23. sic ait. *Si adulterum fuisti, hoc dicit Dominus Deus tuus: seruabam te mihi, vt non adulterium committeres. Suasor defuit, & vt deesset, feci: locus, & tempus defuit, & vt hæc deessent, feci. Adfuit suasor; non defuit locus, non defuit tempus, vt non consentires: ego tenui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes, quod non admisisti*: ergo &c.

Resp. Apost. loqui de tentationibus grauibus longo tempore durantibus, & de victoria meritoria, & D. Aug. vult nobis ostendere, quod si Adulterium, & huiusmodi peccatum non comiserimus, adscribendum esse diuinæ gratiæ, non sibi, & proprijs viribus.

Arg. quod possint ab homine superari etiam tentationes graues D. Aug. lib. de pœnit. c. 27. ait. *Potest aliquis ab Ecclesia separatus, pro veritate Sacramenti, quæ apud eum remansit, superare metum mortis, & pati eius supplicium*: sed hoc est grauis tentatio: ergo &c. Resp. dist. ant. Vel fieret bono motiuo, vel malo; si ex bono motiuo, cui non misceatur aliquod vitiosum, ut vana obstinatio, tunc non patitur mortem nisi per gratiam, quam ipsemet Aug. lib. cit. c. 28. vocat donum exhæredatorum; si autem ex malo motiuo mortem patiatur, idest, vanitatis, obstinationis; nil mirum si gratia non exigatur, gratia namquè non requiritur ad malum.

QVÆSTIO IX.

Vtrum homo necessariò indigeat gràtia, vt ad illam se præparet.

NOt. 1. Quòd Pelagiani asserebant primam gratiam auxiliantem, primamquè Dei vocationem dari intuitu boni operis, ab homine facti sine gratia, sed ex solis naturæ viribus; velut meritum de condigno, vel saltem de congruo; quòd est hęresis damnata in pluribus Concilijs. Cæterùm sunt aliqui Doctores catholici putantes, dari ex viribus

ribus naturæ causam dispositiuam, non tamen meritoriam primi auxilij supernaturalis. Ita Durand. Gabriel, Richard. & Iauellus, prout refertur inter quos immerito Gonet enumerat Scotum. Alij autem dicunt, quod licet opera bona naturalis ordinis non sint ratione sui dispositiones ad primam gratiam auxiliantem; ex lege tamen Dei, & pacto inito cum Christo, de non neganda gratia facienti, quod in se est ex viribus naturæ, habere connexionem infallibilem cum illa, sic Molina in concordia disp. 10. quem sequuntur plures ex Recentioribus.

Not. 2. Quòd tripliciter potest intelligi, hominem se disponere viribus naturalibus ad gratiam. Primo modo proximè naturaliter ad gratiam habitualem, eliciendo aliquod opus morale, cui Deus teneatur infallibiliter conferre gratiam habitualem. 2. remotè, ut est facere aliquod opus naturale morale, cui Deus teneatur conferre gratiam actualem, qua mediante homo eliciat deinde aliquod opus supernaturale meritorium gratiæ habitualis. 3. remotissimè se disponere ad gratiam potest dupliciter accipi, negatiuè, seu per accidens, & indirectè, vel positiuè, seu per se, & directè. Disponere se positiuè est facere aliquod opus naturale morale, ad quod Deus respiciens teneatur dare gratiam; negatiuè autem est remouere obstacula, quæ impedire possent, quo minus Deus conferret gratiam.

I. Concl. Homo viribus lib. arb. non potest se disponere ad gratiam, nec remotè, nec remotissimè positiuè, benè tamen negatiuè. Prob. concl. quoad 1. part. contra Faustum asserentem hominem posse elicere aliqua opera, quibus de congruo gratiam actualem mereatur. Apost. ad Philip. c. 1. ait. *Qui cœpit in nobis, ipse perficiet*: & 2. ad Corint. c. 4. *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti?*

Prob. etiam auct. Concil. Arauf. 2. sic dogmatizzantis. *Deum non expectare voluntates nostras, vt a peccatis purgemur sed gratiam facere non solum vt purgemur, sed etiam vt purgari velimus.* Prob. ratione. Dispositio ad aliquam formam, petit formam, cuius est dispositio: sed nihil naturale potest esse dispositio ad formam supernaturalem; cum de ratione entis supernaturalis sit excedere totius naturæ exigentiam; ergo actus ordinis naturalis ad gratiam disponere nequeunt. Tum quia destrueretur gratia præueniens; neque

Deus

Deus nos præueniret, ſed nos Deum, quod eſt contra Scrip. & D. Aug. qui tali ratione utitur contra Pelagianos. *Si ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cæptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratia veniat adiutorium.*

Prob. quoad 2. part. utroque modo explicatam, & primò, quod nequeat homo ſe diſponere remotiſſimè poſitiuè. Etenim illud opus, quo homo ſe diſponeret ad gratiam, poſtulat infallibilem conſecutionem gratiæ, vel ex natura actus, vel ex promiſſione Diuina; non primum, quia Pelagianum eſt id credere; nec ſecundum, quia non inuenitur in S. Scrip. talis promiſſio. Prob. 2. ideſt quod negatiuè &c. ex Scot. in 4. d. 28. q. un. Nam quò magis homo facit bona opera moralia, eò minus peccat ſed qui minus peccat, minora ponit impedimenta ad gratiam, quam Deus ordinariè largitur ijs, qui minora ponunt obſtacula; dixi ordinariè; nam aliquando Deus, ut oſtendat virtutem ſuæ potentiæ, & bonitatis, maximos peccatores conuertit; ergo peccator minus peccans, negatiuè ſe diſponit ad gratiam; non quod illa obſeruatio bonorum moralium, & illa abſtinentia à peccatis ſit cauſa influens in effectum, ſed illa bona opera moralia ſolum ſunt occaſio, cur Deus aliquando det gratiam.

II. Concl. Nulla lex diuina extat; adeout homini facienti quod in ſe eſt viribus lib. arb. Deus infallibiliter conferat auxilia gratiæ. Hæc eſt contra Molinam, eſt tamen utriuſque Scholæ. Prob. Lex illa, cum pendeat à libera Dei voluntate debet nobis innoteſcere, vel ex S. Scrip. vel ex Concilijs, vel ex SS. PP. ſed talis lex nullum habet fundamentum in Concilijs, nec in SS. PP. ex quibus potius oppoſitum colligitur, ut ſupra oſtendimus de Concil. Arauſ. & de SS. PP. ergo talis lex ſine ullo fundamento adſtruitur.

Cæterum teſtimonia Scrip. quibus Molina conatur legem illam firmare, aut probare, nec à longè eam indicant. Præcipua teſtimonia ſunt duo. Primum eſt illud Ioan. c. 1. *Dedit illis poteſtatem filios Dei fieri*; & ſecundum eſt illud 1. ad Timot. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, ſed ex iſtis non colligitur teſte D. Aug. lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagian. cap. 3. ubi ſic ait. *Datur ergo poteſtas vt filij Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipſum datur ut credent in eum, quæ poteſtas niſi detur à Deo, nulla eſſe poteſt ex lib. arb.*

Neque ex 2. Teſtimonio, eo quia lex iſta in ſententia Molinæ fundatur in meritis Chriſti, ſed voluntas antecedens ſaluandi omnes homines, in prædicto teſtimonio contenta, antecedit merita Chriſti; & decretum de Chriſto venturo, ut Redemptore, ergo talis lex nequit deduci ex dicto teſtimonio, cum verba illa, ut notatum fuit in 1. part. agendo de Diuina voluntate, & prædeſtinatione ſolum indicent ſincerum affectum Dei, & ſuæ infinitæ bonitatis offerentis omnibus hominibus auxilia gratiæ.

Arg. cont. 2. concl. Si quis in ſyluis enutritus ductum rationis naturalis ſequatur in appetitu boni, & fuga mali; certiſſimè tenendum eſt, quod ei Deus, vel per inſpirationem reuelaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornel. ita docent. D. Thomas q. 14. de verit. art. 11. & Scot. in Prol. ſent. ergo Deus facienti, quod in ſe eſt ex viribus proprijs infallibiliter dat gratiam.

Reſp. Tàm D. Thomam, quàm Scot. loqui de homine faciente quod in ſe eſt, non ex viribus naturæ, ſed ex gratiæ auxilio: quod conſtat exemplo allato de Cornelio; qui non ex ſolis viribus naturæ fecit, quod in ſe erat, ſed ſpeciali auxilio præuenientis gratiæ,

Dices. Homo ille in ſyluis enutritus ſupponitur deſtitutus omni auxilio gratiæ, cum ſupponatur eſſe ſine fidei illuſtratione, quæ eſt primum auxilium ſupernaturale ſufficiens; ergo Doctores citati loquuntur de homine faciente, quod in ſe eſt ex viribus naturæ, non autem ex vi diuini auxilij. Reſp. neg. aſſumptum, quia, eſtò homo non haberet fidem expliciam de Deo, ut Auct. ſupernaturali, nec haberet fidem explicitam de Deo, ut Auct. ſupernaturali, haberet tamen de illo fidem implicitam: & ratio eſt, quia in ſtatu eleuationis naturæ ad ordinem ſupernaturalem, impoſſibile eſt, quod de facto ponatur conuerſio in Deum, ut Auctorem naturæ ſine conuerſione ad Deum ut Auctorem gratiæ, & gloriæ. Vnde cùm ille homo ductum rationis ſequens &c. eſſet in Deum ut aucthorem naturæ conuerſus; eſſet etiam conuerſus ſaltem implicitè in Deum tanquam aucthorem ſupernaturalem; ac proindè haberet fidem de illo, ſaltem implicitè; & Deus in tali caſu, eum vel per illuſtrationem inſpirationis, vel per aliquem Predica-

torem dirigeret; ſicut miſit Petrum ad Cornelium. & Paulum ad Macedones.

QVÆSTIO X.

Vtrum homo iuſtus neceſſariò indigeat ſpecialiori gratia ad perſeuerantiam finalem.

NOt. Quòd perſeuerantia poteſt ſumi dupliciter. Primo pro continuatione in gratia longo tempore, præſcindendo ab hoc, quod continuetur uſquè ad mortem: 2. pro perſeuerantia in gratia uſque ad finem vitæ incluſiuè, ſeù prò coniunctione gratiæ cum morte, quæ perſeuerantia finalis dicitur. De perſeuerantia primo modo egimus ſupra, ubi oſtenſum eſt, hominem iuſtum, ut diù abſtineat à peccatis mortalibus, & in bonis operibus perſeueret, præter gratiam habitualem, indigere auxilio ſpeciali. Igitur agendum eſt hic de perſeuerantia ſecundo modo accepta; quæ eſt donum ſpecialius Dei, non quidem per modum habitus intrinſecè perficientis potentias hominis iuſti; ſatis enim perficiuntur per gratiam habitualem, & actualem, ſed per modum directionis ſpecialis, qua Deus operationes noſtras ita gubernat, & tentationum paſſiones ita temperat, vel minuit, ut homo non deficiat ob occurrentes difficultates; quæ in tentationibus reperi ſolent.

Concl. Perſeuerantia finalis eſt donum Dei ſpeciale à gratia habituali, & communibus auxilijs diſtinctum. Hæc eſt D. Bonau. D. Thomæ Scoti, & eſt communis.

Prob. 1, ex Trid. cont. Molin. & alios Recentiores opinantes dari omnibus gratia, & auxilia ſufficientia, quibus poſſint uſque ad mortem perſeuerare, ſed quoſdam benè ijs uti, & quoſdam malè; & ideò illos perſeuerare, non verò iſtos; ac proinde actu perſeuerare non eſſe donum à gratia, & auxilijs ex parte Dei diſtinctum: ità definit ſeſſ. 6. can. 6. & 2. *Si quis dixerit hominem iuſtificatum poſſe ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare, anathema ſit.* Prob. ratione Etenim licet homo ſanetur per gratiam habitualem, & adiuuetur gratia actuali ad vitandum hoc peccatum, & illud, & omnia diuiſiuè, imò facere diuiſiuè quodlibet opus bonum; non tamen poteſt vitare omnia peccata, & facere

omnia bona, quæ occurrunt in toto vitæ cursu, nisi insuper specialiùs gubernetur per specialem manutenentiam Dei, qui vel tentationes aufert, vel mitigat, vel corroborat tentatos, ut possint tentationes superare iuxta illud ad Corinah. c. 1. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*; ergo &c.

Confirmatur, eo quia si admitteretur opinio Molinę plura sequerentur absurda, & inconuenientia; nam si donum perseuerantiæ subijceretur lib. arb. & ab eo quantum ad efficaciam, & usum dependeret, sequeretur primò, quod qui perseuerant, se ab alijs non perseuerantibus discernerent per aliquid sibi proprium, idest per bonum usum lib. arb. determinantis, & applicantis gratiam cont. illud 1. ad Corint. 4. *Quis enim te discernit* &c. Sequeretur insuper, quod Deus per gratiam daret nobis solùm posse perseuerare, ipsum verò perseuerare esse à lib arb. ac proindè Deo minus adscriberetur. Denique sequeretur quod prædestinatio esset incerta, & fallibilis, quia inniteretur medio fallibili, nempe dono perseuerantiæ, quod non potest esse firmum, & stabile, si eius efficacia ab instabilitate humanæ voluntatis dependeret. Prob. 2. Effectus specialis prouidentiæ habens infallibilem connexionem cum gloria est specialissimum Dei donum, à gratia habituali, & à communibus auxilijs sibi annexis distinctum; sed perseuerantia finalis est effectus specialissimus, & præcipuus prædestinationis, quæ est prouidentia specialis ordinis supernaturalis, & habet infallibilem connexionem cum gloria, ergo &c. Quò circa ex dictis infertur, quod donum perseuerantiæ finalis est distinctum ab eo, quod requiritur ad diù perseuerandum in bono; illud enim est effectus proprius prædestinationis; ac proindè solis prædestinatis datur; istud verò prouidentiæ generalis ordinis tamen supernaturalis, quod datur etiam Reprobis. Insuper infertur, quod admittendum est donum perseuerantiæ non solum pro his, qui longo tempore ante mortem in gratia perseuerant; sed etiam pro illis, qui post acceptam gratiam citò moriuntur; immò & pro paruulis baptizatis, decedentibus ante usum rationis iuxta illud Sap. c. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, teste D. August. de bono perseuerantiæ, ubi ait. *Sed mirabiliter, & fidelibus euidentior largitas bonitatis Dei est, quod*

etiam paruulis, quibus obedientia non est illius ætatis, detur hæc gratia. Denique infertur differentia inter perseuerantiam, & confirmationem in gratia; nam perseuerantia est donum commune omnibus prædestinatis, seu electis ad gloriam, & ad illam sufficit auxilium finale efficax moriendi in gratia, estò in vita quis permissus sæpè fuerit in peccatum mortale labi. Confirmatio autem includit quandam continuationem auxiliorum efficacium per totam vitam non peccandi saltem mortaliter. Hoc singulare donum datum fuit B. Virgini immaculatæ. Idem creditur de Ioan. Baptista, & de Ieremia pariter in utero sanctificato. De Apostolis quoque traditur, quod post acceptum Spiritum Sanctum in Pentecoste, nunquam mortaliter peccauerint ex singulari priuilegio confirmationis. Idem pariter de Seraphico nostro S. Francisco affirmant plures nostri Scriptores, & signanter Pisanus, maximè post donum Stigmatum.

Arg. cont. concl. Gratia habitualis cum auxilijs sibi annexis est sufficiens ad omnia peccata vitanda per aliquod tempus, intra quod causæ naturales, v. g. morbus, intemperies aeris, & similia possunt inferre mortem; ergo ad finiendam vitam in gratia non est necessarium donum speciale perseuerantiæ, à recensitis donis distinctum.

Resp. dist. ant. sufficiunt tanquam causæ per accidens, conc. ant. tanquam causæ per se, neg. ant. Nam gratia habitualis una cum alijs auxilijs communibus non ordinatur ad hunc specialem effectum, nempe ad coniungendam mortem cum gratia, quemadmodum ordinatur donum perseuerantiæ.

Dices. Ergo Deus iubet impossibilia, iubet enim quod perseueremus, id tamen facere non possumus cum gratia habituali, & actuali ergo. Resp. neg. ant. Nam Deus, ut supra monstrauimus, impossibilia non præcipit; quia possumus per gratias communes petere, ut Deus det nobis perseuerare in gratia; & sic dicere possumus, quod homo cum gratia habituali perseuerare potest saltem remotè, quatenus Deum orando obtinere potest donum perseuerantiæ.

Contra. Donum perseuerantiæ erat debitum connaturaliter homini in statu innocentiæ, ergo sicut tunc non erat donum à gratia distinctum; ita nec etiam in hoc statu.

Resp. neg. ant. & ratio est, quia licet in illo statu integri-

gritatis non esset necessarium donum perseuerantiæ ob appetitus sensitiui rebellionem, erat tamen necessarium velut quid distinctum ob lib. arb. vertibilitatem.

DISPVTATIO IV.

De sufficientia gratiæ diuinæ ad salutem.

QVÆSTIO I.

Vtrum homo auxilijs ordinarijs diuinæ gratiæ vitare possit omnia peccata venialia.

NOt. 1. Quòd peccatum, ut ait D. Aug. non est peccatum, nisi sit voluntarium; Voluntarium autem ex D. Bon. in 2. d. 41. art. 1. potest dici triplici modo, nempè, aut voluntate aliena, ut peccatum originale; de quo satis egimus in tract. de homine lapso: aut voluntate propria, & sic, dicit Doctor Seraph. est peccatum mortale actuale, & hoc quidem genere peccati nullus peccat, nisi consentiens; aut voluntate partim aliena, partim propria; & sic est peccatum veniale, & illud maximè, quod consurgit ex repugnantia carnis ad spiritum, hoc, inquam, peccatum, quia partim est à voluntate aliena, partim à propria, ideo quodammodo secundum Aug. tenet rationem pœnæ, & quodammodo rationem culpæ. *Quia homo non voluit vitare peccatum, dum valuit infictum est, vt non possit, dum velit*, inquit D. Aug.

Not. 2. Quòd voluntarium voluntate propria, idest peccantis, non est omne peccatum veniale simpliciter, sed secundum quid ex eodem Doct. Seraph. Illud enim est voluntarium simpliciter, quod est à voluntate præambula, & mouente; illud autem quod oritur à voluntate concomitante, & non prohibente, vel non præcauente, dum possit præcauere, & prohibere, dicitur voluntarium secundum quid, seù interpretatiuè, eò quia talis deordinatio voluntati imputatur. Itaquè peccata venialia sunt triplicis generis: alia enim oriuntur ex inaduertentia, & surreptione, quando scilicet non adest plena deliberatio; licet enim ad peccatum mortale exigatur consensus perfectus; ad venia-

niale tamen sufficit imperfectus, quia imperfectum est ergo. Alia oriuntur ex infirmitate; hoc est propter malam corporis affectionem, & vehementiam passionum. Alia denique proueniunt ex certo consensu, & deliberato.

Concl. Homo iustificatus solis auxilijs ordinarijs gratię diuinæ annexis gratiæ habituali nequit vitare omnia peccata venialia collectiuè per totam vitam, vel per aliquod longum tempus; sed ad id requiritur speciale priuilegium, quod soli Immaculatæ Deiparæ fuit concessum à Diuina bonitate. Prima pars est de fide definita in Concil. Mileuit. can. 7. & 8. & in Trid. sess. 6. can. 23. ubi sic habetur. *Si quis dixerit, hominem semel iustificatum posse in tota vita omnia peccata vitare, etiam venialia nisi ex speciali priuilegio; Anathema &c.* Sic enim Ioan. scribit. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; Quod debet dici à iustis non solum ex humilitate, sed etiam ex veritate, ait Concil. Mileu. sic etiam in Prouerb. c. 24. septies cadet iustus, etsi quidam apud Cornel. à lapide legant septies in die cadet iustus; at delendum est (in die) quia nec in biblia Sixtina, ut notat noster felix, nec in Romana, ut videre est, ponitur in die, sic quoquè docent PP. & signanter D. Aug. tract. 1. in Ioan. *Non potest, ait, homo quàmdiu carnem portat, non habere leuia peccata*; & Leo Papa serm. 4. Quadrag. *Dum per varias actiones vita huius solicitudo distenditur, necesse est mundano puluere etiam religiosa corda sordescere.*

Prob. ratione ad hoc, ut homo iustus possit omnia venialia collectiuè usque ad mortem, vel per aliquod longum tempus deuitare, necessariò requiritur, quod vel ligetur, vel extinguatur fomes peccati: at ex vi auxiliorum quæ communi lege gratiæ habituali annectuntur, nec ligatur, nec extinguitur fomes: ergo homo auxilijs ordinarijs nequit vitare omnia peccata venialia: ergo exigitur aliud donum speciale: maior constat ex dictis, minor est certa; Tum quia in sola B. Virg. ob dignitatem Matris Dei, ligatio fomitis, vel extincti p agnoscitur, & fatetur à Theologis. Hinc remanet 2. pars concl. probata; cum enim in B. Virgine Immaculata, vel non fuerit fomes, vel fuerit ligatus, vel ut meliùs loquamur, fuerit totaliter extinctus; sequitur euidenter, quod in ipsa non fuit impotentia illa moralis vitandi omnia venialia collectiuè, quæ oritur ex

fo-

fomite; sed habuit speciale priuilegium nunquam peccandi venialiter, ut tradit Trid. cit. asserens semper ita sensisse Ecclesiam. Cæterùm, quod talis prærogatiua non sit extendenda ad alios sanctos quantumlibet insignes, constat ex eo, quod exceptio firmat regulam in contrarium; ut tradunt legales; sed Trid. ab hac regula generali (*Nullus est Iustus, qui non venialiter peccet*) solam Immaculatam Deiparam excipit, ergo cæteros quantumuis iustos, & sanctos sub hac regula comprehendit. Verùm probabiliter ac piè quamplures Theologi censent aliquos sanctos habuisse priuilegium vitandi omnia venialia in aliqua determinata materia; ut D. Ioan. Baptista peccata venialia, quæ locutione committuntur, quia illa specialiter repugnant officio Predicatoris, & Præcursoris. D. Iosephum, quæ sunt contra castitatem, quia hoc decebat sponsum purissimæ Virginis.

Arg. 1. cont. 1. part. concl. Nullus peccat in eo, quod vitare non potest, ut docet D. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 18. Sed si homo in statu naturæ lapsæ indigeret speciali auxilio ad vitanda omnia venialia, non posset illa vitare; cum Deus non sit paratus omnibus dare tale auxilium, seù priuilegium: ergo non posset ei ad culpam imputari, quod omnia peccata venialia non vitaret.

Resp. conc. mai. & neg. min. & ratio est, quia ut peccata venialia homini in statu naturæ lapsæ imputentur, non requiritur, quod Deus det, aut paratus sit dare illud speciale auxilium; quod necessarium est ad vitanda omnia peccata collectiuè, sed satis est, ut det auxilium ad vitanda omnia diuisiuè. Resp. 2. ex nostro Herincx in tract. de gratia disp. 3. q. 3. neg. min. eo quia seorsim, & secundum se vitare potest si diligentiam debitam adhiberet, quam singulis vicibus dum peccat, liberè non adhibet. Deinde impotentia, seù impossibilitas est tantum moralis, quæ stat cum physica libertate, & sufficit ad peccandum venialiter saltem; & licet Deus etiam nil moraliter impossibile præcipiat tanquam necessarium ad salutem, id tamen non debet extendi, ad venialia, quæ non sunt ita saluti repugnantia: est igitur impossibilitas velut consequens de re possibili, quæ nunquam fiet. Ita Herincx.

Dices. Si potest homo vitare omne peccatum veniale di-

diuiſim, ſeù in particulari, hoc, & illud, & ſic de ſingulis, ergo poterit vitare omnia peccata venialia collectiuè.

Reſp. ex D. Bonau. in 2. diſt. cit. Aut potentia vitandi comparatur ad obiectum coniunctim, vel diuiſim, ſi diuiſim, ſic eſt vera iſta propoſitio. Homo iuſtus poteſt vitare, vel præcauere omne veniale peccatum, quia non eſt dare aliquod peccatum, quod non poſſit vitari. Si coniunctim ſic eſt falſa; eſt enim ſenſus, quod poteſt facere, ut omninò ſit abſquè veniali peccato, & in hoc ſenſu, nequit homo vitare omnia peccata venialia; & dat exemplum de Naui in Mari perforata in pluribus locis; dicendo, poſſet Nauta obturare quodlibet ſingulare foramen ſibi demonſtratum, non tamen omnia ſimul, quia dum unum obturaret, aqua per aliud intraret; & ſic in propoſito, dum homo ſtudet vitare unum peccatum veniale, vel per inaduertentiam, vel per ignorantiam, vel per fragilitatem, vel per ſurreptionem, vel per neceſſitatem, intellige moralem, in aliud labitur. Vnde gloſ. ſuper illud Prouerb. c. 24. *Septies cadit iuſtus ait Singulis diebus, vel inuiti, vel nolentes frequenter peccamus* Nec valet illa illatio dicit Seraph. Doctor, poſſumus vitare hoc, & illud, ergo omnia, ſed eſt fallaccia figuræ dictionis; procedit enim à pluribus determinatis ſuppoſitionibus huius verbi, poteſt, ad unum, ſicut in iſta, hic homo poteſt portare unum lapidem, alium lapidem, & ſic uſque ad decem diuiſiuè; ergo poteſt portare decem lapides; quod non tenet conſequentia. Si dicas quod D. Auguſt. lib. 3. de lib. arb. ait quod ſunt quædam neceſſitate facta improbanda, quæ homo vult certè facere, & non poteſt.

Reſp. D. Aug. intelligi de impotentia, & neceſſitate morali, ut alibi notatum fuit, non vero de phyſica.

QVÆSTIO II.

Vtrum peccatores etiam obdurati habeant auxilium ſufficiens ad vitandum nouum peccatum mortale.

NOt. Quòd cordi peccatoris tribuitur induratio metaphoricè; eò quia inſtar rei duræ non cedat, ſed inflexibile ad rectam Dei voluntatem, & iuſſionem maneat, unde obduratio ſic breuiter deſcribi poteſt: eſt pertinacia volun-

luntatis, peccato firmiter adhærentis, & gratiæ Diuinæ resistentis. Simili quadam metaphora explicatur excæcatio, qua peccator mentem suam auertit à lumine Diuinæ gratiæ; & breuiter; excæcatio est voluntaria diuinæ claritatis priuatio, & spiritualium tenebrarum inductio per repulsam illustrationum diuinarum. Quot verò modis fiat talis obduratio, seu excæcatio patet ex dictis in 1. part. disp. 2. de volunt. Diuina q. 3 Cæterùm certissimum est, gratiam sufficientem dari omnibus, ut ostendunt Theologi cont. Caluin. & Iansenium; verùm de peccatoribus obduratis, de infidelibus, & de paruulis morientibus sine baptismo videtur esse aliqua difficultas; idcirco de illis agemus in hac, & in sequentibus quæst.

Concl. Omnes peccatores etiam obdurati; seu obcæcati habent auxilium saltem remotè sufficiens ad euitandum nouum peccatum mortale. Hæc est communis sententia Theologorum contra hæreticos recentiores, & contra Iansenium, & quoad induratos, & obcæcatos contra Greg. Ariminens. Abulensem, & Ruffensem, quæ quidem 2. pars traditur communiter à Doctoribus sine exceptione, ut aduertit Herincx in disp. de sufficientia gratiæ, estque iuxta plures Doctores theologicè certa, imò iuxta Smising. tract. 3. disp. 2. est de fide. Prob. concl. quæ colligitur ex Scoto in 2. d. 46. q. un. S. Scrip. indefinitè; & sine ulla exceptione peccatorum obduratorum testatur Deum misereri, & pœnitentiam expectare; nam Sap. dicitur cap. 11. *Misereris omnium* (dando scilicet gratiam sufficientem) *Quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*. Ad Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizzas tibi iram in die ira*, & in 2. Petri cap. 3. generaliter loquitur. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*; ergo Deus omnibus peccatoribus, etiam obduratis dat gratiam sufficientem saltem remotè.

Prob. insuper specialiter de obduratis auct. D. Aug. Psal. 6. ubi ait. *Dedit eos in reprobum sensum, nam ea est cæcitas mentis; in eam quis quis datus fuerit ab interiori Dei luce secluditur; sed nondum penitùs, cum in hac vita est*; & in Psal. 58. sic obduratis alloquitur: *Sed etsi nolis curare vulnus tuum, admonet, vt cureris, & auersum reuocat, & refugientem quodammodo ad se re-*

Vtrum Peccatoribus etiam obduratis detur gratia sufficiens ad pœnitendum.

NOt. Quod ex dictis satis constat non omnibus peccatoribus, etiam fidelibus, dari auxilium proxime sufficiens ad penitendum, cum nec quidem iusti semper habeant auxilium proximè sufficiens ad opera salutis, aut perseuerantiæ. Insuper peccatores non habent omni tempore auxilium etiam remotè sufficiens v.g. ad orandum; multi enim sæpè hic, & nunc sunt huiusmodi auxilij incapaces, sicut etiam pœnitentiæ, siuè ratione somni, siuè ebrietatis, usus rationis, aut alterius defectus; siuè etiam quia de conuersione, aut de pœnitētia nil penitus cogitant.

Concl. Peccatores adulti, etiam obdurati habent pro tempore, & loco auxilium saltem mediatè sufficiens ad pęnitendum de omnibus mortalibus. Hæc est sententia communis Theologorum, exceptis Doctoribus in prima quæstione relatis. Vnde Smising. putat esse de fide. Prob. 1. ex Sac. Scrip. quæ generaliter omnes inuitat ad salutem, & quosuis peccatores ad conuersionem, & ad pœnitentiam sic Isai. 31. *Conuertimini, sicut in profundum, idest iniquitatum recesseratis.* Sic Ezech. 33. *Conuertimini à vijs vestris pessimis. No'o mortem peccatoris, sed vt conuertatur.* Sic Zacchar. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos,* & pluribi similia habet.

Prob. auct. SS. Patrum Chrysost. homil. 16. in Epist. ad Rom. ait. *Tulit Deus Pharaonem multa patientia ad pœnitentiam inducere volens; nisi enim hoc voluisset, tamdiù eum non tulisset.* Greg. 17. moral. c. 4. *Quisquis delinquit, & viuit, idcircò hunc diuina dispensatio in æquitate tolerat, vt ab iniquitate compescat.* Idem tradunt D. Aug. & alij.

Prob. Praxi Ecclesiæ catholicæ, quæ velut Mater optans omnium salutem, dat præcepta generalia pro omnibus fidelibus ad annuè confitendum, & communicandum; sed talia præcepta indicant manifestè omnibus etiam obduratis adesse sufficiens auxilium ad veram pœnitentiam agendam, ideoquè eos tanquam transgressores condemnat noui peccati mortalis, imò & in eos animaduertit, ergo etiam obduratis datur &c. Vnde meritò in Actib. Apost. c. 7. in-

dam fidem, ac proinde ad iustificationem, & salutem, quo auxilio si rectè uterentur acciperent ulteriora auxilia, usque ad illud, quod proximè sufficeret ad fidem suscipiendam. Hæc est communis Theologorum sententia teste Herincx in tract. de gratia. Prob. Nam Deus voluntate generali, & antecedente vult omnes homines etiam post Adæ lapsum saluos facere, in quo errauit Iansenius lib. 9. & 10. de gratia Christi, asserens Deum habuisse quidem talem voluntatem pro omnibus,, & singulis hominibus consideratis in statu innocentiæ, sed non post Adæ lapsum, & præuisionem peccati originalis. Item S. Scrip. generaliter omnes homines inuitat ad salutem, quæ à fide sumit initium. Similiter probatur ex eo, quod Christus mortuus est pro omnibus, quoad sufficientiam, estò non quoad efficaciam, ut in 3. part. ostendetur, & omnes redemit; sicut pro omnibus, & singulis hominibus mortuus est, distributiuè quidem, & non solum pro generibus singulorum, ut malè interpretatur Iansenius; ergo Deus voluntate antecedenti etiam infidelibus dat auxilia sufficientia saltem remotè ad fidem suscipiendam.

Prob. etiam illa Scrip. Ioan. c. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*; quæ ex communi PP. consensu intelligenda est de lumine gratiæ, quo hominibus datur potestas, ut filij Dei fiant. Vnde D Prosper de vocat. gent. lib. 2. c. 14. ait. *Neque ex hoc excusabiles sunt nationes* (loquitur de infidelibus) *quia hac abundantia gratia vari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est uniuersis hominibus quædam superna mensura doctrina, qua etsi parcioris, occultiorisque gratia fuit sufficit tamen sicut Dominus iudicauit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium* Sic etiam discurrit D. Ambros. super illud Psal. 18. *Misericordia tua Domine plena est terra*; sic D. Aug. super illud Psal. 18. *Non est, qui se abscondat à calore eius*. Cæterum faciunt pro hac quæst. quæ in prima part. dicta sunt in disp. de Diuina Voluntate, & Prouidentia.

DIS-

De Gratia habituali.

QVÆSTIO I.

Vtrum Gratia habitualis creetur immediatè à Deo, vel potius educatur de potentia Animæ.

NOt. 1. Quod apud Theologos gratia habitualis, gratia sanctificans, gratia gratum faciens formaliter, & gratia iustificans sunt penitùs synonima imposita eidem rei solum ob diuersas connotationes, & effectus, dicitur enim habitualis, quia inhæret Animæ per modum habitus, dicitur sanctificans, quia præstat Animæ, cui inhæret formalem sanctitatem; dicitur gratum faciens formaliter, quia reddit formaliter Animam gratam, & acceptam Deo; dicitur iustificans, quia transfert hominem de statu iniustitiæ ad statum iùstitiæ, & adoptionis Filij Dei, & potest sic describi. Est forma quædam supernaturalis intrinsecè Animæ inherens, reddens eandem iustam, & gratam Deo, & potentem ad elicienda opera meritoria de condigno; quæ omnia ex dicendis patebunt.

Not. 2. Quod in hac quæst. sunt duæ opiniones, Prima est D. Thomæ, & Thomist. in p. 1. q. 45. art. & alibi negantium gratiam habitualem creari; Ratio fundamentalis est, quià in eorum sententia creatio propriè dicta est tantum subsistentium; cum igitur gratia non sit ens subsistens, sed forma accidentalis Animæ inhærens, consequens est, ut creari nequeat, sed educatur de potentia obedientiali Animæ. Altera est Scoti in 4. d. 1. q. 4. Alens. p. 2. q. 9. D. Bonau. 2. d. 24. art. 1. q. 4. imo & quorundam Thomist. ut notat Boyuin, nempe Soti, Ferrariensis, Paludani, & etiam Caiet. contra Suarez, & Vasquez, & Gonet. qui contendunt; D. Thomam oppositum docere.

Concl. Gratia habitualis à solo Deo per creationem producitur est Scot. l. c. Prob. quoad 1. part. nempe, quod sit à solo Deo. Nulla creatura quantùmuis perfecta potest esse causa principalis gratiæ sanctificantis, nec etiam ipsemet Christus quatenus homo: ergo à solo Deo producitur.

Prob.

Prob. ant. Per infusionem gratiæ sanctificantis datur Spiritus S. iuxta illud Apost. ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*: ergo non nisi à Deo potest esse gratia habitualis. Prob. quoad 2. p. Quod educitur de subiecti potentia, est in illo virtualiter: sed gratia, cum sit donum supernaturale, nequit contineri in Anima: ergo nec de ipsius potentia materiali, seu subiectiua educitur. Prob. 2. Gratia habitualis infunditur à Deo Animæ: ergo non educitur ab Anima hoc namque est discrimen inter infundi, & educi quod forma, quæ infunditur, veniat ab extrinseco, & forma quæ educitur, veniat ab intrinseco subiecti. Resp. Thomistæ neg. mai. primæ probationis, & dicunt ad veram eductionem sufficere quod concurrat subiectum in genere causæ materialis cum dependentia formæ productæ ab ipso.

Ad 2. rationem resp. gratiam dici infundi, quia nobis confertur supra ordinem, & debitum naturæ non verò quia fiat sine concursu materiali ipsius Animæ. Et si opponatur quod in Sac. Scrip. indicatur gratiam creari ut in Psal. 50. *Cor mundum crea*, & ad Galat. 6. *Iustus dicitur noua creatura*, & ad Ephes. 1. *fideles dicuntur creati in Christo Iesu*.

Resp. signanter Gonet. & Caspens. in tract. de gratia, quod etiam secundum D. Thomam gratia in S. Scrip. dicitur creari, non quod secundùm suum esse materiale, & physicum producatur ex nihilo, sed quia infunditur à Deo nullis nostris meritis præcedentibus, quod habet quandam similitudem creationis quæ appellari solet creatio moralis

Contra allatas responsiones arg. 1. Nam cum gratia sit forma supernaturalis, & in sententia Thomistarum participatio diuinitatis dignificari debet à formis naturalibus in productione, ergo dicendum est creari non moraliter, sed physicè: 2. Quid importat concursus in genere causæ materialis nisi virtualem continentiam? ergo ne confundantur voces, & res, fateri debent, quod si Anima concurrit per influxum materialem contineat virtualiter gratiam, vel fateri coguntur gratiam propriè creari.

Arg. cont. 1. part. concl. Causans partialiter ultimam dispositionem ad aliquam formam ipsam quoque partialiter producit, v. g. qui producit partialiter calorem ut octo inducit etiam partialiter formam ignis; sed homo

cau-

causant partialiter actus contritionis, qui sunt ultimæ dispositiones ad gratiam sanctificantem; ergo est causa partialis illius. Resp. dist. mai. si forma naturaliter, & necessariò sequatur ad ultimam dispositionem, conc. mai. si non naturaliter sequatur, sed exigatur aliqua conditio ex parte agentis extrinseci, ut est in proposito, neg. mai. ut patet de Anima rationali, quæ ad ultimam dispositionem ponitur à Deo in corpore non eam educendo, sed creando.

Arg. 2. Ex actibus supernaturalibus generari possunt habitus supernaturales de facto, ut quidam Scotistæ probabiliter putant, ergo de potentia Dei absoluta tales actus possunt producere etiam habitum gratiæ. Resp. neg. cons. Nam etiam si illi habitus essent supernaturales (ut nunc gratis demus) attamen sunt acquisiti per actus supernaturales, qui cum sint vitales requirunt principium creatum; at gratia cum sit habitus infusus per creationem solumodo est producibilis, ac proinde à Deo solo.

Arg. cont. 2. part. Quando gratia producitur per creationem; vel producitur extra subiectum, vel in subiecto; Non primum, aliàs accidens naturaliter esset sine subiecto; si secundum, ergo gratia non creatur, sed educitur; quia subiectum concurrit ad eius productionem in genere causæ materialis. Resp. Gratiam in primo instanti temporis creari in subiecto; in instanti vero naturæ neque est in subiecto neque extra subiectum quia ut sic consideratur tantum secundum suum esse simpliciter, non verò secundum esse inherentiæ quæ est passio; exinde tamen nequit inferri educi de subiecto.

Arg. 2. Quod creatur non potest corrumpi à causa secunda sed gratia corrumpitur per actionem peccaminosam ergo &c. Resp. dist. min. physicè corrumpitur nego, moraliter, seu demeritoriè, conc. Deus namque statuit auferre gratiam ad positionem peccati mortalis.

Arg. 3. Anima est in potentia obedientiali ad gratiam, sed nequit intelligi quomodo sit in potentia ad illam nisi quia Deus illam educit de potentia obedientiali Animæ; ergo gratia educitur, & non creatur. Resp. dist. mai. Anima est in potentia obedientiali ad gratiam recipiendam conc. mai. ut ex eius potentia educatur, neg. mai.

QVÆSTIO II.

Vtrum gratia distinguatur à charitate.

NOt. 1. Quòd in hac quæst. sunt duæ opiniones: Altera Thomistarum cum D. Thom. in p. 2. q. 10. art. 3. asserentium gratiam habitualem distingui realiter à charitate; eò quia gratia sanctificans se habet in ordine supernaturali sicut forma substantialis in naturali: ergo sicut hæc ex communi Philosophorum sententia distinguitur realiter à proprietatibus, & virtutibus actiuis, quarum est radix, ita & illa à virtutibus supernaturalibus, quæ ab ipsa profluunt, sicut proprietates ab essentia; de rebus namque supernaturalibus, seruata proportione, & præcisa supernaturalitate, philosophandum est sicut de naturalibus. Altera est Scoti, & Scotistarum in 2. d. 27. §. Ideo dico sic. Dico quod gratia est virtus, & idem ac ipsa charitas, ut patet per multas præeminentias quas Sancti attribuunt aliquando charitati, aliquando gratiæ pro cuius intelligentia sit.

Not. 2. Quòd idem habitus supernaruralis quo homo iustificatur dicitur modo gratia, modo charitas ob diuersa connotata, & munia. Dicitur namque charitas, quatenus est principiũ, quo nos diligimus Deum; dicitur autem gratia, quatenus est forma, ob quam sumus à Deo dilecti, velut amici, & filij adoptiui, adeoque hæredes vitæ æternæ. Quod quidem posterius connotatum est quid extrinsecum essentiæ ipsius habitus, & per cons. ab ipso separabile, quia posset absolutè habitus charitatis esse in eo, qui non foret Deo gratus, nec ab eo dilectus de potentia absoluta, ut infra dicetur.

Concl. Gratia non disting. realiter, nec formaliter à charitate, sed extrinsecè per connotata, & munia diuersa. Prima pars, est contra D. Thom. & etiam D. Bonau. in 3. d. 27. art. 1. q. 3. Secunda pars est contra Boyuin opinantem in tract. de gratia distingui formaliter à charitate.

Prob. 1. pars auct. S. Srip. quæ tribuit effectus proprios gratiæ sanctificantis charitati; utpute facere filios Dei Io. 3. ***Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus.*** Sanctificare; ad Ephes. 1. ***Elegit nos in ipso, vt essemus Sancti, & imaculati in conspectu eius in charitate***: Tollere

pec-

peccata 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Viriâ
re hominem Deo 1. Io. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet* .
Spiritum super illam inhabitare in nobis ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.* ergo cum ijdem prorsus effectus sint gratiæ, & charitatis non sunt habitus supernaturales distincti realiter, sed unus tantum.

Prob. 2. ex Concil. Trid. quod sess. 6. c. 7. assignans formalem causam nostræ iustificationis dicit, illam esse charitatem; *Quamquam enim (inquit) nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis D. N. Iesu Christi communicantur, id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissima passionis merita per Spiritum S charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret*: hactenus Concil. ubi indubiè, ut notat Herincx est mētio de gratia iustificante; Vnde ex verbis infusionis, & inherentiæ quibus utitur Trid. colligunt communiter Theologi naturam gratiæ. Deinde subdit Trid. *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hac omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*, ubi non fit mentio distinctæ gratiæ quę tamen non debuisset reticeri, si ex sensu Trid. foret distincta, & forma principalior, ac radix charitatis & cæterarum virtutum, ut Thomistæ loquuntur. Similiter cap. 10. ait. *Iustitia incrementum petit S, Ecclesia cum orat, Da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum*.

Prob. 3. Quia Patres nullibi expresserunt distinctionem inter gratiam sanctificantem, & charitatem, sed passim sanctificationem tribuunt uni, & soli charitati, & signanter D. Aug. lib. de natura, & gratia c. 38. *Charitas Dei, qua vna verè iustus est quicunque iustus est*: ergo &c.

Prob. 4. ratione, Gratia iustificans est vita spiritualis Animæ sed hæc consistit in charitate; ergo charitas est gratia; Min. Prob. Vita Animæ nostræ consistit in hoc quod perfectè uniamur Deo, ipsique inhæreamus; sed id fit per charitatem iuxta Trid. cit. ergo charitas, & gratia sunt omninò unus habitus. Tum quia nulla est necessitas, aut fundamentum distinctionis realis à charitate ut ostensum est ergo &c. Prob. 2. Pars ex Scoto in 2. d. 26. ubi approbat illam sententiam, quæ dicit. Quod gratia formaliter est virtus, quæ est charitas, & quæcunque excellentiæ tribuuntur gratiæ; & charitati, & è conuerso; utraque enim

for-

formaliter equaliter diuidit inter filios Regni,& perditionis, ergo genuina mens Scoti est quod non distinguantur formaliter. Prob. etiam ratione ex mente eiusdem Doctoris; Etenim, sicut non sunt multiplicandæ entitates abs:; urgente necessitate, ità nec distinguendæ sunt formalitates; sed nulla apparet necessitas distinguendi gratiam sanctificantem à charitate, tanquam diuersas formalitates, quia ijdem effectus qui tribuuntur uni formaliter, tribuuntur alteri ergo &c.

Arg. Principium essendi realiter distinguitur à principio agendi; sed gratia sanctificans est principium essendi supernaturaliter, charitas verò principium operandi: ergo distinguuntur realiter. Resp. assumptum in maiori esse tantum verum respectu formæ accidentariæ ad substantiam, quam omninò debet supponere, ut operetur; imò & ut sit. At in forma accidentaria operante non est verum, quod necesse sit supponere aliam accidentariam non operantem, sed ipsa per se est, & operatur.

Arg. auct. &, primo Concil. Viennens. docentis in Sacramento baptismi infundi gratiam informantem, & virtutes & traditur Clement. un. de Trin. & Fide Catholica, quo significatur gratiam distingui ab omni virtute theologica, ac proindè à charitate, & habetur ibi secundum probabiliorem sententiam; ergo probabilius est ponere distinctionem inter gratiam, & charitatem; 2. testimonio Trid. sess. 6. c. 6. ubi dicitur iustificationem esse renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, & clariùs in can. 11. damnans eos qui dicunt iustificationem fieri exclusa gratia, & charitate &c. Quæ verba continent distinctionem gratiæ à charitate.

Resp. Concil. docere esse probabiliùs paruulis infundi gratiam informantem, & virtutes quia, ut explicat Herincx, ibi sub gratia intelligi potest charitas, nomine autem virtutis intelligi possunt cæteræ idest fides, & spes. Imò obseruat Macedo in 2. collat. 7. diff. 2. quòd gloss. fauet nostræ sententiæ in Clement. cit. dum ait omnes Theologos concordare de virtutibus theologicis, de moralibus verò discordare; ex quo infertur Concil. non loqui de virtutibus theol. sed moral. Altera Trident. auctoritas, quæ duobus testimonijs continetur, non militat contra Scot.

Non

Non 1. quia dona sunt ultra virtutes theol. & sic nomine doni non intelligitur charitas, sed dona Spirit. S. neque secundum, imò potius nobis fauet; cum utroq; nomine synonimo eandem formam significet, ideoque non pluraliter, sed in singulari subdit: *quæ in cordibus eorum per Spirit. S. diffunditur, atque illi inhæret,* quod etiam adnotarunt, Vega, Frassen, & Macedo.

Arg. ultimò. Perfectio simpliciter distinguitur realiter à perfectione non simpliciter: sed charitas in Deo est perfectio simpliciter, & gratia non est perfectio simpliciter, nec formaliter ponitur in Deo; ergo gratia, & charitas realiter ab inuicem distinguuntur. Resp. ex Scot. conc. mai. & dist. min. charitas increata est perfectio simpliciter, conc. min. charitas creata, neg. min. nam eadem res, ut supra indicauimus, est charitas, & gratia; diuersa tamen ratione; dicitur enim charitas, quia est principium dilectionis meritoriæ, & dicitur gratia, quatenus per ipsam quis acceptatur ad vitam æternam. Hinc rectè colligitur, quod charitas est magis commuuis, quàm gratia; charitas enim est quid transcendens, & illimitatum, ac proinde ut sic præcisa descendit in charitatem limitatam, & illimitatam; adeoque dicitur Deus charitas est, non vero dici potest Deus gratia est.

QVÆSTIO III.

Vtrum gratia habitualis ex natura rei intrinsecè hominem iustificet.

Not. 1 Quòd Scot. in 1. d. 16. q. 2. §. ad solutionem videtur declarasse effectum formalem gratiæ, vocans illam spiritualem formam, decorem pulchritudinem rationalis creaturæ: & infra art. 3. dicit esse formam constituentem Animam templum Dei, qua mediante Spiritus S. inhabitat, & quol. 17. art. 2. in calce eam denominat formam deiformem constituentem hominem Diuinum, vel Diuinæ naturæ consortem; Deinde declarat effectus eius in genere causæ efficientis, videlicet quod sit ratio cur acceptetur à Deo natura rationalis in ordine ad vitam æternam: similiter quod sit ratio inclinandi voluntatem ad determina-

natos actus specialiter etiam Deo acceptabiles, veluti de condigno meritorios beatitudinis.

Not. 2. Quòd in hac quæst. sunt duæ opiniones, una est Thomistarum asserentium cum D.Thoma gratiam physicè, & ex sui natura reddere hominem iustificatum, & Dei amicum, absque alia Dei ordinatione, quemadmodum albedo formaliter reddit parietem album. Altera sententia est Scoti in 1. d.17.q.2. & alibi; quem præter Scotistas sequuntur etiam Ocham, Ricard Gabriel, Durand, & alij docentis gratiam secundùm suam entitatem intrinsecam, & essentialem in esse qualitatis, præscindendo à quocunque Dei decreto, non esse causam formalem iustificationis, & aliorum effectuum, quos illa producit, benè tamen prout substat Diuinæ ordinationi, quatenùs Deus statuit hominem præditum gratia habituali, liberari à peccato, fieri amicum Dei, filium eius adoptiuum &c.

I. Concl. Effectus formales absoluti habitus gratiæ in genere qualitatis sunt, voluntatem hominis venustare, ornare, spiritualiter decorare, & insuper inclinare voluntatem ad Deum amandum, præscindendo tamen à debitis circumstantijs; gratia enim non inclinat ad Deum amandum hic, & nunc super omnia, sed tantum in genere moris. Hanc tradit Vulpes de mente Scoti. Prob. quoad 1. part. auct. S.Scrip. clamantis in Cant. *Quam pulcra es, & quam decora filia Hierusalem* &c. quæ verba indubiè intelliguntur, etiam de Anima gratia ornata. Prob. ratione. Omnis forma realis, siue substantialis, siue accidentalis, tam materialis, quam spiritualis ponit in subiecto, quod afficit, effectum realem formalem intrinsecum, & inseparabilem, sed gratia est forma accidentalis, supernaturalis; ergo debet ponere in subiecto quod afficit suum intrinsecum effectum formalem; subsumo min. sed huiusmodi effectus non possunt esse nisi recensiti in 1. part. concl. ergo &c.

Prob. 2. pars. Habitus quicunque instar speciei impressæ habet determinatum obiectum, à quo specificatur in genere naturæ, & qualitatis; sed gratia habitualis est habitus de genere qualitatis appetitiuus, qui ponitur in potentia appetitiua, idest in voluntate; ergo &c.

Prob. 3. pars nempe quod non inclinet ad amandum Deum talibus, & talibus circumstantijs ex Scoto in 3. d. 28. ubi

28. ubi docet quod habitus gratiæ, ut absoluta qualitas nequit inclinare ad amandum sub circumstantijs, neque formaliter, neque virtualiter, quia habitus absolutus in genere naturæ ut unus fundat habitudinem ad obiectum unum in genere entis, actus autem amandi Deum, ut sic absolutè, est tantum materialiter bonus, honestus &c.

II. Concl. Gratia habitualis non exercet ullam causalitatem physicam circa iustificationem, adoptionem &c. sed moralem, seu theologicam est Scoti loc. cit. Prob. Habitus gratiæ est quædam accidentalis qualitas nullam habens cum Deo connexionem, nec commensurationem ex sua intrinseca natura; ergo in genere naturæ non potest meritoriè iustificare, sed tantum theologicè, hoc est ex Diuina ordinatione. Prob. ant. Natura Angelica longè excedit omnia accidentaria supernaturalia, & magis participat de esse Diuino, quàm quodlibet accidens, seu donum supernaturale, sed natura Angelica nullam habet connexionem cum Deo in ordine ad iustificationem, adeo ut naturaliter sit iusta, & sancta, ergo nec etiam gratia cum sit longè inferioris conditionis id habet ex sui natura, sed tantum ex ordinatione Diuina.

Prob. 2. Nostra sententia asserens gratiam exercere solam causalitatem moralem in ordine ad iustificationem &c. magis propriè saluat modum loquendi, & veritatem Sac. Scrip. & SS. PP. & Concil. unanimi consensu docentium remissionem peccatorum fieri gratis, nostram iustificationem esse opus Dei merè gratuitum &c. Tum quia asserendo causalitatem moralem tantùm nullum fit præiudicium gratiæ habituali, ut constat ex dictis, quia sufficienter dignificatur gratia tribuendo ei causalitatem moralem; quemadmodum tribuimus Sacramentis. Tum quia causalitas moralis est vera causalitas, ut in physica ostenditur, & in disp. de Sacramentis in genere; ergo non est necesse ponere gratiam tanquam formam physicè iustificantem seclusa quacunque Diuina ordinatione.

Arg. cont. 2. Concl. Scot. in p. d. 17. q. 2. docet quod ordinatio ad gloriam est effectus formalis gratiæ inhærentis, ergo est effectus ipsius velut formæ iustificantis.

Resp. dist. ant. est effectus formalis ex sua intrinseca natura, nego ant. formalis moralis ex Diuina ordinantione

con-

concedo ant. Scotus intelligitur in hoc secundo sensu.

Contra ex hac sententia sequitur gratiam habitualem non esse causam formalem perfectam,& unicam nostræ iustificationis, ut tradit Trid. sess.6.c.7.& insuper sequitur quod homo iustificetur solum per fauorem extrinsecum Dei, idest per eius ordinationem, quod damnatur à Trident. in can. 11. dogmatizzante; *Gratiam qua iustificamur, non esse tantùm fauorem Dei extrinsecum*; ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. eò quia, licet gratia sit tantum causa moralis, adhuc dicenda est vera causa moralis formalis, & perfecta, quia ipsa ex diuina ordinatione liberat hominem perfectè à peccato, & iustificatur, ac proinde est unica causa nostræ iustificationis, quia nulla alia qualitas creata præter eam datur, quæ ex diuina ordinatione de facto iustificet formaliter hominem. Ad 2. neg. ant. Etenim non solus fauor Dei extrinsecus, seu ordinatio diuina iustificat formaliter peccatorem prout dicebant quidam Hæretici, contra quos agit Trid. allegatum, sed prærerea etiam requiritur ipsa qualitas gratiæ habitualis realiter inhærentis Animæ per modum formæ creatæ à fauore Dei extrinseco distinctæ, estò moraliter tantùm causet in homine iustificationem, ad quam utrumque requiritur, idest & qualitas gratiæ habitualis, & Diuina ordinatio, ita Herincx in tract. de gratia.

Arg. 2. Gratia habitualis est quædam participatio Diuinæ naturæ, ut indicat S. Scrip, ergo cum Diuina natura sit ex intrinseca sua ratione Sancta, ita & gratia, ac proinde, ex intrinseca, & physica ratione causat in homine sanctitatem, adoptionem &c. Resp. dist. ant. Gratia est quædam participatio physica Diuinæ naturæ, nego, moralis, conc.

Contra si gratia est tantùm causa, & participatio moralis sequitur quod gratia se habeat solum per modum signi, ex cuius positione Deus iustificet,& adoptet in filium peccatorem; sed hoc est contra Trid. sess. 6. ergo gratia physicè causat suos effectus. Resp. neg. sequelam mai. Nam gratia non tantùm significat dignitatem vitæ æternæ, sed est ipsa dignitas; ratione cuius est Deo gratus, & amicus homo habens illam; hæc autem dignitas non ei competit ex natura rei simpliciter, sed ex diuina ordinatione; sicut Rex v.g. non habet regiam dignitatem ex sui natura, sed

ex ſuppoſitione quod eligatur in Regem ; qua de cauſa ea dignitas non eſt in eo phyſica, ſed moralis, ac proinde non eſt purum ſignum.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Gratia habitualis poſſit augeri, & deſtrui.

NOt. 1. Quod diuerſi ſunt hæreticorum errores circa hanc quæſtionem. Primus fuit Iouiniani, qui dicebat homines in accepta Dei gratia creſcere non poſſe, ut refert D. Hieron. lib. 2. aduerſus eundem hæreticum: 2. tribuitur Kemnitio, qui licet docuerit iuſtitiam, & ſanctitatem poſſe recipere aliquod augumentum, negauit tamen id prouenire ex bonis operibus, ſed aiebat incrementum prouenire ex fide diuinarum promiſſionum, ac proinde potiùs ex Dei beneplacito, quàm ex merito operantis: 3. denique error fuit Beguardorum, & Beguinarum, qui putabant homines ad talem ſanctitatis, & iuſtitiæ gradum poſſe in hac vita pertingere, ut ad ulteriorem perfectionem progreſſum non dari.

Not. 2. quod quæſtio non procedit de potentia Dei abſoluta, nam apud omnes pro certo habetur Deum poſſe augere, vel diminuere gratiam iuxta rationem intenſionis, & remiſſionis graduum, idque pro libito, & abſque reſpectu ad opera meritoria, vel demeritoria, ſed procedit de facto, & de communi lege: hoc autem in quadruplici ſenſu intelligi, vel agitari poteſt; Primo ex parte charitatis in ſe: 2. quatenus gratia eſt in ſubiecto; 3. comparando charitatem ut ad Deum; 4. comparando eam ad cauſam demeritoriam, vel meritoriam: hic verò non loquimur de primo modo, nam indubiè gratia, cum ſit habitus, & conſtet gradibus, poteſt augeri, & diminui; neque de 2. quia non videtur poſſe in dubium reuocari: An forma diuiſibilis ſecundum ſe poſſit dari in ſubiecto eſſe diuiſibilem; agitatur ergo quæſtio præſens in 3. & in 4. ſenſu.

I. Concl. Gratia habitualis à ſolo Deo effectiuè augeri, & diminui poteſt, ac proinde, neque peccatum mortale, neque veniale eſt cauſa phyſica expulſionis gratiæ. Prob. 1. pars. Cuius productio eſt creatio, eius corruptio eſt an-

ni-

nihilatio; sed solus Deus potest aliquid annihillare; ergo solus Deus potest destruere, vel diminuere gratiam, quam solus effectiuè produxit, ut supra ostensum est de creatione gratiæ. Prob. 2. pars. Si peccatum esset causa physica expulsionis gratiæ, id præstaret, vel effectiuè, vel formaliter, vel dispositiuè. Primum dici nequit, nam si peccatum mortale gratiam expelleret, deberet in Anima efficere formam aliquam physicè oppositam ipsi gratiæ: at hanc non efficit; si enim peccatum omissionis sit, nihil physicè afficit; si peccatum commissionis nil pariter positiuum producit, quod physicè opponatur gratiæ, nisi forte habitum vitiosum, sed ille nec physicè, nec moraliter pugnat cum gratia sanctificante, cum habitus vitiosi per assiduum peccatum contracti remaneant in iustificatis, & eos ad peccatum inclinant teste experientia &c. Secundum etiam dici nequit; etenim quod expellit aliud tanquàm formam physicam oppositam, & incompatibilem, debet habere illam incompatibilitatem ex natura sua, sed peccatum talem incompatibilitatem non habet, quia idem actus, qui est peccatum mortale, si non fieret liberè, esset idem actus physicè, nec tamen gratiam expelleret; ergo ex sui natura non habet, ut gratiam expelleret. Neque denique tertium asseri potest. Nam forma, quæ non dependet à physicis dispositionibus, nequit à dispositionibus contrarijs destrui; ergo cum sic se habeat gratia, nequit dispositiuè dispositione quidem physica expelli à peccato.

II. Concl. Gratia habitualis ex natura sua augeri potest, & de facto in hominibus augetur ex merito bonorum operum quamdiù in hac mortali vita existunt; itaut nullus sit adeò Sanctus, & iustus, qui ad maiorem sanctitatem progredi non possit. Hæc est de fide contra recensitos hæreticos, & habetur apertè in S. Scrip. sic Eccles. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*, sic Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*; sic Apocal. 22. *Qui iustus est iustificetur adhuc*. Eadem veritas definita fuit in Concil. Viennen. in Clement. ad nostrum de hæreticis, & Trid. sess. 6. c. 10. & can. 24. ita decreuit. *Si quis dixerit iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adepta, non autem ipsius augendæ causa. Anathema*

masit. Prob. 2. pars nempe quod gratia sanctificans augeri possit non solum per actum dilectionis Dei, sed etiam per opera bona ab auxilio gratiæ procedentia. Apostol. pluribi hanc veritatem docet, & signanter ad Rom. 6. ubi ait. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*: & apertius ad Collos. 1. *Vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, vt in omni virtute confortati &c.* Cæterùm 3. pars idest quod iusti per totã vitam iniustitia accepta proficere valeant, remanet probata ex ijs, quæ allata sunt in prob. 1. p.

III. concl. Gratia habitualis per quodlibet peccatum mortale destrui potest demeritoriè, per nullum autem peccatum veniale minui, vel destrui potest: est pariter de fide. Probatur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ ubi traditur homines per quodlibet peccatum mortale priuari beatitudine, & excludi à Regni cœlestis possessione; & præsertim id clarè indicat Apost. ad Galat. scribens. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia &c. quæ prædico vobis sicut prædixi, quia qui talia agunt Regnum Dei non possidebunt*. Prob. 2. pars, auct. Concil. Trid. sess. 6. c. 11. sic dogmatizzantis: *licèt in hac mortali vita quantumuis Sancti, & iusti in leuia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti, nam iustorum ista vox est, & humilis, & verax: Dimitte nobis debita nostra.*

Arg. cont. 1. concl. & 1. part. Christus distribuit gratiam singulis prout vult, & non secundum cuiuscunque meritum, ut docet Apost. 1. ad Corint. 2. ergo si aliquod sit gratiæ augumentum, non sit per bona opera, sed per Dei dispensationem. Resp. Apost. loc. cit. sermonem facere de distributione gratiarum, quæ gratiæ gratis datæ nominantur, non vero de gratia habituali, de qua nunc agimus.

Arg. cont. 2. part. Habitus non possunt augeri nisi per actus similes ijs, per quos eliciuntur; ergo gratia sanctificans cum sit eadem cum charitate, non potest augeri per actus aliarum virtutum, sed tantum per actum amoris Dei.

Resp. dist. ant. habitus acquisiti, & comparati per actus, conc. ant. habitus infusi, & per solam Dei liberalitatem donati, neg. ant. siquidem actus meritorij non concurrunt

phy-

physicè ad gratiam augendam, sed solummodo moraliter hoc est, mouendo Deum ad conferendum illud augumentum per modum meriti.

Arg. cont 3. part. auct. D. Aug. dicentis in Enchirid. c. 121. *Hic veniri ad tantam magnitudinem charitatis, qua maior esse non possit*; ergo potest homo viator deuenire ad tantam gratiam, ultra quam non possit proficere, & progredi.

Resp. neg. cons. Nam D. August. l. c. non agit de charitate secundum intensionem habitus, sed secundum exhibitionem operis ex genere suo maximo, cuiusmodi est omnia propter Deum contemnere, & mortem pro Deo subire iuxta illud Ioan. c. 19. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*.

Arg. cont. 3. concl. Omne malum inquantum malum aliquid diminuit de bono ex D. Aug. in Enchir. sed peccatum veniale est malum, quia Deus punit pro eo; ergo aliquid diminuit de bono, sed nullum bonum in Anima per contrarium potest diminui nisi charitas; ergo charitas diminui potest per peccatum veniale. Resp. conc. mai. cum toto discursu, & neg. min. subsumptam; quia peccatum veniale non adimit aliquid de bono secundum primum actum, cum actui primo non opponatur, sed adimit de bono in actu secundo non quidem de illo, quod inest, sed de illo, quod natum est inesse.

Arg. 2. Peccatum veniale impedit infusionem charitatis: ergo & conseruationem, Resp. dist. ant. impedit augumentum gratiæ, conc. ant. impedit infusionem ipsius gratiæ, nego: homines passim sunt in aliquo peccato veniali, quando recipiunt e. g. gratiam sanctificantem in Sacramento pænitentiæ. Immò fieri potest quod etiam augeatur charitas per opera bona, etsi iustus cadat in plura peccata venialia.

QVÆSTIO V.

Vtrum gratia habitualis augeatur per actus remissos.

NOt. Quòd plures, & diuersæ sunt Doctorum sententiæ circa præsentem quæstionem. Prima sententia asserit iustos per actus remissos neque mereri augumentum

gratiæ, neque propter actus remissos hoc gratiæ augumentum unquam conferri. Ita Durand. in 1. d.17. q.8. Secunda tenet iustos per omnes actus mereri augumentum gratiæ; & illud statim conferri, non tamen augumentum charitatis, quod ratione actus remissioris in hac vita, vel in alia conferendus sit. Ita Victoria Thomista in relectione de augumento charitatis part. 1. Tertia sustinet iustos per omnes quidem actus charitatis mereri augumentum gratiæ charitatis, & gloriæ, hæc tamen non augeri statim per actus remissos, sed tunc quando homo per actus feruentiores disponitur ad huiusmodi augumentum, ita Bannes pariter Thomista. Quarta sentit, iustos per omnes actus charitatis mereri augumentum gratiæ, charitatis, & gloriæ, & illud augmentum statim conferri, & successiuè crescere per continuationem temporalem eiusdem actus. Ita Almai. Gabriel, Maior, & alij quos refert, & sequitur Suarez p.3. & 2. disp.18. sect. 2. & 4. Quinta denique sententia est Scoti in 4. d. 21. q. 1. ubi docet iustos per omnes actus quidem charitatis mereri augumentum gratiæ, & gloriæ, illud autem, quod debetur actibus remissis, non conferri statim in hac vita, aut saltem non in ipso istanti, quo efficiuntur actus remissiores. In hac eadem sententia est D. Thom. qui in d. 17. q. 2. art. 3. docet omnem actum charitatis mereri augumentum illius, quamuis hoc augumentum non statim conferatur.

Concl. Gratia habitualis augeri potest etiam per actus remissos, & minus intensos. Prob. 1. auct. S. Scrip. & Trident. docentium nostram sanctitatem augeri per quæcumquè bona opera, sed actus remissi sunt bona opera: ergo per eos gratia habitualis augetur &c. Prob. ratione Scoti loc. cit. si gratia sanctificans per actus remissos non augeretur, cum illa sit semen gloriæ sequeretur, quod Adultus qui plures actus remissos exercuit post Baptismum, non foret beatior, nec ampliori beatitudine dignus, quam paruulus, qui statim post baptismum moritur; sed consequens pugnat contra iustitiam remuneratiuam ipsius Dei, quæ etiam minimum opus bonum, puta calicem aquæ frigidæ ex misericordia donatum, non sinit esse absque mercede ergo &c. Confirm. Deus nulla opera mala, quantùmuis remissa, sinit esse impunita; Venialia namque puniuntur, vel

in hac vita, vel in alia ; ergo pari ratione non debet Deus irremunerata relinquere bona quatùmuis minuta, & maximè cum Deus sit procliuior ad præmiationem, quam ad punitionem. Confirm. etiam ex Trid. sess. 6. cap. 16. ubi postquam statuit conditiones ad merendam desideratas, nempe quod sit opus honestum, voluntarium, à gratia procedens, ait. *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse, ut vere promeruisse censeantur*; ergo non requiritur actus intensior, quia conditiones assignatæ à Trid. etiam in actu remisso reperiri possunt; & can. 32. definit. *Iustum per bona opera quæ ab eo per Dei gratiam, & Christi meritum fiunt, verè mereri augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit* Eandem doctrinam tradunt unanimiter SS. PP. ergo &c.

Arg. cont. Concl. Habitus naturalis solum crescunt per actus ipsis intensiores; ergo similiter habitus supernaturales. Resp. neg. mai: nam virtutes infusæ in sententia D. Thomæ non augentur effectiuè, sed meritoriè, ut supra monstrauimus ex Scot. ac proinde, cum actus etiam remissi sint meritorij, sequitur quod etiam per ipsos gratia habitualis augeatur.

Arg. 2. Sicut dilectio est dispositio ad habitum charitatis, ita maior dilectio debet esse maior dispositio ad maiorem habitum, sed habitus, qui præcedit augumentum charitatis, ad sui introductionem postulauit dispositionem æqualiter intensam, ratione cuius productus est: ergo subsequens augumentum, per quod habitus fit intensior, necessariò postulat intensiorem dilectionem, quàm fuerit dispositio actus præcedentis; ac proindè etiam ipse habitus, qui in intensione illi dispositioni fuit æqualis. Resp. conc. mai. quando cætera sunt paria maiorem habitum postulare maiorem dispositionem quam ille, qui est remissior. At si ex alia parte sit inæqualitas fieri potest, ut eadem intensio, quæ est dispositio ad habitum æqualem, in alia circumstantia sit dispositio ad maiorem, quod contingit in proposito.

Arg. 3. auct. Apocal. c. 3. vbi Episcopus Sardis. reprehenditur, quia non erant plena eius opera, sed opera non plena nil aliud sunt quàm opera remissa, ergo &c. Resp. neg. min. Quia per opera non plena non intelliguntur opera remissa, sed opera facta ob inanem gloriam, quę vacua sunt retributionis, & mercedis.

Quæ-

Quæres 1. Quandonam à Deo conferatur iusto augumentum gratiæ promeritum per opera remissa.

Resp. Variant Doct. in huius dubij resolutione; Etenim sunt, qui censent illud augumentum statim concedi ac opus meritorium elicitum fuit. Ita Gabriel. in 1. d. 17. q. 4. art. 3. Vasquez disp. 220. Alij putant cum S. Thoma 1. 2. q. 114. art. 8. tale augumentum non dari statim, sed tunc quando homo elicit actum intensiorem. Verùm dicendum cum Scoto in 4. d. 21. q. 1. augumentum illud conferri maximè in instanti mortis. Ratio quia, cum actus remissus per se, & physicè non augeat habitum infusum, sed solum dispositiuè, & moraliter, conueniens est, ut Deus, qui suauem modum augendi seruat, non statim augeat, quia non est dispositiò sufficiens, sed in ultimo vitæ; ne videlicet opera remissa sine præmio remaneant; Tum quia Anima in illo instanti propter perseuerantiam in gratia disposita est, ut illi detur tale augumentum. Tum quia ordinariè fit, ut charitas in fine vitæ sit intensior, & consequenter postulet tunc augumentum promeritum.

Dices Concil. Trid. indicat iustificatos ire de virtute in virtutem, & de die in diem bonis operibus crescere, atque magis iustificari; ergo debent suscipere suæ iustitiæ augumentum non solum in fine vitæ, sed statim post elicitionem operis remissi. Resp. Concil. Trid. loqui de operibus intensis, non verò remissis, congruentiori enim modo augetur charitas in fine vitæ ratione maioris dispositionis, ut supra dictum est.

Quæres 2. An sit de fide gratiam, qua iustificamur, esse quid habituale, & permanens.

Resp. cum Herincx p. 2. d. 4. de iustificatione q. 3. saltem post Concil. Trid. nemo Doctorum catholicorum negat conferri in iustificatione, siue Adultorum, siue paruulorum gratiam habitualem; Quare plures censent nunc esse de fide. Alij esse fidei proximum. Alij esse de fide quoad iustificationem paruulorum, non tamen Adultorum; saltem dum iustificantur extra Sacramenta. Alij denique esse valde temerarium id negare, ut etiam tenet Frassen, ut pote contra omnium Doctorum huius temporis, & fidelium sensum absque fundamento. Prob. ex Trident. sess. 5. can. 5. ubi generaliter definit post baptismum conferri gratiam,

quæ tollit peccatum, non confertur autem actus aliquis v. g. contritionis, aut dilectionis, ut patet, ac proinde per gratiam intelligitur donum aliquod habituale, & permanens. Confirmatur exemplo paruulorum, qui sunt incapaces actuum, in quibus proinde gratia iustificans illos est quid habituale, & consequenter etiam in adultis. Deinde Trid. sess. 14. c.4. docet in Sacramento pœnitentiæ conferri gratiam, ad quam disponit, siue contritio, quæ plerumque præcedit tempore susceptionem, adeoque effectum Sacramenti; siue attritio, hæc autem gratia nequit esse actus, sed actum consequitur. Vnde ulteriùs infertur etiam extra illa Sacramenta iustificari hominem per donum habituale. cum Trid. eodem planè modo loquatur de utraque iustificatione, & effectu illius, seu gratia.

Confirmatur hæc doctrina per idem Trid. eò quia enumeratis sess. 6. c. 6. actibus dispositiuis subiungit c. 7. impium proportionatè ad illos actus iustificari per susceptionem gratiæ recipiendo quisque suam, quæ sonant non actum elicitum, sed gratiam habitualem infusam, uti & illud quod can. 3. definit, diligentibus gratiam conferri, & c. 11. Eandem inhærere, item diffundi. Et sess. 7. can. 67. & 8. de Sacramentis in genere docet dogmatizzando, Sacramenta non ponentibus obicem infallibiliter ex opere operato conferre gratiam sanctificantem primam, vel secundam, sed non conferunt actum, ergo habitum. Hæc Herincx.

QVÆSTIO VI.

Vtrum gratia ponatur immediatè in Animæ essentia, vel in eius potentia, idest voluntate.

NOt. Quòd in hac quæst. sunt duæ opiniones. Prima est D. Thom. in 1. p. q. 110. art. 4. & Thomistarum asserentium gratiam principaliùs esse in essentia Animæ, quorum præcipuum fundamentum est, quia gratia est radix, & vita omnium beatorum, ut patet ex Aug. de laude charitatis, at vita principaliùs pertinet ad essentiam: ergo gratia immediatè ponitur in essentia. Tum quia Anima se habet ad perfectiones supernaturales, sicut ad perfectiones naturales, sed respectu perfectionum naturalium prius Ani-

Anima perficitur secundùm essentiam, quàm secundùm potentiam, ergo, cum gratia sit quædam perfectio supernaturalis, priùs est in essentia Animæ; quàm in potentia. Secunda opinio est Scoti in 2. d. 26. q. 1. docentis gratiam immediate poni in voluntate, & mediatè in Animæ essentia, ideò sit.

Concl. Gratia immediatè ponitur, seu inest voluntati, & mediatè essentiæ Animæ. Est Scoti loc. cit. & D. Bon. eadem dist. art. 1. q. 1. Prob. 1. auct. D. Aug. sermone 12. de Verbis Dominic. 12. ubi ait. *Gratia se habet ad lib. arb. sicut sessor ad equum, sed lib. arb. immediatè ponitur in voluntate*, ergo & gratia. Prob. ex Scot. ratione. Gratia perficit Animam quatenus est operatiua actus meritorij; ergo debet inesse Animæ quatenus est sic operatiua; sed Anima non est operatiua actus meritorij nisi per voluntatem, ergo gratia ponitur in voluntate, per quam Anima operatur.

Confirm. Sapientia non debet poni in Anima quatenus essentia est, sed quatenus habet intellectum, quia est determinatiua actus intellectus; ergo pari ratione gratia, quæ ordinatur ad eliciendos actus meritorios, debet inesse Animæ quatenus habet voluntatem. Prob. 2. Gratia est aliqua forma in Anima, sed omne quod est in Anima vel est passio, vel potentia, vel habitus ex 2. Eth. sed gratia non est passio, vel potentia: ergo est habitus, at omnis habitus est in potentia: ergo &c. Tum quia iustitia, & iniustitia sunt formaliter in voluntate ex D. Ansel. in lib. de conceptu virginali c. 3. ergo cum gratia sit quædam iustitia, debet esse in potentia, in qua est iniustitia.

Prob. 3. Quando aliqua forma est indeterminata secundùm virtutem actiuam ad plura, id, quod præcisè respicit unam actionem determinatam, non potest esse perfectio eius inquantum est indeterminata, sed bene inquantum est potentia determinata respectu istius actionis, perficitur à tali perfectione e. g. si Anima est indeterminata ad plures actus, Sapientia perficiens non perficit Animam, quatenus est indeterminata, sed quatenus est intellectiua, ergo pariter gratia perficit Animam quatenùs volitiuam, ut supra indicauimus.

Arg. 1. Essentia est magis indeterminata quàm potentia, ergo magis indiget determinatiuo, ac proinde gratia ponen-

nenda est principaliùs in essentia Animæ, quàm in potentia: Resp. Scotus dist. ant. Essentia magis est indeterminata in ratione operatiui proximè neg. nam sic essentia non est operatiua in ratione operariui; remotè conc.

Arg. 2. forma, quæ determinat ad agendum, potius debet poni in principali agente quàm in instrumento, sed essentia est principale agens, & potentia eius instrumentum; ergo &c. Resp. ex Scoto dist. mai. debet magis esse in essentia quàm in instrumento separato extrinseco, conc. mai. quàm in instrumento coniuncto intrinseco naturali, nego maiorem.

Arg. 3. Habitus, qui immediatè recipiuntur in potentijs solùm ordinantur ad actus huiusmodi potentiarum; at gratia non solum ordinatur ad actus voluntatis, sed etiam ad actus omnium potentiarum; ergo nō recipitur immediatè in aliqua potentia. Resp. dist. min. ordinatur ad actus voluntatis, & aliarum potentiarum eodem modo, neg. min. diuerso modo, conc. Siquidem ordinatur effectiuè ad actus voluntatis, imperatiuè autem ad actus cæterarum potentiarum: ex dictis patet quid sit respondendum ad fundamentum Thomisticæ opinionis: ideò &c.

DISPVTATIO VI.

De Iustificatione primo effectu Gratiæ habitualis.

QVÆSTIO I.

Vtrum Adultus debeat aliquas dispositiones præmittere in ordine ad iustificationem.

NOt 1. Quòd iustificatio multipliciter sumitur. Primo pro lege, quæ iustitiam docet, ut Psal. 18. *Iustificationes tuas custodiam, Doce me iustificationes tuas*. 2. sumitur pro acquisitione iustitiæ, ut ad Rom. 8. *Quos vocauit, hos iustificauit*, idest transtulit à statu peccati ad statum gratiæ, quæ translatio vocatur à Theologis iustificatio: 3. sumitur pro augumentatione iustitiæ, ut in Apocal. c. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc* 4. sumitur prò declaratione iustitiæ per aliquam sententiam iuridicam, quo pacto Iudices eos, qui inter

ter Reos censentur, iustificant aliquando, idest innocentes declarant, ut in Prouerb. c. 17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est apud Deum*; hic autem loquimur tantum de iustificatione secundo modo accepta idest pro acquisitione iustitiæ. Cæterum hæretici usurpant tantum iustificationem quarto modo, in quantum non reddit hominem ex peccatore iustum, sed ipsum iustum declarat imputando ei iustitiam Christi, qua teguntur peccata, quæ reuerà, & realiter remanent, sed non ampliùs imputantur, de quo errore infra &c.

Not. 2. quod iustificatio habet duos terminos, unum à quò, alterum ad quem, & pro solito more denominatur non à termino à quò, sed à termino ad quem, seu ab acquisitione nouæ formæ, ut calefactio, dealbatio &c. Itaque iustificatio pro termino à quò habet, vel iustitiæ priuationem, ut iustificatio peccatoris, vel meram, & simplicem negationem iustitiæ absolutè, ut iustificatio Angeli, & Adæ, vel negationem iustitiæ intensioris, ut iustificatio secunda, quæ prò termino ad quem habet secundam, hoc est augumentum gratiæ, seù iustitiæ præexistentis. Dicitur autem iustificatio dupliciter scilicet actiua, & passiua; prior est actio, qua Deus facit creaturam intellectualem iustam: posterior est iustitiæ receptio. Cæterùm iustificatio pro formali sic describi solet. Est translatio hominis à statu quo quis nascitur Filius primi Adæ, vel in quo detinetur sub peccato personali, ad statum gratiæ habitualis, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum; Ita ex Trid. sess. 6. c. 4. quæ quidem descriptio, cum sit de se clara, non indiget alia explicatione.

Concl. Adultus præmittere debet aliquas dispositiones lib. arb. in ordine ad iustificationem; nequit tamen huiusmodi dispositiones ponere sine præuenienti Spirit. S. inspiratione. Est de fide; & prob. 1. auct. Trid. sess. 6. cap. 5. definientis, quod iustificandi gratiæ excitanti, & adiuuanti liberè assentiendo, & cooperando disponantur, & can. 4. sic dogmatizzat. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à solo Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentiri, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereq; passiuè se habere,*

anathema sit; ergo ex Trid. in Adulto peccatore prærequiritur aliqua dispositio lib. arbit. in ordine ad iustificationem: Eandem veritatem catholicam docent SS. PP. quæ etiam ratione comprobatur. Liberum arbitrium ex nullo capite impeditur à ponenda dispositione sui consensus, seu cooperationis ad gratiam iustificationis obtinendam: ergo ad eandem se disponere debet. Prob. ant. Non impeditur ex eo, quod sit vulneratum per peccatum, quia per gratiam sanatur lib. arb. ex D. Aug. lib. de Spiritu, & lit. Nec etiam ex eo quod lib. arb. per aduentum gratiæ euacuetur, quoad suas vires; quia ut dixit D. Aug. loc. cit. *Liberum arbitrium euacuamus per gratiam, absit, sed magis lib. arb. statuimus*, ergo ex nullo capite impeditur lib. arb. à ponenda aliqua dispositione requisita ad iustificationem: 2. pars concl. videlicet quod lib. arb. hominis nequeat ponere huiusmodi dispositiones sine præuenienti Spirit. S. gratia patet ex dictis in disputationibus de gratia actuali.

Arg. 1. Concil. Arausf. 11. cap. 4. ait, *Vt à peccato purgemur, Deus voluntatem nostram non expectat.*; ergo &c. Resp. Arausf. tantum velle, quod Deus non expectet nostram voluntatem, dum eam præuenit gratia excitante, & adiuuante; expectat tamen nostram voluntatem quatenus excitata gratia actuali se disponit per actus liberos ad iustificationem, ut tradit Trident.

Arg. 2. Si Adultus suo lib. arb. aliquas dispositiones ponere deberet, sequeretur quod peccator proprijs actibus naturæ attingeret suam iustificationem; sed hoc est cont. Trid. sess. 6. can. 1 definiens: *Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per natura, vel legis doctrinam fecerit &c. posse iustificari anathema sit*: ergo Adultus &c. Resp. si tales dispositiones ex viribus naturæ tantum poneret, conc. mai. si verò ponat gratia excitante adiutus; nego quod adultus ex suis viribus iustificationem attingeret.

Quæres. Quot dispositiones, seu actus præuij ad iustificationem requirantur. Resp. Septem à Concil. Trid. numerantur sess. 6. c. 6. Primus est timor D. Iustitiæ: 2. spes remissionis obtinendæ per Christum; 3. Amor Dei: 4. Odium, seu detestatio peccatorum, idest actus pœnitentiæ: 5. propositum inchoandi nouam vitam: 6. seruandi mandata: 7. suscipiendi Baptismum. De timore dicitur Ec-

clesiast. c. 1. *Timor Domini expellit peccatum*; nam qui sine timore est, non potest iustificari; Hunc tamen timorem non esse simpliciter necessarium satis ostendit Trident. dicens timore iustitiæ utiliter concuti hominem. Vnde, qui sine isto timore eliceret alios actus, vere iustificaretur. De spe extat testimonium expressum ad Rom. c. 8. *Spe salui facti estis*. Vnde D. Ambros. lib. de pœnitentia c. ait. *Nemo potest bene agere pœnitentiam nisi qui sperauerit indulgentiam*. De dilectione verò Dei dicitur Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, & Io. c. 3. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*; *Qui non diligit manet in morte*, hoc est saltem dilectione inchoatiua, seu initiatiua, ut indicat Trid. De necessitate actus pœnitentiæ dicitur Lucæ. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis*, & Act. 2. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra*. De proposito nouæ vitæ, seu voluntate præcauendi peccatum de cætero habetur Isai. 1. *Lauamini, quiescite agere peruersè* & statim subditur iustificatio. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbabuntur*. De proposito seruandi mandata dicitur Ioan. 14. *Si quis diligit, mandata mea seruabit*; & denique de proposito suscipiendi Baptismum, si non est Baptizatus, similiter dicitur. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei*. Cæterùm an omnes isti actus sint necessarij formaliter, & expresè ad iustificationem dicetur in disputatione de Pœnitentia,

QVÆSTIO II.

Vtrum fides sit necessaria ad iustificationem.

NOt. 1. Quòd Caluinistæ, & Lutherani lib. 3. instit. c. 2. sess. 9. contendunt fidem esse triplicem correspondentem tribus Deì perfectionibus. Prima dicitur historica, & est qua credimus vera esse ea omnia, quæ à Deo reuelata in Sacra Biblia continentur, de qua loquitur Apost. ad hebræos c. 11. *Fide credimus aptata esse secula*. 2. dicitur fides miraculorum; quæ coincidit cùm historica quatenus connexam habet virtutem patrandi miracula, nempe credendo, quòd nihil sit quod à Deo fieri non possit, & de hac loquitur Apost. 1. ad Corint. c. 13. *Si habuero omnem fidem, itaut*

ita ut montes transferam &c. 3. fides dicitur promiſſionum, & eſt, qua credimus veras eſſe promiſſiones Dei de gratuita peccatorum remiſſione per Chriſti merita; & hanc dicunt Lutherani eſſe quandam fiduciam, quam habet homo in promiſſione, & miſericordia Dei, de qua dicitur, *qui crediderit, & baptizzatus fuerit ſaluus erit*; Vnde aſſerunt ſupradicti hanc ſolam fidem iuſtificationi eſſe neceſſariam.

Not. 2. Quòd in tribus fides hæreticorum à fide Catholicorum differt, nimirum in obiecto, quod illi volunt eſſe ſolum Dei miſericordiam, quæ credentibus in Chriſtum promiſit remiſſionem, ſeu non imputationem peccatorum: Catholici verò eſſe quidquid Deus reuelauit. Deinde in diuerſitate ſubiectorum fidei, quam hæretici tenent eſſe in voluntate, fiducia enim in voluntate reſidet: Catholici autem in intellectu. Tandem quoad fidem hiſtoricam, quam nos dogmaticam, & catholicam nominamus; Caluiniſtæ ſuſtinent eam conſiſtere in notitia, nos verò in aſſenſu, ideo &c.

I. Concl. Neceſſariò ad iuſtificationem requiritur fides aliqua actualis, quæ non eſt fiducia aliqua promiſſionum, vel fiducia ſpecialis, ſed eſt fides hiſtorica, ſeu dogmatica: eſt de fide contra præfatos hæreticos. Prima pars patet ex Trid. & expreſsè habetur in S. Scrip. & ſignanter ad hebræos 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, & Io. 3. *Qui non crediderit iam iudicatus eſt*. ergo &c. Prob. 2. pars ex ijs, quæ habentur in Epiſt. ad hebræos, ubi poſtquam Apoſt. dixiſſet. *Iuſtus autem ex fide viuit*, ſtatim ſequenti capite exprimit hanc fidem pertinere ad intellectum, & eſſe hiſtoricam per illa verba, *Fide credimus aptata eſſe ſæcula Verbo Dei*: ergo fides, quæ eſt diſpoſitio præuia ad iuſtificationem non eſt fides promiſſionis, vel fiducia ſpecialis ſed dogmatica &c.

Prob. 2. auct. Trid. damnantis ſeſſ. 6. can. 12 aſſerentes fidem, quæ ad iuſtificationem diſponit eſſe puram fiduciam. *Si quis dixerit fidem iuſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam D. Miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum, vel etiam fiduciam ſolam eſſe qua iuſtificat Anathema ſit*: ergo &c. Eandem doctrinam tradunt omnes SS. Patres, ut videre eſt apud recentiores Doctores. Prob. 3. ratione. Interdum contingit aliquem iuſtificari per actum fidei formatæ abſque fide promiſſionis, ſeu fiduciæ, ſic Hemeroiſſa apud Lucam c.

40. refertur habuisse actum fidei formatæ dum dixit. *Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero*, ideoque statim à Christo vocatur filia, quo indicatur eam esse iam vi illius actus fidei iustificatam secundum D. Hieron. expendentem illam Scrip. & deinde Christus primò hortatur illam ad habendam fiduciam per hæc verba. *Confide filia*: ergo fides promissionum per fiduciam acceptam non est necessaria dispositio ad iustificationem, ac proinde debet esse fides illa, quę est actus intellectus. Insuper. Nullibi extat aliqua specialis promissio Dei reuelata, quod Caluino, Luthero, vel alij peccatori in specie sint remissa peccata: ergo circa hoc nequeunt hæretici habere fidem, qua iustificentur. Nec sufficit generalis promissio Dei in Scrip. reuelata, quod omnibus rectè conuersis Deus remittat peccata; quia saltem nullus textus Scrip. Caluino, vel Luthero, vel aliæ particulari Personæ dicit se rectè esse conuersos. Quare circa huiusmodi conuersionem istæ particulares Personæ nullam fidem iustificantem possunt exercere, quæ semper innititur obiecto reuelato.

II. Concl. Fides dogmatica sine operibus non sufficit ad iustificationem. Est de fide contra recentiores hæreticos.

Prob. 1. auct. S. Scrip. & signanter Iacob. 2. dicitur. *Fides sine operibus mortua est*, & ad Galat. c. 5. *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*. Quæ quidem Scripturæ etiam à Trid. allegantur definiente sess. 6. c. 7. fidem sine operibus non sufficere ad salutem. Idem docent SS. Patres præsertim apud nostrum Bernard. VVetuueis in suis controuersis, & Bellarm. lib. 1. de iustificatione cap. 13. ergo fides dogmatica sine operibus non sufficit ad iustificationem.

Arguunt Hæretici 1. auct. Apost. ad Rom. c. 1. docentis iustificationem sequi ex fide promissionis illis verbis. *Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini* &c. ergo &c. Item in S. Scrip. iubetur nos orare cum fiducia obtinendi quod petimus; sic enim habetur Iacob. 1. *Si quis vestrum indiget sapientia postulet à Deo, & dabitur ei, postulet autem in fide nihil hæsitans*; ergo fides accepta pro fiducia est dispositio ad iustificationem, cum ea indeget homo iustificari desiderans. Resp. ad 1. auct. nego Apost. loqui de fide accepta pro fiducia bene tamen pro fide dogmatica quam habuit

Abraham de omnipotẽtiâ Dei, qua effecturus erat aliquando, ut promissiones eius adimplerentur, sibi factæ de conuersione gentium ad fidem, & aduentu Messiæ ex semine suo; & sic esset Pater futurus omnium credentium, non solum Iudæorum secundùm circumcisionem, sed etiam gentium secundùm fidem. Quarè de hac fide dogmatica sequitur in eodem capite: *Confortatus est* (idest Abraham) *Fide dans gloriam Deo plenissimè sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est facere*. Ad secundam concedimus quod nostras orationes comitari debeat aliqua fiducia, puta ut non dubitemus Deum posse donare, quod petimus, negamus tamen fiduciam in sensu hæreticorum, qua volunt quòd nos in particulari certò impetraturi sumus quod petimus, quia nullibi constat absque reuelatione, quod orans omnes conditiones necessarias ad ritè orandum posuerit.

Arg. cont. 2. concl. 1. Act. c. 13. dicitur. *In hoc omnis, qui credit iustificabitur*. Lucæ c.7 refertur de Magdalena; *Fides tua te saluam fecit*, & c. 8. *Crede tantum, & salua eris*: quæ quidem auctoritates, & maximè ultima apertè indicant fidem sine operibus ad iustificationem sufficere. Resp. Quod præfati textus S. Scrip. loquuntur de fide formata; non enim dicunt solam fidem, cum alibi manifestè præcipiant, ut mandata Dei seruemus si volumus ad vitam ingredi; ergo non sola fides iustificat, sed præter fidem requiruntur omnia supradicta definita à Trid. Cæterùm 3. & ultima auct. non sunt intelligendæ de fide in ordine ad iustificationem, cum ibi sit sermo de fide Matris requisita ad patrationem miraculi, ut filia sanaretur, ac proinde non est ad rem. Ex doctrina superius tradita apertè, & euidenter deducitur; falsissimam, & temerariam, & scandalosam prorsus esse 23. propositionem ab Innocentio XI. meritò damnatam, quæ est talis. *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similiue motiuo ad iustificationem sufficit*.

QVÆSTIO III,

Vtrum iustificatio impij fiat per solam imputationem iustitiæ Christi.

NOt. Quòd variant hæretici in assignanda ratione formali iustificationis. Lutherus asserit in coment. c. 12.

ad

ad Galatas causam formalem nostræ iustificationis esse Christum fide apprehensum, & ibidem esse fidem ipsam, addens insuper sola fide hominem iustificari, nullamque in nobis esse iustitiam inhærentem. Melanchton in apologia confessionis augustanæ art. 4. §. 6. ait non propter ipsam fidei virtutem, sed propter Christi meritum fide apprehensum, nos coram Deo reputari iustos, & in hoc conuenit cum Luthero, quod solam iustitiam imputatiuam admittat. Hosiander non agnoscit iustitiam imputatiuam cum Lutheranis, nec inhærentem cum Catholicis, sed inhabitantem, quæ nil aliud est, quàm iustitia ipsius Dei, qui inhabitans in nobis, nos reddit iustos per iustitiam, quæ illi essentialis est. At si hoc verum esset sequeretur, quod habitando in nobis suam pariter potentiam, misericordiam &c. nobis communi caret. Caluinus cum Lutheranis negat quidem iustitiam inhærentem, admittit tamẽ iustitiam Christi nobis imputatam, & insuper contendit iustificationem consistere nedum in imputatione iustitiæ Christi, sed in remissione peccatorum, quæ non tolluntur reuerà intrinsecè, sed extrinsecè teguntur per illam iustitiam imputatam. Bucerus denique in lib. concordiæ consentit esse aliquam iustificationem imperfectam, quæ in virtutibus inhærentibus consistit, sed aliam perfectam dicit esse necessariam, quæ non est nisi iustitia Christi nobis imputata. Hæ sunt Nouatorum opiniones hæreticæ.

I. Concl. Causa formalis iustificationis nostræ, seu iustificatio nostra non fit per iustitiæ Christi imputationem; hæc est de fide definita in Trid. sess. 6. can. 11. *Si quis dixerit homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spirit. S. diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratia, qua iustificamur esse tantum fauorem Dei, anathema sit.* Et infra. *Vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ &c.*

Prob. ratione. In rebus fidei nihil ex propria mente fingendum, sed tantum ea sunt credenda, quæ habentur ex S. Scrip. ex Concil. ex Patribus, & ex traditionibus; sed nullus ex omnibus ijs afferri potest locus, qui dicat iustitiam Christi nobis imputari, aut nos per iustitiam eius effi-

ci

ci iustos; ergo gratis hcc sibi fingunt Caluinistæ, & Lutherani. Prob. 2. Christus iustificando peccatores restituit eis quod in Adam perdiderant: sed in Adam non perdidimus iustitiam imputatam sed veram iustitiam inhęrentem: ergo talis iustititia reparatur in iustificatione. Prob. 3. Si iustificaremur per eandem iustitiam numero, quæ in Christo est, censeremur æqualiter iusti, ac ipsemet Christus, qui est fons, & origo omnis iustificationis; sed hoc nullus sanæ mentis dicere audebit ergo &c.

II. Concl. In iustificatione peccata non teguntur, sed verè delentur, & tolluntur. Hæc pariter est de fide contra recensitos hæreticos definita in Concl. Trid. sess. 6. can. 5. & sess. 6. c. 7. can. 11. & sess. 5. can. 5. ubi sic dogmatizzat. *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, qua in baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, sed illud dici tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Habetur eadem veritas expressè in S. Scrip. & signanter Zacchar. 3. *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam,* Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata &c*

Prob. ratione. Si peccata remanerent in homine iustificato sequeretur, quod iudicium Dei non esset secundùm veritatem, quod indicat Apost. ad Rom. 2. Quomodo enim homo reuerà iniustus, iustus à Deo iudicaretur non imputando illi peccata, quę reuerà haberet? Planè hoc iudicium non esset secundùm veritatem, quia non iudicaret rem sicuti est in se: Immò, quod est verè culpa, censeret non esse culpam, ac proindè hominem peccato, & sordibus plenum pronunciaret, ac declararet iustum, & Sanctum, quod est manifestum absurdum. Si respondeant Caluinistæ Deum imputare quidem ad culpam peccatum hominis iustificati, quia verè culpa in illo remanet; non imputare tamen ad pœnam, ex pura misericordia, idem absurdum sequitur, quia Deus nequit sine iniustitia non punire quod iudicat esse dignum pœna.

Arg. cont. 1. concl. In Psal. 31. *Beati dicuntur, quorum tecta sunt peccata*, ergò in iustificatione impij, peccata non tolluntur, sed teguntur. Item in eodem Psal. habetur *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*, sed non imputare, non est tollere, ergo iustificatio peccatoris, nil aliud est,

quàm non imputatio peccati, quod eſt idem ac tegere peccatum. Reſp. Hæreticos in prauum ſenſum detorquere S. Scrip. quæ pluribi docet deletionem, ac deſtructionem iniquitatis; quarè attendere debent hæretici, quod ipſa Scrip. dicit. *Beati, quorum remiſsa ſunt iniquitates.* Vnde peccati tectio non eſt tegere phyſicè aliquod vulnus, ſeu maculam, ſed eſt vera curatio, & abolitio, & tam perfecta, ut nec remaneat illius veſtigium; quo ſenſu Patres prædictos textus interpretantur.

Arg. cont. 2. Concl. auct. D. Pauli 1. ad Corint. c. 1. ubi ait. *Chriſtus factus eſt nobis Sapientia, & Iuſtitia, & Sanctificatio, & redemptio*, ergo nos iuſtficamur per imputationem iuſtitiæ Chriſti, & non per aliquam formam Animæ inhærentem, qualis eſt gratia. Reſp. Apoſt. loqui in ſenſu cauſali, non autem formali.

Cont: Arg. 2. in Pſal 142. dicitur: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Ergò noſtra iuſtificatio eſt iuſtitia Chriſti.

Reſp. Dauid non voluiſſe negare, recitatis verbis, nullum iuſtificari in conſpectu Dei, cum in Pſal. 17. dixiſſet, *Retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam &c quia cuſtodiui vias Domini &c & ero immaculatus cum eo*; Itaque huiuſmodi loquendi modo, vult ſignificare, quod non iuſtificabitur quis in conſpectu Dei, ſiuè, quia iuſtitia iuſtorum vera quidem eſt, ſed non ab ipſis eſt, cum ſit donum Dei, ut Aug. expendit, ſiuè quia non eſt pura omninò, cum culpis quotidianis, venialibus tamen admiſceatur; ſiue quia, etſi pura foret, comparatione infinitæ iuſtitię Diuinæ nulla videtur; Vnde dicebat Iob. c. 4. *Numquid homo comparatione Dei iuſtificabitur?* & c. 9. *Non iuſtificabitur homo compoſitus Deo*; ideſt comparatus Deo, & c. 19. *Si habuero quidpiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor.*

Arg. 3. In Iſaia c. 64. habetur. *Facti ſumus vti immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ*: ſed huiuſmodi verba indicant maculas, & ſordes in nobis iuſtificatis, ergo iuſtificamur per imputationem iuſtitiæ Chriſti, & peccata tecta remanent, & non tolluntur.

Reſp. Prophetam loqui in perſona populi impij, de quo ſubdit, non eſt, ideſt vix eſt, qui innocet nomen tuum, quod tamen Iſaias ipſe, indubiè inuocabat, velut iuſtifica-

catus, & iustus, ut glossant D. Hieron. & noster Adam Sabaot, & alij.

Arg. ultimò ab hæreticis. In Sac. Scrip. iustificare, idem est, ac declarare iustum, ut patet per ea, quæ scribit Paulus ad Rom. c. 5. opponendo iustificationem condemnationi sic: Sicut per unius delictum, omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam omnes homines in iustificationem vitæ, sed condemnatio est declaratio peccati, ergo iustificatio est declaratio iustitiæ, ergo quando Deus dicitur iustificare homines, est idem ac dicere illos declarare iustos per iustitiam Christi, quæ illis imputatur, ac proinde non est illos per aliquam formam inhærentem iustos efficere, & peccata tollere.

Resp. Estò aliquando maior propositio vera sit de aliquo loco S. Scrip. non tamen semper iustificatio sumitur pro declaratione iustitiæ, ut liquidò patet, ex loc. cit. ubi Apost. docet. Sic nos constituit iustos per obedientiam Christi, sicut constituti sumus per inobedientiam Adami, sed per Adamum amisimus iustitiam inhærentem, ergo per Christum in iustificatione, recuperamus iustitiam intrinsecam, hoc est gratiam Animæ inhærentem.

QVÆSTIO IV.

Vtrum non solum gratia habitualis, sed etiam actus contritionis, seu dilectionis, sit forma iustificans.

NOt. 1. Quòd à Trid. definitum est, in sess. 6. hominem iustificari per habitualis gratiæ infusionem; idque docuit & Scot. in 1. d. 17. q. 1. Dubium tamen est, an effectus iustificationis formalis sit ita proprius gratiæ habitualis, ut de facto nunquam fiat hominis iustificatio, nisi per gratiam, nec aliter evenire possit, etiam per potentiam Dei absolutam. Et quidem dubitatio est de perfecta contritione, & dilectione Dei super omnia; an videlicet, propter excellentiam intrinsecam talis actus vim habeat iustificandi, non tantum per modum dispositionis, ut de facto se habet, & à Theologis docetur, sed etiam per modum causæ formalis, adeout, sine infusione gratiæ posset iustificare hominem.

Not. 2. Quòd circa hanc quæstionem, ut supra explicatam sunt tres opiniones. Prima, quæ est valde communis, denegat hanc vim actui contritionis, & dilectionis Dei, non solum de facto, sed etiam de possibili, ita Suarez, Valentia, Sot. Bellarmin. Vega, Caspensis, & alij Recentiores. 2. ex diametro opposita primæ, concedit actui contritionis, & dilectionis, hanc vim iustificandi, & de possibili, & de facto. Ita Vasquez disp. 203. Meratius tract. de gratia. Hurtad. tract. de pœnit. Turrian. opus. 6. disp. 4. & nonnulli alij; quæ quidem opinio, inquit Vasquez eius Auctor, non est contra Ecclesiæ definitionem, quam, ait, definisse solum contra sectarios, fieri iustificationem per formam inhærentem, non per imputationem; an verò hæc forma sit actus, vel habitus, Ecclesia non definiuit. 3. opinio, est Scoti in 1. dist. 17. q. 1. Scotistarum, & Thomistarum, qui docent actum perfectæ contritionis, & dilectionis Dei super omnia de facto non iustificare formaliter, sed tantum dispositiuè, quatenus sunt dispositiones proximæ ad iustificationem, ut definit Trid. sess. 6. c. 6. Cæterùm de possibili, posse esse causam formalem nostræ iustificationis: sit igitur secundum nostram sententiam.

Concl. Actus perfectæ contritionis, vel dilectionis Dei super omnia non habent vim iustificandi formaliter de facto, bene tamen de possibili. Hæc quoad 1. part. est Scoti, & D. Thomæ; à qua non est recedendum, ut ait noster Herincx, sed omninò asserenda. Prob. 1. ex Trid. cuius veritati, & doctrinæ sententia opposita minus videtur consona, ait Gonet. in suo Comp. Theolog. Concilium sess. 6. c. 7. docet, unicam esse causam formalem nostræ iustificationis, nempè iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed quæ nos iustos facit. Quòd verò hæc iustitia, ex eius mente sit solum gratia habitualis, non verò aliquis actus, patet ex initio eiusdem capitis, ubi dicit hanc iustificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum; Item sess. 14. c. 4. ait, contritionis motum præparare ad remissionem peccatorum, si coniunctus sit cum fiducia diuinæ misericordiæ, sed quod disponit ad remissionem peccatorum, non est ipsa forma iustificans, cum inter formam, & dispositionem reperiatur aliqua causalitas, & dependentia, ac proinde realis distinctio, ergo ex Trid. actus contri-

tritionis, non est causa formalis iustificationis. Confirm. Causa formalis iustificationis, non impetrat veniam, & remissionem peccatorum, sed illam formaliter causat, at contritionis actus, seu dilectionis non causat formaliter veniam, & remissionem peccatorum, sed eam solum impetrat, ut patet ex Trid. ibidem dicente; *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius*. ergo idem quod priùs.

Resp. Turrianus, cum Vasquez sensum Concilij esse, hominem non iustificari per aliquod inhærens simul, & per imputationem Dei extrinsecam, uti dicebant Canonici Colonienses, & ex hæreticis Bucerus, & Kemnitius. Verum, etsi Trid. hunc quoque sensum intendat, tamen ibidem pronunciauit in eo sensu hoc dogma, videlicet, vnicam esse causam formalem nostræ iustificationis, ut dici non posset, unum hominem per unam formam iustificari, & alium per aliam diuersæ rationis, quia forma iustificationis debet esse una, & eadem in omnibus iustis, quare cum paruuli iustificentur per baptismum, absque ullo suo actu, & adulti accedentes ad Sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione, per solam gratiam habitualem, tanquam per formam iustificentur, consequens est, ut & alij iusti eadem gratia habituali iustificentur. Quamuis, ergo concedatur præcipuum Concilij intentum eo loco fuisse, hæreticorum errores refutare, attamen hunc quoque alium sensum intendit, neque enim nouum est, Concilia interdum in confutando uno errore, aliud dogma statuere, ut est in proposito. Prob. ultimo, ratione Scoti in 1. dist. 17. quam Cardinalis de Lugo æstimat à priori sic. Status Sanctitatis, & iustitiæ est status firmus, & habitualiter perseuerans, ergo prouenire debet ab aliqua forma habituali perseuerante, sed actus contritionis ex sui natura est facilè transiens, ergo actus contritionis nequit dare statum iustitiæ habitualis, & permanentis.

Prob. 2. pars. In nostra sententia, ut infra ostendetur, potest Deus de potentia absoluta remittere peccatum mortale, absque infusione habitualis gratiæ per solam extrinsecam condonationem, ergo tanto magis id à Deo fieri poterit mediante actu contritionis, & dilectionis perfectæ Dei.

Arg.

Arg. cont. 1. part. concl. 1. auct. S. Scrip. quæ in Prouerb. cap. 10. habet. *Vniuersa delicta operit charitas*, & in 1. Epist. D. Petri c. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*; ergo &c.

Resp. ad auctoritates adductas, & consimiles, intelligendas esse de dilectione, & charitate habituali. Neque dicat Vasquez de charitate habituali explicari non posse, sicut nec eodem modo explicandæ sunt auctoritates SS. Patrum, & signanter D. Aug. ut minus rectè ait Vasquez, nunquam de charitate habituali est loquutus. Planè falsum est, nunquam D. Aug. loquutum fuisse de charitate habituali, nam, ut Scotus ipse in 1. d. 17. q. 1. obseruauit in argumento ad oppositum de charitate habituali D. Aug. expressè in lib. de moribus Ecclesiæ c. 4. sermonem fecit de charitate habituali, super illud ad Roman. Quis nos separabit à charitate Christi. *Charitas hæc, dicta est virtus qua animi nostri rectissima est affectio*. Resp. 2 quod si aliqua testimonia S. Scrip. vel Patrum, loquuntur de ipso actu dilectionis, & contritionis, non sunt intelligenda formaliter, sed dispositiuè tantum, ut supra dictum est.

Arg. ratione ab eodem Vasquez. Contritio, & dilectio Dei est perfectissimus actus, quem creatura cum auxilio Dei elicere potest, ergo est forma ex sui natura sanctificans, & à peccato emundans. Resp. neg. conf. & ratio est, quia, licet actus charitatis sit omnibus perfectior in genere perfectionis actualis; attamen de facto attingere nequit perfectionem gratiæ habitualis; hæc enim sola præstat dignitatem amicitiæ Dei, ac Diuini amoris, & ipsa sola est ratio acceptandi, tam naturam, quam actum, ut docet Scot. loc. cit.

Arg. 1. cont. 2 part. Actus dilectionis Dei, & contritionis, de facto non est dispositio ad iustificationem impij, ergo nec de potentia Dei absoluta potest esse forma ipsius iustificationis. Prob. conf. quia dispositio, etiam de potentia absoluta, nequit esse forma respectu illius effectus, cuius est dispositio, ut patet de calore ut octo, qui ut dispositio ad expellendam formam aquæ nequit esse forma, vel causa formalis talis expulsionis, sicut nequit esse forma substantialis, ergo &c. Resp. neg. conf. ad cuius probationem dist. ant. dispositio, quæ ex sui natura est talis, ut calor, ut octo adductus pro exemplo, conc. ant. dispositio,

quæ non habet ex sui natura, saltem completè nequit esse, per absolutam Dei potentiam, forma respectu illius effectus, cuius est dispositio, neg. ant. Siquidem contritio, seu etiam dilectio Dei, ex sui natura intrinseca, seclusa Diuina ordinatione, non est dispositio necessitans ad formam, ac proinde ipsamet dispositio, per absolutam Dei potentiam, potest esse velut forma iustificationis, non quidem per modum permanentiæ physicę in Anima, bene tamen per modum permanentiæ moralis.

QVÆSTIO V.

Vtrum Deus de potentia absoluta possit iustificare peccatorem absque infusione gratiæ; aut physica mutatione peccatoris.

NOt. 1. Quòd iustificatio perfecta peccatoris, inuoluit. Primo remissionem peccati mortalis: 2. restitutionem diuinæ amicitiæ: 3. recuperationem filiationis adoptiuæ Dei, & consequenter iuris ad hæreditatem æternam. Quæ omnia iuxta supernaturalem Dei prouidentiam, seu dispositionem perficiuntur renouatione interioris hominis, per infusionem gratiæ, ad quam homo adultus se disponit per actus fidei pœnitentiæ &c. ut ex Trid. diximus supra.

Not. 2. Quòd circa hanc 1. part. quæst. sunt tres opiniones, duæ extremæ, & una media. Prima docet, non posse remitti peccatum mortale sine gratia, seu sine aliqua forma sanctificante intrinseca, & inhærente, ita Thomistæ p. 2. q. 113. art. 7. & plures recentiores neutrales: 2. opinio arbitratur, Deum de sua potentia absoluta, posse peccata remittere, non solum sine gratia habituali, sed etiam, sine quacunque alia forma, & entitate, aut mutatione physica peccatoris, vel restituendo illum ad statum puræ naturæ sine aliqua iustitia, vel sanctitate, vel etiam aliquo alio modo illum iustificando, ita Alens. D. Bon. Scot. cum suis, & Ocham cum Nominalibus: 3. denique opinio media asserit in pura natura peccatum potuisse deleri absque forma sanctificante, in natura autem eleuata ad finem supernaturalem, non posse remitti sine forma sancti-

fican-

ficante, ita Bellarmin. Zumel, Martin. Gonet, quorum ſententiam probabilem exiſtimant Vaſquez, Turrianus, & alij recentiores.

I. Concl. Omne peccatum, ſiue perſonale, ſiue originale non ſolum in pura natura, ſed etiam in natura iam eleuata ad finem ſupernaturalem, poſſet à Deo ex vi alterius prouidentiæ ab ea, quæ nunc eſt, remitti abſque infuſione formæ ſanctificantis, & abſque ulla forma intrinſeca. Eſt Scoti, & Doctorum ſecundæ ſententiæ. Prob. Scotus ſic. In humanis verè remitti poteſt iniuria illata, per puram illius condonationem, abſque collatione alicuius doni intrinſeci, ut conſtat ex terminis, ergò idem poterit Deus præſtare reſpectu iniuriæ ſibi illatæ, conſ. prob. nam Deus poteſt efficere omne id, quod non dicit contradictionem, ſeu imperfectionem, ſed nulla contradictio, ſeu imperfectio in propoſito apparet; ergo &c.

Prob. 2. quidquid Deus concedit ad petitionem creaturæ, poteſt etiam concedere pro ſua libertate, abſque ulla præuia petitione, ſed ſic eſt, quòd ſolus Deus, de facto aufert, & remittit habituale peccatum, eſto ad petitionem, vel exigentiam creaturæ, ideſt gratiæ, & contritionis, ergo poteſt de potentia abſoluta remittere peccatum mortale ex ſua ſola voluntate, per ſolam extrinſecam condonationem abſque præuia petitione.

II. Concl. Deus poteſt remittere peccatum mortale de abſoluta potentia, abſque phyſica mutatione peccatoris. Hæc eſt Scoti in 4. d. 14. q. 1. §. ex his contra Thomiſtas, & quoſdam alios; procedit tamen Concluſio de adultis, nam de paruulis loquendo, certum eſt de facto iuſtificari per gratiam, in Baptiſmo eis collatam, ſine motu voluntatis eorum. Prob. 1. ratione Scoti, deſumpta ex humanis, qua etiam utitur Lugo diſp. 7. de pœnit. ſect. 8. Homo offenſus poteſt remittere offenſam ſibi irrogatam abſque eo, quod offendentem pœniteat facti, aut illud retractet, ergo multo magis id poteſt facere Deus, qui eſt infinitè miſericors, ſed ſic eſt, quod remiſſa offenſa, remittitur peccatum, ergo &c. Prob. 2. licèt peccatum ſit voluntariè à peccatore commiſſum, non repugnat remitti abſque illius voluntate; dummodo voluntas eius actu non peccet; ergo poteſt expelli peccatum per ſolam gratiæ habitualis infuſionem.

Ant.

Ant. prob. dupliciter; 1. quia commissio peccati, pendet per se à libera peccatoris voluntate, eius autem remissio est opus Dei, ergo à Deo tantùm dependet, peccatum remitti, vel non. Deinde, eo ipso, quod homo cessat ab actu peccandi, status peccati, seu habituale peccatum iam non est ei ampliùs voluntarium actualiter, ut patet, nec virtualiter, quia virtuale voluntarium, non est sine aliquo voluntario actuali, in quo illud contineatur, neque est voluntarium interpretatiuè, quia sic dicitur voluntarium, cum quis potest, & tenetur illud facere, & non facit, quæ ad rem nostram non pertinent, ergo ad summum non est voluntarium, nisi causaliter, & quodam morali modo; quo sensu voluntaria dici solent votum, matrimonium, & alij contractus humani iam facti, ac proinde Deus potest de potentia absoluta remittere peccatum mortale, absque ulla mutatione physica voluntatis peccatoris; quod clarè patet de dormiente, cui Deus posset dare gratiam sanctificantem, absque ullo actu peccatoris.

III. Concl. De potentia absoluta potest recuperari filiatio adoptiua, & ius ad hæreditatem æternam absque gratia interna, aut physica mutatione peccatoris; ita communiter Doctores, & signanter Herincx disp. 4 de iustificatione q.7. Prob. Ex natura rei, ut constat, in humanis fieri potest adoptio, per solam adoptantis voluntatem, etsi adoptato nihil intrinsece conferatur, ergo à fortiori potest Deus eligere aliquem in filium, cui conferat hæreditatem æternam, absque gratia interna, aut physica mutatione peccatoris. Confirmatur, nam posset Deus constituere aliquem Regem absque eo, quod illi conferret aliquod donum internum, ergo cur similiter non poterit constituere hæredes, & Reges Regni cœlestis.

IV. Concl. Potest etiam Deus de potentia absoluta, peccatorem sibi habere amicum absque gratia interna, non tamen amicitia ex utraq; parte completa. Prima pars patet ex dictis, eò quod, si potest Deus peccatori remittere peccatum, & eundem adoptare in filium, ut supra dicebamus, nulla ratio apparet, quin similiter possit in eo, tanquam filio sibi complacere, & sibi gratum habere. Prob. 2. pars, ex Arist. 8. Eth. c. 2. & 9. Ad completam utrimque amicitiam communiter requiritur amor beneuolentiæ recipro-

cus, fundatus in reciproca bonorum communicatione, & notus utrique amicorum, sed hæc fieri non possunt absque physica mutatione peccatoris, & præsertim absque amore, seu dilectione ipsius erga Deum: ergo &c.

Cæterùm huiusmodi amicitia non semper requiritur in ordine ad perfectam iustificationem, quæ defacto fit, cum in carentibus usu rationis non sit amor actualis, nec reciproca Dei dilectio sit ipsis nota: immo & ipsi adulti cum Sacramento iustificari possunt, absque eo quod actum amoris beneuolentiæ eliciant; ut Deo dante dicetur in tract. Sacramenti pœnitentiæ.

Arg. cont. 1. concl. Iustificatio ex Trid. est translatio à statu peccati ad statum gratiæ; ergo iustificatio impij, fieri nequit absque infusione gratiæ: conf. est euidens, quia deducitur ex rei diffinitione. Resp. Trid. diffinire iustificationem, prout defacto fit, non verò de possibili, de qua nunc agitur.

Arg. 2. nequit assignari obiectum D. voluntatis in iustificatione facta absque infusione gratiæ ergo, nec de possibili haberi potest iustificatio, absq; gratiæ infusione. Prob. ant. Etenim in nostra sententia non potest esse carentia gratiæ, cum ex hypotesi, gratia non infundatur, vel restituatur; neque potest esse actus ipse præsens, ut sic, quia iste tolli non potest, neque negatio condignæ satisfactionis, quia ista à peccatore satisfaciente tolleretur, si tolli posset, & ab eo æqualiter satisfieri, ergo remanet tollenda solum negatio ipsa Diuinæ condonationis, ac proinde Deus intantum remittit peccatum, in quantum à peccatore tollit condonationis negationem; hæc autem non tollitur, nisi per condonationem ipsam, & consequenter voluntas, quam Deus habet condonandi peccatum, directè habebit pro suo obiecto formali, ipsam condonationem.

Resp. breuiter neg. ant. ad prob. satis prolixam dicimus, quod in nostra sententia, cum peccatum consistat in condignitate ad pœnam, vel in reatu ex peccato præterito, in peccatore relicto, quod idem est ac permanentia moralis peccati transacti, obiectum D. voluntatis est illa condignitas, vel reatus peccati habitualis, quod erat obiectum odij rationabilis Dei, ut patet etiam in humanis.

Arg. 1. cont. 2. concl. Peccatum pendet adequatè à so-

la

la hominis voluntate; ergo nequit tolli à Deo, abſque aliqua mutatione phyſica peccatoris. Reſp. diſt. ant. Peccatum pendet adequatè &c. in fieri conc. in condonari nego, imo condonatio à ſolo Deo dependet, etſi de lege ordinaria requiratur diſpoſitio peccatoris adulti, non verò paruuli, cui condonatur peccatum originale abſque ulla prorſus mutatione &c.

Contra. Carentia retractationis peccati habitualis eſt de eſſentia ipſius, adeout nequeat tolli, niſi ex parte peccatoris ponatur actus retractationis; ergo Deus nequit de potentia abſoluta peccatum condonare abſque mutatione peccatoris: ant. patet, quia peccatum habituale non manet in ratione voluntarij, niſi quatenus non rectactatur, nam poſt retractationem iam non eſt voluntarium, ſed inuoluntarium. Reſp. neg. aſſumptum; etenim peccatum, etiam poſita retractatione, adhuc manet in ea ratione voluntarij, quæ eſt de ratione peccati habitualis, ut patet de peccatore non habente actum perfectum, ſed imperfectum contritionis, in quo ſimul manent peccatum, & retractatio, ideſt actus contritionis imperfectæ.

Contra. Si Peccatum, abſque retractatione poſſet tolli, ergo poſſet Deus condonare peccatum eodem inſtanti, quo comittitur ſed hoc dicit repugnantiam ergo &c. Reſp. neg. ſequelam mai. Quia peccatum, eo ipſo, quo condonatur, tollitur, & deſtruitur; Peccatum autem, eodem iuſtanti, quo fit, tolli nequit quia tunc eſſet peccatum, & non eſſet; non eſſet quia à Deo tolleretur, ut ſupponitur, eſſet, quia voluntas actu peccaret.

QVÆSTIO VI.

Vtrum gratia, & peccatum, de potentia Dei abſoluta poſſint eſſe ſimul.

NOt. Quòd circa hanc quæſt. verſantur duæ ſententiæ una affirmatiua, altera negatiua. Negatiuam tenent Thomiſtæ, & quam plures Neoterici, hac præcipua ratione ducti, eo quia, ſi gratia, & peccatum poſſent eſſe ſimul, ſequeretur, quod quis eſſet iuſtus, & iniuſtus, peccator, & Sanctus, Amicus Dei, & inimicus, quæ omnia

aper-

apertè repugnant. Affirmatiuam sententiam docent D. Bonau. Scot. in 2. d. 28. v5. q. 1. in 4. d. 1. q. 1. & alibi, & omnes Scotistæ, nec non Ocham cum suis Nominalibus, & alijs, qui sentiunt, iustificationem non esse effectum physicum gratiæ, sed moralem tantum, & ex ordinatione Diuina. Sit igitur.

Concl. Gratia, & peccatum mortale, de potentia Dei absoluta possunt esse simul in eodem subiecto. Prob. breuiter, quia in superioribus quæstionibus, plura de hac quæstione tacta fuerunt. Nulla est repugnantia, ergo à Deo fieri potest, ut gratia, & peccatum sint simul. Prob. ant. si esset aliqua repugnantia, hæc maximè ratione oppositionis, quæ est inter gratiam, & peccatum, sed hæc oppositio non est physica, & ex natura rei, ut aliàs dictum fuit, sed moralis, & ex Diuina ordinatione ergo &c.

Prob. min. Si gratia, & peccatum opponerentur ex natura rei, reduceretur talis oppositio ad aliquod, ex illis quatuor generibus oppositionibus; at hoc non apparet, non enim opponuntur relatiuè, ut patet, neque contradictoriè, ut affirmatio, & negatiò; peccatum namque non est pura negatio cum sit in subiecto capaci gratiæ. Neq; contrariè, quia hæc oppositio est inter formas positiuas, peccatum autem non est quid positiuum physicum, etsi gratia sit forma positiua; nec tandem priuatiuè, ut opinantur Thomistæ. Nam peccatum actuale, consistit in priuatione actuali honestatis debitæ inesse actui, non in priuatione gratiæ; habituale vero in reatu, vel iuxta communem sententiam in permanentia morali eiusdem actus, non dum retractati, & condonati. Quod si aliquo modo inuoluit priuationem habitus gratiæ materialiter, & concomitanter, hoc verum est de facto, & regulariter iuxta leges iam statutas, non autem absolutè, & ex natura rei, ergo absolutè, & simpliciter, nec priuatiuè opponitur, ac proinde nulla est repugnantia, quæ impedire possit D. potentiam, quin gratia, & peccatum stent simul &c.

Arg cont. concl. Gratia, ut gratia excludit necessariò peccatum, ergo gratia, & peccatum nequeunt simul consistere. Resp. dist. ant. Gratia, ut gratia, idest quatenus est forma sanctificans, & ex Diuina ordinatione reddit habentem Deo, gratum, conc. gratia, ut qualitas, seu in gene-

nere cntis neg. ant. in hoc igitur sensu dicimus, gratiam stare posse per Diuinam potentiam cum peccato. Neque talis gratiæ distinctio est à Scotistis solis conficta; cum insignes Theologi, ut adnotauit Mastrius, præfatam distinctionem recipiant.

Arg. 2. Implicat, aliquem esse simul iustum, & iniustum, Deo gratum; & exosum, dignum gloria, & simul indignum, immò æternæ damnationi addictus, sed homo per gratiam sanctificantem ita se haberet, si consisteret cum gratia peccatum mortale: ergo &c. Resp. conc. mai. & dist. min. de potentia ordinaria, conc. de potentia absoluta, neg. In tali enim casu, homo haberet solum gratiam in genere qualitatis, non verò quoad alios effectus, quos non possidet gratia, ex natura rei, sed ex Diuina ordinatione. Adde, quod esse gratum, & exosum Deo, & idem dicendum de cæteris, non sunt effectus contradictorij, sed tantum contrarij, prouenientes ex diuersis fundamentis, ac proinde, non implicat esse simul; quemadmodum non implicat, quod filius Regis iure primogenituræ dignus sit corona, & Regno, & indignus ijs sit propter scelera, & propter coniurationem in ipsum Patrem.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Contritio perfecta peccatoris, procedat effectiuè ab habitu gratiæ, seu charitatis.

NOt. 1. quod duplex est dispositio ad gratiam sanctificantem, alia proxima, alia remota; Ad proximam dispositionem pertinent actus illi, quibus in eodem istanti temporis est annexa gratia habitualis, seu infusio ipsius, & sunt contritio perfecta & dilectio Dei super omnia; Ad remotam autem spectant illi actus, qui gratiam præcedunt; Quarè hic non agitatur quæstio de remotis, quæ cum tempore gratiæ existentiam præcedant, ab ipsa procedere nequeunt, sed de proximis, nempe de dilectione Dei super omnia, & de contritione perfecta, quæ ex Trid. sunt ultima dispositio, quam infallibiliter sequitur infusio gratiæ, & iustificatio, ut etiam definiuit Greg. XIII. & Pius V. contra Michaelem Baium.

Not. 2. quod apud omnes Theologos pro certo habetur, tam dilectionem, quam contritionem effectiuè procedere ab auxilio speciali supernaturali, ut aliàs ostensum est contra Pelag. difficultas tamen est, an contritio, & dilectio procedant efficienter, etiam à gratia habituali, circa quam difficultatem sunt duæ opiniones. Prima est Thomistarum, & nonnullorum Neutericorum, & signanter Valentiæ, & Vasquez putantium, actum charitatis, qui est ultima dispositio ad gratiam habitualem, procedere ab habitu charitatis, & consequenter à gratia immediatè, si hæc à charitate non distinguatur, & immediatè si sint duo habitus inter se distincti. Quam quidem sententiam, Gonet. ex communi doctrina Thomistarum sic declarat. Gratia habitualis, quæ in iustificatione infunditur, potest considerari duobus modis, secundum quos duo munia exercet. Primò, ut est in fieri, seu infundi, & prout se tenet ex parte Dei illam communicantis: 2. ut est infusa, & in facto esse, & quatenùs se tenet, ex parte hominis illam accipientis. Primo modo gerit vices auxilij mouentis: 2. habet rationem habitus, & formæ permanentis, atque dantis esse diuinum participatiuè, esse gratum Deo, & obiectum congruum dilectioni eius, & quia primum munus est propter secundum, priùs exercet primum, quam secundum ordine executionis; Quarè priùs prioritate à quò comunicatur Animæ in ratione auxilij mouentis, quàm in ratione habitus, & formæ sanctificantis, ut communicata priùs in ratione auxilij disponat per actus contritionis, & charitatis, ad sui conaturalem receptionem, in ratione habitus. Hactenus Gonet. cui infrà satisfiet: 2. opinio est Scot. Alens. D. Bonau. Richard. Suarez, Coninch, eamque sequuntur ferè omnes Recentiores, immò & quidam Thomistæ, ut Io. à S. Thoma, Hacquetus eandem sententiam de mente D. Thomæ defendunt, & nouissimè Contesonus pariter Thomista, sit igitur.

Concl. Neque contritio perfecta, neque dilectio Dei super omnia; cum sint dispositio ultima, & proxima ad gratiam habitualem recipiendum, effectiuè procedere possunt ab ipsa gratia sanctificante. Est Scoti expressa sententia in 4. d. 14. q. 2. estque conformis doctrinæ Trid. perspicuè docentis sess. 14. c. 4. contritionem fuisse quocunque tem-

pore necessariam, ad impetrandam peccatorum veniam, quod etiam antea docuerat sess. 6. c. 7. cum post descriptam dispositionem ad iustificationem necessariam subdit, hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & cap. 5. 6. & 7. dicit, hominem speciali Dei auxilio adiutum, se disponere ad susceptionem, & can. 3. definit, hominem per auxilium gratiæ posse se disponere, ut ei iustificationis gratia conferatur. Ex qua doctrina, euidenter deducitur contra Caiet. & Gonet, & alios Thomistas, Trid. distinguere auxilium, seu gratiam actualem à gratia habituali, ac proinde, siuè gratia consideretur ut in fieri, & quatenus homini à Deo communicatur; siuè consideretur in facto esse, nulla ratione potest producere ultimam, & proximam dispositionem, idest contritionem, & dilectionem perfectam, cum illas necessariò præsupponit. Prob. ratione. Gratia habitualis infunditur homini, quia est contritus, vel quia diligit Deum super omnia, ergo talis contritio nequit esse ab ipso habitu gratiæ, tanquam à principio eliciente talem actum: conf. patet, quia si contritio eliceretur ab habitu gratiæ esset vera hæc causalis; homini infunditur habitus, ut conteratur, sed hoc repugnat priori propositioni causali, ergo non potest admitti. Min. Prob. nam lumen gratiæ eo ipso, quod datur Animæ, ut videre possit, non potest illi infundi, quia videt, ergo nec gratia sanctificans datur homini, ut conteratur; cum repugnet priori causali, hoc est: Ideo homini gratia infunditur, quia est contritus, vel quia diligit Deum super omnia.

Prob. 2. Non potest concipi, quod aliquid sit dispositio, seu præparatio necessaria ad alterius productionem (qualis est contritio respectu productionis charitatis) nisi prius habeat esse; ergo contritio nequit à gratia habituali accipere esse, cum iam supponatur habere esse. Confirmatur, quia gratia habitualis nil potest efficere nisi sit, & Animæ priùs inhæreat, sed quando gratia inhæret, iam supponit contritionem præcessisse: ergo &c. Prob. etiam ratione physolophica. Generaliter dispositio, etiam ultima ad formam, non procedit ab ea effectiuè, sed ab agente cum præsupponatur formæ in genere causæ efficientis, ergo &c.

Arg. Gonet, cont. nostram concl. sic in suo Compendio

Theol. tract. 7. de gratia ∫. 6. De ratione actus vitalis est, quòd procedat à principio proximo vitæ, ut coniuncto principio radicali, sed actus contritionis, & charitatis sunt vitales vita spirituali; ergo procedunt ab habitibus charitatis, & pœnitentiæ, ut coniunctis gratiæ sanctificanti, quæ est principium radicale, vitæ spiritualis supernaturalis.

Resp. conc. mai. & dist. min. sunt vitales, vel à gratia actuali, vel habituali, conc. à gratia habituali semper, neg. min. Etenim in nostro proposito influxus gratiæ actualis se habet velut principium sufficiens ad eliciendum actum supernaturalem, ac proinde vitæ spiritualis &c.

Arg. 2. Non repugnat, causas esse sibi inuicem causas; ergo neque repugnat contritionem esse dispositionem ad gratiam, & gratiam esse per modum auxilij actualis causam ipsius contritionis. Resp. ant. esse verum tantum de causa efficiente, & finali; hæc enim tantum moraliter causat mouendo efficiens secundum suum esse præoptatum, ideoque in suo esse reali potest adhuc à causa efficienti physicè dependere.

Arg. afferendo exemplum aperitionis fenestræ, quo Thomistæ putant, satis ostendere causas posse esse sibi inuicem causas, etiam in genere formali, & materiali. Ventus ingrediens per fenestram illam aperit in genere causæ efficientis, ingressus venti est prior, & deinde sequitur aperitio fenestræ; e diuerso autem in genere causæ materialis, prior est aperitio fenestræ, & deinde sequitur ingressus venti, qui certè ingredi non posset, nisi priùs tolleretur impedimentum fenestræ clausæ: ergo à simili phylosophandum est de gratia &c. Resp, exemplum nec quidem à longè posse currere cum gratia, & eius dispositione; Siquidem ventus, qui ingreditur est causa illius aperitionis, non tamen, ut ingressus intra spatium, in quo erat fenestra, sed ut veniens usque ad contactum cum fenestra, sic per contactum impellit fenestram, ut relinquat locum. Itaque ventus, ut attingens cum vi fenestram, est causa aperitionis illius; hæc verò est causa prærequisita, ut ventus ulterius progrediatur ad partem spatij, in quo erat fenestra: Vnde hoc exemplum nimis materiale non est proportionatum ad explicandam causalitatem efficientis, & formalis, & materialis; sunt, & aliæ rationes, quæ, cum dependeant à Doctrina, quæ tradi-

ditur in physica agendo de causis, videri possunt signanter apud Mastr. disp. 5. Phys. q. 8. art. 1. & in lib. de generatione, & disp. 8. phys. & Cardinal. de Lugo de pœnitent. disp. 8. sect. 8. ubi latè examinat hoc exemplum, & alia in fauorem nostræ sententiæ, ideo &c.

Quæres 1. An infusio gratiæ, & remissio peccati sint duæ mutationes, vel una tantum.

Resp. ex Scot. in 4. dist. 16. q. 2. quod sunt duæ mutationes, quarum una est realis, & positiua, & hæc est transitus à priuatione gratiæ ad ipsam gratiam, altera negatiua, vel priuatiua rationis, & hęc est transitus à peccato ad negationem ipsius peccati; Quas mutationes clarè indicat Trident. sess. 6. c. 7. inquiens. Iustificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed & renouationem, etsi ab eodem Trid. c. 4. describantur per modum unius, docendo iustificationem esse translationem à statu peccati ad statum gratiæ; idque ratione connexionis necessariæ, quam inter se habent de facto.

Quæres 2. quomodo se habeant ad inuicem in iustificatione infusio gratiæ, & expulsio culpæ.

Resp. quod Scot. in 4. dist. 16. q. 2. mouens hoc dubium, in terminis de remissione peccati, & infusione gratiæ, quænam eorum sit prior, dicit, quod via generationis prior est expulsio culpæ, at via perfectionis prior est infusio gratię; Et subdit; Quod Deus, licet in iustificatione impij ordine intentionis prius velit homini gratiæ infusionem, quam culpæ remissionem; ordine tamen executionis, prius vult, illi non inesse culpam; quam inesse gratiam, & ita loquuntur Scotist. ibidem, ut aduertit Mastrius, præsertim Aretin. art. 4. Hiribames disp. 14. sect. 6. Faber de pœnitent. disp. 17. c. 3. Mastrij, circa præsens dubium. Quod hæc quæstio decidenda est, iuxta dicta in generali, de ordine introductionis nouæ formæ, & expulsionis antiquæ disp. 5. Phys. q. 3. art. 2. & disp. 5. de generatione, & corruptione, q. 4. licet enim gratia, & culpa non opponantur inter se formaliter, & ex natura rei, sed tantum moraliter; quoniam tamen hæc moralis oppositio equiualet repugnantiæ physicæ, & ex natura rei, eo quià, sicut illa, quæ physicè repugnant, sunt pro quolibet instanti incompossibilia, & in eodem subiecto repugnantia, ita repugnant tantum mora-

liter, stante præfixa lege,& inter se omninò repugnant;ideo pari proportione de repugnantia gratiæ, & culpæ discurrendum est, perindè ac si repugnarent ex natura rei.Quamuis enim peccatum actuale in priuatione consistat debitæ rectitudinis, habituale tamen quid positiuum morale importat, aut saltem per quid tale explicatur. Sicut ergo loc. cit. generatim dictum est, introductionem formæ nouæ esse natura priorem expulsione antiquæ, & illam causalem, esse absolutè veram, nempe, quia forma noua introducitur, ideo prior expellitur; Sic pariter in proposito dicimus infusionem gratię esse natura priorem expulsione peccati, & hanc causalem, esse absolutè veram. Quia gratia introducitur, ideo culpa expellitur. Hactenùs Mastrius, qui hanc resolutionem probat, tum auct. Concil. tum ratione phylophica dicendo, prius censetur causam formalem esse, quam effectum, sed remissio peccati comparatur ad gratiam, tanquam effectus formalis ad suam causam ex Trid. ergo &c. Tum Scoti doctrina, quam Doctor tradit in 2. d.37. q.un. & in 4. d.1. q.1. ita etiam sentit Herincx disp. 4. de iustificatione q.13. n.78.

Quæres 3. An unum peccatum mortale remitti possit sine alio. Resp. quod si loquamur de potentia ordinaria Dei nequit unum peccatum mortale sine altero remitti, idque est certissimum apud omnes Doctores, & fideles, & videtur definitum præsertim à Trid. sess. 6. ubi agit de iustificatione, & sess. 14. de pœnitentia. At si loquamur de potentia Dei absoluta, potest remitti unum peccatum sine alio, & maximè in nostra sententia. Ratio, quia Deus potest unum tantum debitum remittere, & non aliud; sic remittit etiam de potentia ordinaria unum peccatum veniale, alio non remisso, cur ergo de potentia absoluta non poterit remittere unum peccatum mortale, alio non remisso. Sicut enim gratia absolutè posset stare cum quolibet peccato mortali, ut supra ostensum est; ita à fortiori.

Quæres 4. An ad remissionem culpæ sequatur infallibiliter remissio pœnæ.

Resp. De facto quando remittitur culpa mortalis, infallibiliter simul remittitur pœna æterna; estque de fide definitum à SS. Concilijs, & signanter à Trid. sess. 6. c. 14. Verùm in iustificatione extra baptismum, & martyrium

non

non semper remittitur tota pœna, sed plerumque pœna æterna mutatur in temporalem, ut apertè definiuit Trid. loc. cit. & sess. 14. c. 2. & 8. & can. 12. Eandem veritatem vnanimi consensu docent SS. Patres, & Doctores Scholastici. Obseruandum tamen, pœnam, quæ relinquitur, non semper esse æqualem, tum quia congruebat, ut Deus non tantam pœnam exigeret ab eo, cui condonat plura, vel grauiora, sed cæteris paribus, iuxta mensuram delicti esset & plagarum modus. Tum quia feruens contritio, conducit ad remissionem maioris pœnæ temporalis, quàm minus perfecta, ut passim Doctores docent; imo hæc contritio posset esse tanta, ut ad totius pœnæ remissionem disponeret, quod Trid. supponit esse velut certum, dum sess. 6. c. 14. ait. Sed pro pœna temporali, quæ ut Sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum iustificatio impij, sit opus Dei miraculosum.

NOt. Quòd miraculum sic ex Scoti doctrina, & præsertim ex q. 2. Prologi describitur: Miraculum est opus à solo Deo secundum rem, vel secundum modum, excedens facultatem naturæ creatæ formaliter, vel dispositiuè, supra omnes leges, à Diuina prouidentia præfixas in utroque ordine, tam naturæ, quam gratiæ, ex qua descriptione deducitur, quod ad miraculum duo præcipuè requiruntur. Primum, ut sit opus insolitum, & extraordinarium, vel in effectu, vel in modo: 2. ut fieri nequeat per causas naturales, proprijs viribus agentes. Manifestum est autem, quod prima conditio iustificationi ordinariæ deest, cum hominis iustificatio fiat quotidiè per administrationem Sacramentorum, tanquam per media à Deo ordinata ad ipsam conferendam. Notanter dicitur ordinariè, quia contingit interdum, quosdam peccatores graues vocari, & iustificari modo insolito, & extraordinario, qualis fuit conuersio Magdalenæ, Latronis, & Pauli, de quibus in præsentiarum non agitur, sed de iustificatione ordinaria tantum.

Concl. Iustificatio impij, prout communiter fit, Deo hominem paulatim conuertente, aut per Sacramentum infantes iustificante, non est opus miraculosum. Est communis, & prob. Iustificatio impij fit iuxta consuetam prouidentiam Dei, iuxta leges præfixas, in ordine gratiæ à Deo institutas, ut sunt Sacramenta, & dispositiones ad iustificationem; ergo talis iustificatio non rectè dicitur miraculosa. Conf. patet, quia non diciturактio miraculosa, nisi illa, quæ ultra naturæ vires, fit à Deo præter solitum, & ordinatum agendi modum, propter quod admirationem causat iuxta D. Aug. lib. 26. contra Faustum c. 3. Ant. prob. quia Deus ex communi lege non denegat viatori impio auxilium sufficiens ad hoc, ut se disponat ad iustificationem; unde dicit: Ego sto ad hostium, & pulso.

Cæterum iustificatio potest esse miraculosa quoad modum, seu secundum quid, quandò videlicet Deus dat auxilium efficax gratiæ excitantis, & adiuuantis peccanti actualiter, ac ponenti positiuè obicem, ut fuit iustificatio Pauli, actu persequentis Christum, & Ecclesiam, tunc iustificatio esset miraculosa secundum modum, seu secundùm quid. Similiter si daretur auxilium efficax peccatori morti proximo, cui vix ordinarium sufficeret ob eius voluntatis prauitatem, & ob instantem mortem. Quare Scot. in 4. d. 22. q. 1. refert virum valde perfectum, postea profundissimè lapsum ob eius facinora morte damnatum, per subitam pœnitentiam sibi inspiratam fuisse à Deo visitatum.

Quæres 1. An iustificatio impij sit absolutè maximum Dei opus. Resp. ex sententia communi, quòd iustificatio impij non est opus Dei absolutè maximum, sed secundùm quid, & cum aliqua proportione. Ratio, quia in primis secundùm physicam perfectionem creatio Angelorum, & Homium, imò & generatio aliarum substantiarum eam excedit; iustificatio enim respicit tantùm accidens tanquam terminum, idest gratiam habitualem; loquendo autem de perfectione morali tanta est hominis, & Angeli creatio in iustitia, quanta est hominis lapsi reparatio: at maior est iustorum glorificatio, sicut etiam Verbi incarnatio.

Ratio 2. p. habetur ex doctrina tum SS. PP. tum Theol. unde D. Aug. tract. 72. In Ioan. ait: *Melius, & maius esse impium iustificare, quàm creare cœlum, & terram*. Hinc Ecclesia ca-

canit in Collecta Dominicæ X. post Pentecost. *Deus qui omnipotentiam tuam, parcendo maxime, & miserando manifestas &c.* Quia videlicet in opere iustificationis impij maximè relucet infinita Dei potentia, dum pro nutu suo voluntatem etiam rebellem infallibiliter, & efficaciter trahit, & quidem volente, & cooperante liberè etiam ipso impio; Ita discurrit Herincx in hac quæst. apud quem plura videri possunt, etiam latiùs apud Frassen t. 3. in tract. de gratia.

Quæres 2. Qualem certitudinem, possit homo habere de sua iustificatione. Resp. Quod alia est certitudo habita per fidem Diuinam, alia est certitudo habita per scientiam Theologicam, & denique alia est certitudo moralis, non enim est hic sermo de certitudine metaphysica &c.

Resp. Itaque primò. Quod hæretici Recentiores iactant posse, & debere quemlibet hominem fide diuina credere, se esse iustum coram Deo, & peccata sibi esse dimissa, seu non imputari. Sed contrarium de fide definiuit Trident. sess. 6. can. 9. & can. 13. & 14. Eandem veritatem docent omnes Scholastici, & SS. PP. & habetur expresè in S. Scrip. pluribus in locis. Ratio theologica est, quià nemo potest, vel tenetur credere, quod non est sufficienter reuelatum, quod quisque in particulari v. g. Lutherus, aut Caluinus sit iustus: ergo nemo id tenetur, nec potest credere, nisi fiat ei extraordinaria reuelatio, quæ rarissimè fit, ut unusquisque Sapiens, in se ipso experitur.

Prob. ad hominem cont. hæreticos. Fidei diuinæ non potest subesse falsum, sed falsum subesse potest fidei, qua hæretici credunt se esse iustos; nam id credunt, tam Caluinistæ, quam Lutherani, cum tamen se inuicem condemnent tanquàm iniustos: ergo non possunt credere fide Diuina se esse iustos, non enim est maior ratio, quare fide Diuina credant Caluinistæ, & non credant Lutherani, cum utrique iactent, fide Diuina credere se esse iustos.

Resp. 2. In hominibus iustis, potest esse certitudo quædam moralis, fundata in quibusdam conjecturis, desumptis ab experientia, & effectibus, eò quod in se experiantur desiderium vitandi peccata mortalia, diligentiam in cauendis venialibus, studium pietatis, desiderium cœlestium, fastidium terrenorum &c. Similiter homo post peccata commissa potest habere quandam moralem certitudinem,

ſe gratiam amiſſam recuperaſſe quia curauit facere confeſſiones, ut lex Diuina præſcribit, ſatiſfactiones præſtitit &c.

DISPVTATIO VII.

De reuiuiſcentia meritorum ſecundo effectu gratiæ habitualis.

QVÆSTIO I.

Vtrum opera meritoria per peccatum mortale mortificata in iuſtificatione reuiuiſcant.

NOt. 1. Quòd certum eſt apud catholicos, dari opera meritoria de condigno vitæ æternæ per peccatum mortale ſuperueniens ſolum mortificata, ac proinde nequeunt eſſe ſimpliciter mortua, nec ſimpliciter viua, idq; Scotus probat in 4. diſt. 22. q. 1. art. 2. auct. D. Aug. ſuper Epiſt. D. Pauli ad hebr. affirmantis bona opera per peccatum mortale mortificata in reſurgente à peccato per fructuoſam pœnitentiam ad ſtatum reconciliantis gratiæ reuiuiſcere; & in Decret. de pœnitentia diſt. 4. §. *Diuina Clementia dimiſſa peccata in vltionum deſtructionem redire non patitur, quomodo dignatur reuiuiſcere in ſe bona opera.*

Not. 2. Quòd opera, quæ facit homo reduci poſſunt ad quatuòr genera. Alia enim ſunt viua, quæ ex principio vitali, nempe gratia oriuntur; gratia enim, ſicut eſt principium vitę ſpiritualis Animæ, ita eſt principium vitalium operationum; Alia dicuntur mortua, quæ ex genere ſuo & principio obiectiuo ſunt quidem bona, ſed quia fiunt ab homine exiſtente in peccato mortali, ideoque omni principio vitali carent. Alia dicuntur mortifera, quæ videlicet priuant hominem gratia Dei, & mortem Animæ inferunt; Alia denique dicuntur opera mortificata, quæ licet ex ſe bona ſint, & condigna vitæ æternæ, ut potè elicita à gratia, & charitate, tamen per ſubſequens peccatum mortale dicuntur mortificata, quatenus impediuntur quoad actum ſecundum, ne habeant vim promouendi hominem ad vitam æternam. Addunt quidam opera media, hoc eſt, neque viua, neque mortua qualia ſunt attritio dilectio

Dei,

Dei, & huiusmodi elicita ab homine peccatore, excitato à gratia Dei ad iustificationem, sed meo videri talia opera potiori iure pertinere videntur, tanquam dispositiones iustificatonis ad opera viua, quia licet reuera non sint viua, sunt amen dispositiones proximæ ad vitam, ac proinde appellari possunt vitales dispositiones.

Concl. Opera meritoria per superueniens peccatum mortificata in iustificatione indubiè reuiuiscunt. Hæc est adeò certa, ut aliqui censeant esse de fide. Alij dicunt oppositum esse erroneum. Alij cum Suarez non posse absque temeritate negari. Prob. 1. auct. S. Scrip. & maximè ex illo Ezech. cap. 18. Vbi Deus vocat sic peccatores; *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*; Recordaretur autem Deus iniquitatum, & peccatori esset in ruinam, si propter illa priuaretur homo in æternum fructu meritorum præcedentium; ergo &c. & Ioel. c. 2. vbi Deus ait. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, rucus, & rubigo*, quem locum expendens S. Hieron. scribit. *Pœnitentia, est res optima, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum*. Prob. 2. auct. Trid. sess. 6. c. 16. ubi ait. *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siuè acceptam gratiam perpetuò conseruauerint siuè amissam recuperauerint proponenda sunt Apost. verba. Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino, non enim est iniustus Deus &c.* Quibus verbis, non obscurè indicat Trid. meritorum reuiuiscentiam. Prob. ratione, quæ est Scoti, D. Thomæ, & aliorum; Merita hominis iusti sunt digna vitæ æternæ, ergo etiam talia sunt, postquàm homo lapsus ad iustitiam redit; explicat Scotus à simili. Nàm sicut in humanis potest aliquis habere ius immobile ad certam rem, ad quam tamen pro tunc postulandam actione iuridica caret, ob aliquod impedimentum in Persona subortum; ita iustus benemeritus cadens à iustitia cadit quoque ab actione ad vitam æternam, & pro tunc, vel potius in ea impeditur, sed impedimento sublato per pœnitentiam, & gratiâ recuperatam idem ius, quod remanebat in actu primo, fit rursus expeditus quoad actum secundum.

Arg. 1. Eadem est forma viuificans hominem, & eius opera, sed forma iustificans per peccatum superueniens totaliter extinguitur, & homo relinquitur simpliciter mor-

mortuus, & non mortificatus; ergo & opera remanent mortua. Resp. dist. mai. Eadem forma viuificans hominem, & eius opera eodem modo neg. diuerso modo conc. Gratia namque viuificat Animam, & quoad actum primum, & quoad actum secundum; opera autem meritoria posita in esse, viuificantur solum in actu secundo, ideoque remanent meritoria quoad ius, seu quoad actum primum, esto secundus impediatur.

Arg. 2. In Epist. Iacobi habetur c. 2. *Qui deficit in vno, factus est omnium Reus*: Item Apostolus docet, quod *quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*: ergo &c. Resp. Scotus in 4. dist. 22. quod Iacobus intendit reuelare generalem damnationem ita incurri per unum peccatum, sicut per omnia extensiuè. Resp. 2. hominem lapsum fieri reum etiam bonorum operum negatiuè, per solam suspensionem actionis, inducentis possessionem vitæ æternæ, non vero positiuè.

Arg. 3. Sicut se habent bona opera in ordine ad vitam æternam; ita peccata ad mortem æternam, sed peccata, semel deleta in relapsu non redeunt, ergo nec opera meritoria. Resp. Scot. loc. cit. neg. paritatem, & ratio est, quià in remissione peccatorum ius Dei acquisitum per illa ad puniendum omnino extinguitur per iustam eorum punitionem, vel pœnitentialem retractationem; mala enim possunt puniri temporaliter, & sufficienter, si pęna æterna sit commutata in temporalem. At bona meritoria non possunt præmiari sufficienter per talem temporalem commutationem, cum adhuc retineant ius ad vitam æternam debitam ex pacto legali.

QVÆSTIO II.

Vtrum opera mortificata reuiuiscant in iustificatione, ex misericordia, vel ex iustitia.

NOt. Quòd in hac quæst. sunt tres opiniones; Prima est Alens. D. Bonau. Durandi, & aliorum asserentium opera meritoria reuiuiscere in iustificatione ex sola misericordia Dei: 2. ex diametro opposita primæ existimat, reuiuiscentiam meritorum esse opus merè iustitiæ, ac proinde

de reuiuiſcere merita ex natura rei, adeout nullo modo potuerit impediri à Deo eorum reuiuiſcentia; Quare ex ta Dei miſericordia eſt, quod homo pœniteat, vel iuſtificetur; ſuppoſita verò iuſtificatione, neceſſe eſt merita reuiuiſcere, alioquin ſi ex miſericordia Dei id oriretur, merita non haberent veram dignitatem. Ita Vaſquez p. 2. diſp. 221. Turrianus diſp. 14. de pœnitentia dub. 2. quibus videtur conſentire Vulpes diſp. 27. art. 4. 3. opinio mediat inter utramque aſſerens merita, partim ex iuſtitia, partim ex Dei miſericordia reuiuiſcere; licet enim opera meritoria ſemper retineant condignitatem ad præmium in actu primo, & per ſuperueniens peccatum ſolum ſuſpendatur ius, ſeu impediatur quoad actum ſecundum, tamen quod remoto ſtatu peccati, iterum Deus teneatur priori iure, ad conferendum promeritum præmium, prouenit ex ſuo beneplacito; ſicut enim poterat non ſe obligare per promiſſionem ad illa præmianda, ita poterat non ſe obligare, quoties per ſuperueniens peccatum, eſſet interrupta. Ita communiter tenent Scotiſtæ cum Scoto in 4. d. 22. q. un. art. 2. & ſequuntur Suarez, Becanus, Tanerus, Auerſa, Caſpenſis, & alij; ſit igitur.

Concl. Merita mortificata per ſuperueniens peccatum mortale in iuſtificatione reuiuiſcunt, partim ex miſericordia, partim ex iuſtitia. Eſt Scoti qui ſic diſcurrit loc. cit. Dici poteſt, quod hæc eſt ſuperabundans bonitas, & miſericordia Diuina, quia bona ſemper viuunt in eius acceptatione, bona, inquam, meritoria, & ſemper eſſet eis præmium retribuendum niſi eſſet indiſpoſitio recipientis propter nouam culpam, ſed mala totaliter extinguuntur, ita quod nec in ſe nec in intellectu, vel voluntate Diuina remanent in ordine ad vindictam, & per iſtam viam eſſet ad propoſitum bonum exemplum Iuriſtarum, quod alicui remanet aliquod ius, cui tamen non remanet, vel non competit actio propter aliquod impedimentum. Ita habenti bona merita in acceptatione Diuina, mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum ius, quod correſpondet illis meritis ad vitam æternam, ſed non remanet actio, quamdiu ille eſt inimicus, etſi perpetuò ſit inimicus, perpetuò ceſſat illa actio; ceſſante autem inimicitia contracta per nouum peccatum mortale, non redit nouum ius, ſed cõpetit actio

ſe-

ſecundum ius antiquum. In mortali autem remiſſo, nec ius remanet, nec actio; quia nec Deus habet ius vindicandi in iſtum; ita enim perfectè texit peccatum iſtius, & remiſit, ut nec actio ſibi remaneat ad vindicandum. Quamuis (ſequitur Scoti textus) hoc ſit bene dictum in comendationem mi ericordiæ Diuinæ; tamen poteſt aliquo modo reduci ad iuſtitiam hoc modo. Peccatum non remittitur niſi ad minus debitum pœnæ æternæ commutetur in debitum pœnæ temporalis, qua comutatione facta; nunquàm regulariter remittitur illa culpa, niſi illa pœna ſoluatur in ſe, vel in pœna æquiualenti, & per conſequens remiſſo peccato mortali in ſe primò, & in pœna ſoluta, poſtea nil iuris remanet, per quod ab iſto ſit exigenda pœna aliqua pro illo peccato, ſed poſt meritum aliquod vita æterna dignum, nunquam dignitas iſta ad bonum æternum commutatur, ſecundum iuſtitiam in bonum temporale. Igitur nunquam expirat illud ius, quouſque bonum æternum ſit ſolutum: ſed illud non ſoluitur in viatore, dum eſt viator; ergo ſemper manet illud ius, tamen quià eſt extinctum per peccatum mortale, tunc non competit ſibi executio iuris ſui. Non eſt igitur ſimile de remuneratione meritorum mortificatorum, & de reditione peccatorum remiſſorum, non ſolùm propter Dei miſericordiam, quod utique verum eſt, ſed etiam propter iſtam iuſtitiam commutantem ibi æternum in temporale, non ſic autem hic. Hactenùs Doctor, ex quibus clarè patet eius mens circa præſentem quæſt. & apparet ſatis probata noſtra Concl.

Arg. prob. quod ex ſola miſericordia reuiuiſcant opera meritoria. Merita per peccatum mortificata non poſſunt reuiuiſcere, niſi tollatur peccatum, ſed peccatum ab homine non tollitur ex iuſtitia, benè tamen ex ſola miſericordia, ergo etiam merita mortificata non redeunt ex iuſtitia, ſed ex ſola miſaricordia. Reſp. conc. mai. & min. nempè, quòd ſit gratia Dei reſurrectio hominis peccatoris, poſita autem reſurrectione, & reditione in gratiam, redunt etiam merita, non ſimpliciter, ex miſericordia, ſed ex iuſtitia, ut ſupra explicatum fuit.

Contra per peccatum homo meretur ſpoliari omni ſimpliciter bono; ergo reparatio meritorum præcedentium ſoli miſericordiæ Dei eſt tribuenda. Reſp. conc. ant. &

diſt.

dist. consequens, si non præcessit Diuina promissio, qua decreuit dare hominibus præmium omnium meritorum, etiam mortificatorum, conc. cons. si autem præcessit sicut de facto colligitur ex S. Scrip. præcesisse, neg. cons. Itaque, supposita Diuina misericordia de præmiandis operibus bonis, & mortificatis, id, quod sequitur, præstatur à Deo ex iustitia: Vnde talis redditio, supponit misericordiam, & perficitur ex iustitia.

Arg. Vasquez probando reparationem meritorum mortificatorum fieri ex sola iustitia, fundata in actu contritionis. Homo peccator per contritionem condignè satisfacit Deo ad æqualitatem, ergo de iustitia ei debetur reparatio meritorum &c. Patet ant. nam sicut homo per peccatum auertit se à Deo, ita per contritionem conuertit se ad Deum. Resp. neg. assumptum in antecedente, & quandò etiam concederetur per contritionem condignè satisfieri Deo prò offensa, adhuc neganda est cons. quod fieri debeat reparatio meritorum ex iustitia in ipsa contritione fundata, quià licèt satisfieret pro culpa, non tamen pro omni pœna, ac proinde in pœnam culpæ, & offensæ iustè potuisset Deus priuare peccatorem præcedentibus meritis.

QVÆSTIO III.

Vtrum merita in iustificatione reuiuiscant in ordine ad essentiale præmium cum totalitate, & integritate reddendi.

NOt. 1. Quòd ius ad gloriam, quod dicitur præmium essentiale, competit homini duplici titulo; nempe titulo hæreditatis, & titulo mercedis. Prior fundatur in gratia sanctificante, per quam efficimur consortes Diuinæ naturæ, & filij adoptiui. Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei &c. ait Apost. Posterior fundatur in bonis operibus factis in gratia, & ex gratia, supposito præuio pacto Dei, ut docet Trid. sess. 6. c. 16. ubi ait, *Benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei, per Iesum Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ipsius Dei promissionis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda, si in gratia decesserint.*

Not.

Not. 2. Quòd circa hanc quæstionem diuersa sunt Doctorum placita. Alensis p. 4. q. 57. D. Bon. 4. d. 14. art. 2. q. 1. quos sequuntur plures Recentiores, censent, quod deperdita gratia per peccatum, non restituitur per pœnitentiam, nisi iuxta gradum contritionis ab homine elicitæ; Vnde non alio modo opera mortificata volunt reuiuiscere, quam quia idem præmium essentiale, quod gratiæ per contritionem collatæ correspondet, conferatur pluribus titulis, nempe contritionis præsentis intuitu, & meritorum antecedentium; licet concedant maius gaudium accidentale propter bona opera ante lapsum facta. Ocham in 4. q. 8. cum suis Nominalibus opinatur, quod homo in virtute pœnitentiæ reuiuiscat, non solum ad gratiam, & gloriam correspondentem contritioni præsenti, sed insuper ad tot gradus gratiæ, nec non in ius ad tot gradus gloriæ, quot habuisset per merita præcedentia, si non fuissent mortificata. D. Thom. p. 3. q. 88. art. 3. quem amplectuntur plures ex eius discipulis, docet, quod resurgens à peccato recipiat nouum aliquem gradum gratiæ, & consequenter ius ad nouum gradum gloriæ essentialis ratione præcedentium meritorum; non tamen recipiat totam gratiam, quam habebat antequam peccaret. Scotus denique in 4. d. 22. docet, merita mortificata in iustificatione reuiuiscere quidem quoad ius in ordine ad eundem gradum gloriæ ipsis debitum ante peccatum, non autem ad maiorem gratiam, ita quod reuiuiscentia sit ad gloriam respondentem meritis proprijs, non autem ad gloriam respondentem gratiæ.

I. Concl. Non potest asseri, quod merita tantum reuiuiscant ad præmium accidentale, nempe ad gaudium, quod homo percipiat de operum mortificatorum reparatione. Hæc est satis certa, & ratio est, quia alioquin tolleretur omninò reuiuiscentia meritorum, quæ pro præmio proprio respiciunt beatitudinem, quam ex S. Scrip. & Trident. reseruari meritis liquidò patet. Tum quia gaudium accidentale, etiam respondebit operibus mortuis, siue factis in statu peccati mortalis. Insuper neque asseri potest, quod merita reuiuiscant solum ad præmium essentiale, correspondens gratiæ, & meritis de nouo acquisitis: Et quàmuis Bannes, ut refertur, docuerit oppositum, tamen cum hoc alienum sit à vera sententia non recipitur, immò Sotus ait

esse

esse falsissimum, Ledesma esse erroneum. Sequeretur enim quod peccator in fine vitæ per unicam, sed feruentem contritionem iustificatus, esset maior in gratia, quam is, qui post vitam diù sanctè transactam, semel lapsus, & cum minori gratia præueniente tepidus resurgens moreretur, quod absurdum est, & piarum aurium offensiuum, inquit Herincx.

II. Concl. Merita reuiuiscunt semper ad integrum præmium essentiale, & non solum iuxta mensuram præsentis dispositionis, secundum quam peccator resurgit, vel etiam, quam postea habebit. Prob. Opera meritoria post lapsum retinent idem ius, quod habebant ante lapsum, ut dictum est supra, & per peccatum solum impeditur; ergo reuiuiscunt semper ad integrum præmium essentiale.

Prob. 2. pars. Gratia, quam in iustificatione recuperat homo, non tribuit bonis operibus valorem, sed tantum remouet obicem peccati, quo sublato redeunt ad pristinum ius secundum totum ergo merita non reuiuiscunt secundum mensuram præsentis dispositionis &c.

Quæres. An resurgens semper in iustificatione resurgat ad maiorem gloriam.

Resp. Scotus loc. cit. de 2. art. cit. ſ. Per hoc dico ad argumentum, quod resurgens, plura merita habet in acceptatione Dei, quàm habuit quando cecidit, & per consequens ad maiorem gloriam, ex ea parte ordinatur; sed non oportet, cum in maiori gratia resurgere, qua secundum eius dispositionem in detestando peccatum commissum intensè, vel remisè datur sibi nunc maior, vel minor gratia. Neque ex hoc peccator reportat commodum, sed magnum incommodum, non solum quià peccauit, sed ad propositum, quia totum tempus, quo mansit in peccato est sibi perditum, quo tempore merita potuisset multiplicasse, si tunc in gratia mansisset. Hæc Doctor, ex cuius Doctrina colligitur, quod si non restituitur gratia, statim in iustificatione respondens meritis, & gradibus gloriæ, nihilominus verè dicitur resurgere ad maiorem gratiam restituendam statim, siue in se, siue in jure proximo ad illam, & consequenter ad maiorem gloriam, scilicet iure obtinendam.

Vtrum tota gratia, prioribus meritis debita, per subsequentem iustificationem restituatur.

NOt. 1. Quod duplex gratiæ portio potest considerari inesse, vel in fuisse homini iustificato. Altera, quam iusti consequuntur per propria merita; altera verò, quam obtinent sine merito proprio, sed ex meritis Christi, qualis est prima gratia, quam quis accipit, dum à peccato resurgit; & omnis gratia, quæ ei, ex opere operato confertur, ex vi Sacramentorum. Quare de omnibus his gratijs procedit præsens quæstio.

Not. 2. quod sicut solus Deus nouit, quid reuerà contingat in hominis iustificatione post lapsum, ita intellectus humanus, utpotè insufficiens ad talem veritatem assequendam, solum probabiliter, de hac re disserere valet. Hinc tot capita, tot sententiæ, quas Mastrius ad tres principales omnes reducit. Prima affirmat absolutè, & uniuersaliter omnem gratiam restitui in ipso iustificationis instanti', ita Suarez, Coninch. Caspens. Lugo, & alij relati à Mastrio. Secunda absolutè, & uniuersaliter negat, antiquam gratiam restitui tunc, quando homo resurgit, sed ait postea restitui in fine vitæ, vel in principio gloriæ, ita Scotistæ passim sentire videntur, ut notat ipse Mastrius, quia sic Scot. in 4. d. 22. insinuare visus est, ita Aretin. ibidem, Hiqueus, Faber. Tertia tandem sententia asserit, in instanti iustificationis restitui totam gratiam, quæ prò antiquis meritis, antea habebatur, sed negat recuperari gratiam, quæ per susceptionem Sacramentorum comparata fuerat, quià, id non constat ex Scripturis, neque ex Patribus, neque colligitur ex reuiuiscentia meritorum in superioribus quæstionibus stabilita, ita Vasquez disp. 221. q. 7. Turrianus disp. 14. de pęnitentia dub. 5. & probabile censet Caspens. Vnde sequitur, nec homini concedendam esse gloriam tali gratiæ Sacramentali per modum hæreditatis correspondentem.

I. Concl. In iustificatione restituitur homini pœnitenti portio gratiæ, præcedentibus meritis acquisita per augumentum, siue hæc gratia restituatur in ipso iustificationis instanti, siue postea, & falsum prorsus esse hanc nunquam re-

restitui. Hæc est Mastrij in 2. d. 7. de iustificatione q. 10. a: t. 2. & Herincx disp. 4. de iustificatione q. 12. & est communis, ut testantur Doct. citati. Prob. supponitur apud omnes tanquam certum gloriam dari iuxta mensuram gratiæ, quia gloria est debita meritis mediante gratia, quæ illis dat valorem, ergo antiqua merita nequeunt resurgere ad gloriam, quin etiam resurgant ad gratiam proportionatam. Confirm. Etenim, sicut ius ad gloriam fundatur in gratia, ita maius ius ad maiorem gloriam in gratia maiori; gratia namque tribuit ius ad gloriam, ut tradit Aureolus in 4. d. 22. art. 1. Immo Scotus d. 21. q. 1. docet ad determinatum gradum gloriæ requiri ut præuiam dispositionem determinatum gradum gratiæ, & q: 2. ait, quod nulli datur aliquid gloriæ correspondens meritis, sine correspondente gratia. Alioquin sequeretur, Deum plus præmiare præmio essentiali gloriæ, quem minus diligeret, & è contrà minus præmiare, quem magis diligeret, quià Deus diligit creaturam per gratiã, ergo si antiqua merita resurgerent ad gloriam, & non ad æqualem gratiam, Deus plus præmiaret per gloriam, quem minus diligeret per gratiam, & è contra. Prob. etiam ex S. Scrip. & Patribus simpliciter significantibus, hominem per iustificationem restitui in pristinam gratiam, & statum; ut Ioel. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta*, & c. 3. Malachiæ idem habetur, & Lucæ c. 15. imperat Pater Filio prodigo reddi stolam primam, idest pristinam gloriam, quam (ut ait Chrysost. homilia 4. in Lucam ex seductione Diaboli nudatus amiserat.

II. Concl. In iustificatione hominis post lapsum, restituitur gratia Sacramentalis, & quæcunque alia, sine meritis obtenta, licet etiam oppositum sit probabile imo videatur esse mens Scoti. Hæc pariter est Mastr. & Herincx. Prob. Nam gratis asseritur ab ijs, qui oppositum tuentur, quod quæ pendent ex liberali Dei donatione, semel per peccatum amissa, nunquam per pœnitentiam recuperentur, & sanè excellens Dei misericordia suadet oppositum, ergo quando ex iustitia non recuperarentur, sicut quæ pendent ex nostris meritis, satis pium est credere, quod recuperentur ex Dei benignitate, ut apertè colligitur ex parabola de Filio prodigo superius allata. Tum quià, etsi contrito, aut suscipienti Sacramenta gratia non detur ex pro-

prijs meritis, datur tamen ex merito condigno Christi, quod homini, tanquam proprium applicatur, ergo gratia Christi, semel nobis applicata, non minus fit nostra, quam gratia, vel eius augumentum, ex meritis proprijs nobis collatum, cum merita Christi ex Dei ordinatione fiant nostra. Resp. Lugo, & alij, rationem desumptam ex meritis Christi urgere de possibili, non autem de facto, eò quia non semper quando aliquid datur nobis ex meritis Christi, datur cum omni perfectione, & iure, quo posset dari ex eius meritis, quia non vult Christus semper illa applicare cum tota eorum perfectione, sed cum limitatione, etsi ex parte valoris eorum possent utique applicari. Quæ sententia, est Scoti, qui in 4. d. 22. q. un. §. ad secundum dico, sic concludit. Igitur reuiuiscunt merita, sed non reuiuiscit prior gratia priùs habita, & istud est satis consonum iustitię, quia gratia prior fuit tantum donum Dei, merita autem erant aliquo modo opera hominis, & ideo illa sunt sibi semper salua in acceptatione Dei, gratia verò non: Vnde propter eam ordinatur ad aliquod præmium, quià habuit eam, sed tantumodo per eam, si nunc habet eam, hæc Scotus &c.

Quæres 1. An gratia per peccatum amissa restituatur statim in iustificatione.

Resp. quod Scotus loc. cit. supponere videtur, illam tantum restitui in fine vitæ, & interim manere ius ad illam. Verùm Nominales, quos sequuntur plures Recentiores, existimant totam gratiam restitui statim. Qua in re, inquit Herincx, certum est in utraque sententia sufficientissimè saluari reuiuiscentiam meritorum, satis etiam constat, neutram efficaciter probari; sed utramque niti quibusdam congruentijs, & coniecturis. Pro prima facit, quod sufficiat gratiam antiquam restitui in fine vitæ, imò id videtur consentaneum Diuinæ iustitiæ. Tum ut dilatione ista peccatum quodamodo temporaliter puniatur. Tum ne sit necesse, in hominibus frequenter in peccata relabentibus, eandem gratiam reproducere. Secus autem est de meritis, quæ non fuerunt simpliciter extincta, uti gratia sed potius impedita pro tempore status peccati. Quare congruum videtur, ut Deus de nouo infundat illam solam gratiam, quæ respondet nouæ dispositioni pænitentis, reseruato iure ad reliquam gratiam in fine vitæ restituendam.

Pro

Pro 2. Sententia facit, quod cum supponatur gratia aliquando restituenda, nec appareat ratio urgens differendi, eò quòd viator sublato peccato, sit statim capax prioris gratiæ, sicut alterius gratiæ augumenti, credibile videatur, illam restitui statim, quæ quidem ratio non militat de gloria, cuius viator non est capax. Nec obstare videtur, quod dispositio non sit proportionata ad gratiam restituendam, nam cum non sit gratia noua, sed restituenda non oportet dispositionem respondere gratiæ; & è contra ipsa etiam opera præcedentia, sicut tantum sunt moralis dispositio ad gratiam primò infundendam, ita, etsi præterita possunt esse moralis dispositio ad eandem gratiam de nouo infundendam; accedente noua dispositione, tanquam conditione remouente obicem peccati. Vnde utraque sententia est satis probabilis, sed incerta, ut pote dependens à Diuina voluntate, quæ de hac re nobis non satis innotescit, nec ex S. Scrip. nec ex auctoritate Patrum, nec ex ratione.

Quæres 2. An opera meritoria, quæ reuiuiscunt quoad gratiam, & gloriam reuiuiscant pariter quoad satisfactionem. Resp. quæsiti sensus sic explicatur. Estò, quod aliquis iustus peccet, qui ante peccatum non tenebatur satisfacere, quia forte nullum fecerat peccatum, etsi fecerat aliquod veniale, eius satisfactio fuerat adeò abundans, ut multum superesset satisfactioni, applicandum thesauro Ecclesiæ. Quæritur modo, an isto resurgente reuiuiscant opera ante peccatum facta, non solum ad gloriam, sed etiam prosint illi ad satisfactionem, pro pœna temporali peccati dimissi. Videtur quod sic, eo quia opera mortificata resurgunt ad gloriam non ob aliud nisi quia non fuerunt præmiata, sed eadem opera valebant ad satisfactionem pro pœna temporali; ergo &c.

Cęterùm hac ratione non obstante dicendum, quod opera illa non valebant pro satisfactionę peccati futuri, quia satisfactio est tertia pars pœnitentiæ, & pœnitentia nunquàm admittitur pro peccatis futuris, sicut contritio, & confessio non habetur de committendis, sed de commissis peccatis; similiter etiam satisfactio, ac proinde non reuiuiscunt quoad satisfactionem; Ita discurrit Pitigianus in 4. dist. 22. q. unica art. 7. §. 2. concl.

De merito bonorum operum tertio effectu gratiæ habitualis.

QVÆSTIO I.

Vtrum iustus per sua bona opera possit aliquid à Deo verè, & propriè mereri.

NOt. 1. Quòd meritum in S. Scrip. aliquando accipitur in bonam partem, & quandoque in malam partem, dum videlicet bonis, & malis operibus aliquid retribuitur, vel præmij, vel pœnæ. Vnde de malis operibus dicitur Paralip. cap. 2. *Iram Dei merebans*, & Iob. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui*. At hic est sermo tantum de merito, quod correspondet bonis operibus, & in sua generalitate acceptum sic describi potest. Est opus bonum præmio aliquo dignum, siue à Deo, siuè ab homine conferendum, in qua acceptione meritum, est quid commune ad meritum Politicum, & Theologicum. Politicum est opus cui de iustitia distributiua debetur præmium, adeout sic merenti fiat iniuria, si tale præmium non redderetur. Theologicum autem est opus moraliter bonum, exigens aliquo modo compensationem præmij à Deo conferendi; idque communiter a Theologis diuiditur in meritum de condigno, & in meritum de congruo, ut etiam tradit Scotus in 4. d. 14. q. 2. art. 2.

Not. 2. Quòd pluribi Scotus describit meritum, & præsertim in 1. dist. 17. q. 2. d. 18. q. vnica quol. 17. art. 3. Verùm ut bene notat Mastrius in disp. de merito loc. cit. describit meritum apud Déum, & maximè meritum de condigno, & solum in 3. d. 18. meritum in communi descripsisse videtur, ut obseruat Bargius, dum inquit. Meritum est aliquid acceptatum, vel acceptandum in alio pro quo ab acceptante est aliquid retribuendum illi, pro tali merito, vel alteri pro quo meruit; cuius descriptionis intelligentia dependet ex infra dicendis, ideoque hic dandæ sunt definitiones, utriusque meriti idest de condigno, & de congruo iuxta veriorem, & communiorem sententiam.

Me-

Meritum de condigno est illud, quod ex iustitia inducit obligationem ad reddendum præmium, supposito tamen pacto Diuino ob condignitatem, quæ in tali opere bono, & meritorio reperitur. Meritum autem de congruo est illud, quod, etsi supponat pactum diuinum, non tamen inducit obligationem ad reddendum præmium ex iustitia, sed ex quadam congruitate, & debito liberalis promissionis Diuinæ, seu fidelitatis, loquendo de merito de congruo strictè accepto, nam latè sumptum non includit promissionem.

Not. 3. Quòd æqualitas præmij, quam respicit meritum de condigno, non importat æqualitatem absolutam, aut formaliter secundum entitatem actus meritorij; nam ut sic æquari nequit præmio æterno beatitudinis. Vnde ait Apost. non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam, sed æqualitas huiusmodi attenditur penes moralem æstimationem, quam Scotus vocat æqualitatem proportionis, eò quòd Deus æstimet meritum de condigno ratione gratiæ sanctificantis, à qua procedit, & valorem proportionatum tribuat bonis operibus sua ordinatione legali, qua promisit se acceptaturum nostra bona opera ad præmium supernaturale, si à gratia sanctificante, velut à principio meriti fuerint elicita.

Not. 4. Quòd hæretici, & signanter Caluinus negant bonis operibus omnem rationem meriti, vnde sic impudenter loquitur Caluinus lib. 3. instit. cap. 15. Bonorum operum laudem, non ut sophistæ faciunt inter Deum, & hominem partimur, sed totam integram, ac illibatam Domino saluamus; & inter Catholicos Durandus, ut refert Mastrius in 2. d. 27. q. 2. duplex distinguit meritum de condigno, unum impropriè, & largè sumptum, ex diuina ordinatione, & acceptione proueniens; aliud proprium, quod inducit obligationem iustitiæ, ob æqualitatem operis; admittit primum Durandus, sed negat secundum, hinc Amicus dicere audet, quod idem sequitur ex sententia Scotistarum docentium, opera iustorum non esse ex se æternæ vitæ condigna, sed ex Dei ordinatione ad tale præmium acceptantis; Verùm quam apertè decipiatur iste Auctor patebit infra.

Concl. Iustus per sua bona opera potest aliquid à Deo verè, & propriè mereri. Hæc est de fide determinata in

Trid. *seß.* 6. c. 16. Prob. 1. auct. S. Scrip. Genes. c. 1. habetur. *Ego Protector tuus sum, & merces magna nimis*; ubi illa vox merces indubiè relatiuè se habet ad meritum propriè dictum Matt. 20. *Voca operarios & redde illis mercedem*: & Eccl. c. 16. *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum*, ergo homo viator poterit mereri &c.

Prob. auct. Trid. loc. cit. can. 32. sic dogmatizzantis. *Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse donum Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita &c. anathema sit*, & ità docent omnes SS. Patres: Nota Trid. loqui de merito de condigno. Prob. ratione. Meritum ut supra indicauimus, consistit in quadam æqualitate secundùm proportionem inter præmium, & meritum; sed huiusmodi æqualitatem habent opera bona, ab homine iusto elicita, quia gratia habitualis tantam dignitatem tribuit, & confert homini, ut sit filius Dei adoptiuus, & particeps factus Diuinæ naturę, ac proinde ad quoddam esse diuinum eleuatur, ergo opera, quæ ex tali gratia procedunt, tantam dignitatem inde participant, ut habeant æqualitatem valoris in ordine ad vitam æternam, quam doctrinam tradit Scotus in 1. d. 17. q. 2. in corpore quæstionis ubi declarans naturam meriti de condigno in ordine ad vitam æternam disertè docet quomodo habitus gratiæ sit ratio acceptādi naturam, & actum tanquam vitæ æternæ meritoria; neque aliam nouam, & superadditam ordinationem, & acceptationem agnoscit Doctor, à qua desumenda sit dignitas actus meritorij, præter eam, quæ in ipsa gratia includitur. Quod si alia Diuina promissio, & ordinatio, præter allatam est necessaria, planè hæc non est necessaria ad fundandam dignitatem, & valorem in actu primo adæquatum, sed erit tantum necessaria ad inducendam in Deo obligationem pro præmij retributione, ut infra magis patebit. Præterea prob. ex paritate malorum operum in ordine ad pœnam, quæ sicut peccatis mortalibus est condigna, ita præmium bonis operibus est condignum, licet tam pœnæ, quàm præmij extensiua infinitas non habeatur in nostris operibus ex natura rei, sed ex Diuina ordinatione.

Arg. 1. auct. S. Scrip. ad Rom. 6. dicitur. *Gratia Dei vita æterna*, & c. 8. scribit Paulus. *Quod non sunt condignæ passiones &c.* ergo iustus non potest de condigno mereri aliquid

apud

apud Deum, sic etiam videntur loqui SS. Patres. Resp. Sac. Scrip. & Patres vitam æternam etiam frequentiùs appellare mercedem, & coronam, quod si interdum gratiam appellant, non intendunt ab ea rationem mercedis excludere, sed significare volunt radicem, & principium mercedis, seu merendi vitam æternam, gratis nobis conferri, sicut etiam cæteræ gratiæ actuales, seu auxilia.

Arg. ratione. Meritum de condigno est meritum ex iustitia, sed inter Deum, & hominem intercedere nequit vera, & rigorosa iustitia; ergo homo non potest apud Deum mereri de condigno. Resp. conc. mai. & dist. min. inter Deum, & hominem non intercedit iustitia rigorosa, adeout ratio meriti excludat omnem gratiam, & liberalitatem præmiantis, conc. iustitia qualis est inter seruum, & Dominum, ut late ostendit Scotus in 4. d. 46. q. 1. neg. min. pro hac responsione q. 3. huius disp. facit &c.

Arg. 3. Si nostra opera essent meritoria de condigno, ergo non posset Deus non dare gloriam merentibus, sed hoc est falsum ergo &c. Resp. neg. sequelam mai. & ratio est, quià Deus plures habet titulos, ob quos posset Deus ea opera ab homine exigere; cum enim nos, & in esse, & conseruari, & in omnibus alijs à Deo necessariò dependeamus, potest Deus huiusmodi opera à nobis exigere titulo creationis, conseruationis, redemptionis, & supremi dominij. Vndè non esset iniustus, si gloriam nobis denegaret.

Cont. Si Deus sine ulla iniustitia potest denegare gloriam merentibus eam de condigno, ergo sequitur, quod iusti nullum ius suis meritis ad gloriam acquirunt, ac proinde eorum merita nullam habent in ordine ad gloriam condignitatem, hæc enim fundatur in perfecto iure iustitiæ.

Resp. neg. sequel. licet enim iusti suis operibus ius rigorosæ iustitiæ non acquirant ad gloriam, acquirunt tamen quoddam ius iustitiæ impropriæ, ut supradictum est, ius quidem remotum per ipsam gratiam, aut per ipsam ordinationem in gratia inclusam, non vero ius proximum, & completum per aliquam promissionem, & ordinationem superadditam de præmio retribuendo, distinctam ab ordinatione in ipsa gratia inclusa, ut alibi dicetur.

Vtrum meritum de condigno, & de congruo vniuocè conueniant in ratione meriti.

NOt. 1. Quod meritum Theologicum, ut præscindit tam à merito de condigno, quam à merito de congruo, sic describi solet à Scotistis; Est moralis quidam valor actionis humanæ bonæ ad obtinendum præmium aliquod à remunerante. Dicitur moralis valor, ad significandam dignitatem actus, ratione cuius secundum moralem æstimationem, aliqua retributio actui meritorio conuenit. Additur, actionis humanæ, ut valor meriti secernatur à valore pecuniæ, qui quidem valor potius dicendus est prætium. Dicitur deindè, actionis bonæ ad indicandum meritum, vel meriti rationem, & valorem conuenire actioni humanę, quatenus est bona formaliter, & non materialiter tantum. Denique dicitur ad obtinendum præmium, quià, ut docet Doctor, actio humana ab hoc ordine ad præmium habet, quod dicatur meritoria, meritum namque ut meritum, est correlatiuum ad præmium. Quarè, etsi à parte rei meritum aliud non sit, quam extrinseca denominatio sumpta ex bonitate morali actionis humanæ, & connotatione præmij; tamen iuxta nostrum modum concipiendi apprehenditur ut ordo & respectus ad præmium, ut habet Scotus quol. 17. lit. B. ubi ex hac ratione inquit, meritum addere supra actum bonum duas relationes rationis, unam ad voluntatem acceptantem, aliam ad illud præmium, ad quod acceptans ipsum actum bonum ordinat.

Not. 2. quod Sotus lib. 2. de natura, & gratia c. 4. & Medina p. 2. q. 114. art. 6. negant, meritum de congruo habere veram, & propriam rationem meriti. Recentiores verò, ut notat Mastrius, licet fateantur meritum de congruo esse verum meritum; quià non metaphoricè, sed per aliquam proprietatem est tale; attamen dicunt, esse adeo imperfectum, ut solum analogicè sit meritum; non quidem analogia quasi extrinseca, & metaphorica, sed intrinseca per imperfectam quandam meriti participationem, quo modo accidens dicitur esse analogicè ens. Verùm Scotistæ non admittentes analogiam puram velut mediam inter

uni-

uniuoca, & æquiuoca, sed analogiam ad mixtam, quæ stat, vel cum uniuoco, vel cum æquiuoco, intrinsecè participans rationem aliquam communem, etsi imperfecto modo; consequenter docent meritum de congruo uniuocè analogicè conuenire cum merito de condigno in ratione communi meriti, iuxta descriptionem superius traditam; sit ergo.

Concl. Meritum de congruo, & de condigno uniuocè analogicè conueniunt in ratione communi meriti. Prob. meritum de congruo est verum, ac proprium meritum in suo ordine, ergo conuenit in ratione communi meriti analogicè. Prob ant. ex Scoto in 4. d. 14. q. 2. art. 2. ubi demonstrat meritum de congruo habere veram rationem meriti, aliter oporteret dicere, ait Doctor, quod iustificetur peccator sine omni dispositione sufficienti de congruo ex parte eius, & per consequens, difficile esset saluare, quod apud Deum non sit acceptatio Personarum. Prob. ratione si opus meritorium de congruo non exigeret præmium aliquo modo, nec ex congruitate, & fidelitate, nec ex condignitate, nullum prorsus haberet moralem valorem ad premium obtinendum, ergo nulla ratione vocari posset meritum; ac proinde nec præmium, quod eius intuitu datur, sed donum tantum, & munus: at hæc omnia sunt absurda: ergo &c. Prob. specialiter de uniuocatione analogica. Meritum de congruo non ita perfectè participat de ratione meriti, sicut meritum de condigno, sed ad uniuocationem analogicam talis uniuocatio reducitur, ergo uniuocatio meriti de congruo cum merito de condigno est analogica, & mixta, non verò pura uniuocatio. Min. patet de cane, & de homine respectu animalis, de Creatura, & Deo respectu entis ut sic &c.

Arg. contra huiusmodi meriti uniuocationem. Nihil est commune uniuocum ei, quod est simpliciter tale, & ei, quod est secundum quid tale; sed ita se habent meritum de congruo, & de condigno ut sic, quià primum dicitur secundum quid tale, & secundum dicitur simpliciter tale: ergo &c. Resp. dist. mai. quando inferiora dicuntur simpliciter, & secundum quid talia in participanda ipsa ratione communi, conc. mai. quando vero dicuntur talia solum per comparationem unius ad aliud, neg. mai. In-

pro-

proposito meritum de congruo, dicitur meritum secundum quid in comparatione ad meritum de condigno; sicut accidens in comparatione ad substantiam dicitur ens secundum quid, esto participet de ratione communi entis.

Arg. 2. Merito respondet præmium debitum, sed quod dandum est ex aliqua congruitate, nequit reverà dici meritum, ergo nec meritum de congruo potest esse verum meritum, nam ly de congruo destruit rationem meriti.

Resp. conc. mai. & dist. min. Nequit dici meritum simpliciter, & absolutè, quale solum est meritum de condigno conc. min. nequit dici meritum latè sumptum, idest pro remuneratione orta ex quadam decentia, & promissione nego min. nam in hoc sensu respondet ei debitum proportionatum: Qua ratione consultò Scot. in 3. d. 18. describens meritum in communi, posuit illam particulam, quasi debitum.

Arg. 3. Qui meretur, acquirit aliquod ius ad id, quod meretur, alioquin nullum est meritum, sed ius non acquiritur nisi per meritum de condigno, ergo &c. Resp. eadem proportione esse discurrendum de iure correspondente merito, sicut dicebamus de debito, etenim sicut debitum est quasi debitum, ita ius est quasi ius, cum motus attritionis e. g. non habeat condignitatem ad præmium, nec habet ius absolutè, sed quasi ius ex congruitate, & promissione, ac fidelitate Dei, qui se obligauit acceptare talem actum pro dispositione ad Sacramentum recipiendum.

Quæres 1. Quæ conditiones exiguntur ad rationem meriti de condigno ex parte operantis.

Resp. I. conditio est, quod homo sit in statu gratiæ sanctificantis, quia gratia habitualis est principium meriti de condigno. Cæterùm in nostra sententia, de potentia Dei absoluta posset homo in statu puræ naturæ conditus sine gratia habituali ponere verum meritum de condigno, ita Scotus in 1. d. 17. q. 2. ne dum cum sua schola, sed etiam cum schola Nominalium, & sequuntur plures Recentiores. Ratio quia Deus potest de potentia absoluta iustificare hominem sine infusione gratiæ; ergo etiam eadem potentia poterit acceptare ad rationem meriti opera hominis conditi in statu puræ naturæ, ac proindè poterit homo ponere meritum propriè dictum. Conf. patet à pari, eò quia

non

non alia ratione de facto requiritur gratia in merente, quam ex eò quòd Deus ordinauerit, ut merita procedant à gratia habituali, aliter non acceptaturus ea ad prǽmium vitę ęternæ, quam ordinationē posset Deus variare, & aliam ponere.

II. conditio est; quod operans seu merens sit in statu vitæ, & hæc patet ex S Scrip. Eccles. 14. *Ante obitum operare iustitiam*: & cap. 9. *Mortui non habent vltra mercedem*: & cap. 11. *Vbi ceciderit lignum, ibi manebit*, & D. Paulus ad Galat. c. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, & ad Corint. c. 6. *Tempus sementis est præsens vita*. De potentia tamen absoluta potest Deus aliter disponere, ut dispensatum fuit in Christo, qui, quamuis à primo instanti suæ Conceptionis beatus, attamen usque ad mortem meruit pro nobis.

Quæres. 2. Quæ, & quot conditiones requiruntur ex parte actus meritorij.

Resp. Quòd quatuor conditiones exiguntur. Prima quod actus debet esse liber non solum libertate à coactione, sed etiam à necessitate, ut definiuit Innoc. in sua const it. contra Iansen. damnans illam propositionem. *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate sed sufficit libertas à coactione*; & ratio est, quia esse meritorium, & demeritorium est proprietas quædam actus humani, sed actus purè spontanei, & à sola coactione, non verò à necessitate immunes, non sunt propriè humani; actio enim humana debet procedere à voluntate deliberata, ergo nec meritorij, vel demeritorij. 2. quod opus sit moraliter bonum seu honestum, quia opus malum non est dignum præmio, sed pœna, opus verò indifferens nec pœna, nec præmio est dignum; ergo debet esse opus bonum, moraliter elicitum à voluntate gratia informata. Vnde monet Apostolus prima ad Corint. 15. *Abundate in opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino*. 3. quod opus meritorium de condigno, sit supernaturale hoc est deriuetur ex aliqua gratia actuali Dei, præter gratiam sanctificantem, ut dictum est in tractatu de gratia actuali. 4. quod huiusmodi opus aliquo modo referatur in Deum, ut à charitate imperatum; ex Scoto in 2. d. 41. q. vn. & tradunt D. Bonau. D. Thom. Alens. & est communis, & deducitur ex S. Scrip. & signanter ex 1. ad Corint. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam*

Dei

Dei faciatis: sed hæc verba apertè indicant relationem boni operis in Deum: ergo &c. idem docent SS. Patres, quos videre licet in Mastrio, Frassen, Herincx, & in alijs.

Cæterùm talis relatio operis meritorij in Deum non est necesse, quod sit semper expressa, & actualis idest per expressum affectum charitatis in Deum, vel per actualem intentionem, sed sufficit virtualis, ut docet Scotus l. c. & aliàs dictum est.

Quæres 3. Quæ conditiones requirantur ex parte Dei præmiantis. Resp. Quòd ex parte Dei primò exigitur ordinatio operis ad præmium, seu promissio de præmio conferendo, ita Scot. in 1. d. 17. q. 2. & in 3. d. 19. D. Thom. & nominales contra Vasquez, Turrian. Lugo, & quosdam alios opinantes opera salutaria, secundum se considerata, seclusa omni D. promissione, esse de condigno vitæ æternæ meritoria. Prob. nostra sententia 1. auct. D. Aug. in Psal. 83. sic dicentis; *Debitorem ipse facit se non accipiendo, sed promittendo*, & Ser. 131. *Promissor Deus debitor factus est bonitate sua, non prærogatiua nostra*. Quæ quidem veritas colligitur clarè ex S. Scrip. signanter Matthæi 20. ubi adducitur parabola de conuentione facta cum operarijs ex denario diurno; & Jacob. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus*; ergo ex diuina promissione datur nobis corona &c. Verùm Diuina promissio, qua Deus se obligauit ad acceptanda, & præmianda opera meritoria, non est tota ratio meriti de condigno, sed cum ea stat, quod merita à gratia habituali, & actuali, à qua eliciuntur, sumant rationem dignitatis, & valoris ad præmium vitæ æternæ obtinendum, etsi non sufficientem absque promissione. Ita docent communiter Scotistæ cum Scoto in 1. d. 17. q. 2. paucis exceptis, qui conantur interpretare mentem Scoti de sola acceptatione D. quasi sola acceptatio Dei det dignitatem, & valorem bonis operibus ad præmium vitæ æternæ. Quare, ut tollatur omnis ambiguitas in verbis Scoti, obseruandum, quod l. c. promissionem D. seù acceptationem appellat tantùm complementum in esse meriti de condigno; ac proinde acceptatio sola non est tota ratio retributionis; & clariùs in Report. in 1. d. 17. q. 2. loquitur, ubi docet tam hominem habentem charitatem, seu gratiam habitualem, quàm eius

actum

actum ex charitate elicitum esse Deo acceptum ad gloriam, & habere ex vi charitatis valorem, & dignitatem ad præmium, quam dignitatem vocat ibi habilitatem; & addit, quod propter ipsam habilitatem non est necesse Deum tribuere vitam æternam, quia videlicet talis acceptatio habitualis, licet inducat dignitatem, & valorem in actu, non tamen debitum, & obligationem ex parte præmiantis, nisi accedat noua promissio de præmiando, quæ est ultima ratio completiua meriti.

Accedit etiam ratio. Etenim vita æterna reddenda pro meritis de condigno vocatur à S. Scrip. à SS. Concilijs, & PP. merces corona, atque stipendium meritorum, & quidem ex iustitia reddendum iuxta illud ad Timot. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi illa die iustus Iudex*: sed merces corona, & stipendium supponunt dignitatem aliquam, & valorem in operibus, quam iustitia postulat inter opus, & mercedem, rem, & prætium, ergo reuerà merita habent aliquam dignitatem respectu præmij, ac proinde non est sola acceptatio Diuina.

Quæres 4. Quæ requirantur ad meritum de congruo.

Resp. quod ad meritum de congruo exigitur, quod sit opus liberum, honestum, & quodammodò relatum in Deum, etsi fiat in ordine ad præmium supernaturale (ut communiter fit) debet procedere à gratia. Non tamen sufficit pura mali omissio, aut, ut quidam semipelagiani, opus bonum, quod fieret si superuiueret. Notanter dicitur in ordine ad præmium supernaturale, quià præmio naturali, seu temporali satis proportionatum est opus bonum, solis naturæ viribus factum, bonum quidem etiam ex circumstantijs, quàmuis quidam pauci id negent, quibus non fauet exemplum obstetricum Ægypti, ut habetur in Exod. c. 1. quibus Deus ædificauit domos, idest prosperitate temporali, & posteritati illas donauit, eò quod occultassent masculos hebræorum, estò ad hoc fuerint usæ mendacio. Nam resp. cum Aug. q. 1. in Exodo, & lib. contra mendacium c. 15. fuisse præmiatas, non quia mentitæ sunt, sed ut dicit scriptura, quia timuerunt Deum; ideoque conseruabant vitam masculorum hebræorum. Idem dicendum est de Iehu 4. Reg. de Rachab, ut videre est apud Herincx disp. 6. de merito q. 5. n. 78. Hinc patet discrimen inter

me-

meritum de congruo à condigno, nam meritum de congruo non requirit promissionem Dei de danda mercede; nec valorem, seu condignitatem operis procedentem à gratia sanctificante; Quarè defectu status gratiæ contritio peccatoris non est meritum de condigno in ordine ad iustificationem; quàmuis ex S. Scrip. habeat infallibilitatem; cum Deus promiserit contritis, & attritis acceptare tales actus, velut dispositiones proximas infallibiles ad iustificationem. Vnde, excepta contritione, cætera opera etiam iustorum defectu D. promissionis non merentur id, quod accedente promissione mereri possent; ideoque dicitur meritum congruum, quia de se non habet effectum infallibilem, in operis dignitate fundatum, sed tantùm in quadam congruentia pendentem à liberali beneplacito, & beneficio Dei. Nisi dicere velimus, ut supra indicauimus, meritum de congruo strictè sumptum ex liberali Dei promissione habere infallibilitatem, & meritũ de congruo latè sumptum carere tali infallibilitate ob carentiam Diuinæ promissionis, & tantò magis meritum de congruo in ordine ad præmium temporale.

Quæres 5. Quæ opera habeant rationem veram meriti de condigno Resp. 1. tam opera consilij, quàm opera præcepta possunt esse meritoria de condigno vitæ æternæ, si habeant conditiones superiùs recensitas. Ita communis sententia Theologorum, & habetur expresse in S. Scrip. & præsettim Matth. 19. *Qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores &c.* & ratio est, quià præceptum non tollit conditiones meriti de condigno, puta libertatem, & honestatem actus; ergo &c. Tum quia sequeretur, quod de votis factis obseruatio non esset meritoria de condigno, quia iam inducunt rationem præcepti, quod est falsum.

Resp. 2. Omnes actus quarumcumque virtutum, tam theologalium, quàm moralium, dummodò virtualiter, saltem à charitate sint imperati, possunt esse meritorij de condigno vitæ æternæ, vel alterius præmij supernaturalis, ita colligitur ex Scoto in 4. dist. 40. & sequuntur communiter Scotistæ. Prob. doctrina, quam tradit Trid. sess. 6. c. 16. *Hac igitur ratione iustificatis hominibus proponenda sunt verba Apostoli*: abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino; ergo &c. Accedit

etiam

etiam ratio, eò quia, licèt actus virtutum, tam Theologicarum, quàm moralium essent fortasse ex se improportionati ad merendum de condigno vitam æternam, vel aliud præmium supernaturale, attamen tales actus, quatenùs imperati à charitate, ab ea dignificantur, & fiunt condigni tanto præmio; ergo &c. Resp. 3. Merita iustorum includentium veram displicentiam peccatorum venialium possunt de condigno esse satisfactoria pro iisdem peccatis, & promereri remissionem eorundem. Ita probabilior sententia, quæ est D. Thomæ, & etiam Scoti prout colligi potest ex eius doctrina; Ratio, quia huiusmodi merita includentia displicentiam de peccatis venialibus habent bonitatem, non minorem, quàm sit malitia peccatorum venialium; & sicut venialia aliqualiter auertunt à Deo, ita merita conuertunt ad Deum; ergo &c. Resp. 4. Quædam etiam merita iustorum, qualia sunt opera pœnitentiæ, nempe ieiunium, oratio, eleemosyna, corporales afflictiones &c. sunt de condigno satisfactoria pro pœnis temporalibus, in quas à Deo commutatæ fuerunt æternæ; ita docet communis sententia catholica contra modernos hæreticos, tollentes à bonis operibus omnem vim satisfaciendi pro pœnis temporalibus; & constat ex Trid. sess. 14. c. 9. Tum etiam ex perpetua praxi Ecclesiæ applicantis opera pœnalia pro obtinenda remissione pœnarum temporalium; Tum etiam ex sacris litteris.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus præmium bonis operibus, seu meritis iustorum reddat ex iustitia.

NOt. 1. Quòd iustitia in S. Scrip. accipitur tribus modis. Primo pro complexione omnium virtutum, sic accipitur Matthei 5. *Beati qui esuriunt, & faciunt iustitiam*, & Psal. 150. *Qui faciunt iustitiam in omni tempore*, quo etiam sensu locutus est D. Ansel. dum lib. de verit. c. 12. ait: iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata. 2. accipitur iustitia pro misericordia, & eleemosyna, quæ ad iustitiam, & sanctitatem disponit peccatorem, sic Matth. *Atten-*

tendite, ut iustitiam vestram faciatis coram hominibus. 3. accipitur pro virtute speciali, cuius est reddere unicuique quod suum est ad æqualitatem. Diuiditur communiter iustitia hoc tertio modo accepta in commutatiuam, distributiuam, & legalem de quibus Deo adiuuante agetur part. 3. tract. 3. de iust. & iure disp. 1. sufficiat hic aliqua notare pro intelligentia quæstionis.

Not. 2. Quod ad rigorosam iustitiam tres conditiones exiguntur. Prima est quod obligatio ex merito operantis opera orta, non fundetur in gratia, & liberali acceptatione remunerantis. 2. ut id, quod datur ex rigorosa iustitia, ita sic ex bonis proprijs ipsius creditoris, ut nullo modo sit ipsius debitoris. 3. est, quod obiectum seu materia iustitiæ commutatiuæ propriè dictæ sit commutatio dati, & accepti secundum æqualitatem, & debitum. Quarè sicut inter Patrem, & Filium formaliter, seu quatenus tales nulla intercedit iustitia strictè accepta, seu simpliciter, quia Filius ut Filius est aliquid Patris, ac proinde quidquid Filius debet Patri, debet titulo pietatis, & sicut inter Dominum, & seruum formaliter nulla potest intercedere iustitia simpliciter, quia seruus est aliquid Domini, ut potè animatum eius instrumentum; ita inter Deum, & homines nulla intercedere potest rigorosa iustitia in præmiando merita iustorum, quàmuis Theologi doceant Deum aliquo pacto seruare in præmiando modum utriusque iustitiæ, scilicet commutatiuæ, & distributiuæ; distributiuæ quidem iuxta illud ad Corint. c. 9. *Qui parcè seminat, parce, & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Commutatiuæ verò iuxta illud ad Roman. 2. *Reddet vnicuique secundum opera eius*; & 1. ad Corint. *Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem*.

Not. 3. Quod in hac quæst. sunt tres opiniones. Prima est negatiua, & est communis omnibus negantibus iustitiam commutatiuam propriè dictam, & solùm admittentibus Deum remunerare merita hominum ex gratitudine, & fidelitate; ex gratitudine quidem, quatenus Deus mouetur propter obsequium factum, retributio namque obsequij pertinet ad gratitudinem, fidelitatis autem, quatenus talis retributio procedit à promissione facta. Vnde ad au-

ctoritates significantes Deum remunerare ex iustitia, respondent intelligendas esse de iustitia latè sumpta, prout coincidit cum fidelitate,& gratitudine quæ sunt inter virtutes potestatiuas iustitiæ; Ita Vasquez, Turrianus, Arubal, & alij, & ex nostris, ut refert Mastrius in 3. d. 3. de merito Christi, Hiquæus in 4. d. 46. q. 1. Gallus in 3. disp. 2. sect. 1. Smising t. 1. de Deo uno tract. 3. disp. 475. 3. opinio est Suarez tom. 1. 3. p. disp. Valentiæ Bellarm. Montesinos, & aliorum asserentium Deum remunerare iustorum merita ex iustitia, non quidem rigorosè accepta, qualis intercedit inter homines, sed quadam iustitia soli Deo competenti, ac proinde excludenti imperfectiones, quas nostra iustitia commutatiua præsefert. 3. mediat inter utramque opinionem docens inter Deum, & hominem non posse intercedere iustitiam simpliciter sed tantum secundum quid, & aliqualiter secundum proportionem, sicut inter Dominum, & seruum, Patrem, & Filium, & hæc est germana Scoti sententia, Bassol. & aliorum veterum Scotist. ut bene notat Mastrius concordans aliquos Scotistas, qui videntur inter se discordare, stando quidam pro prima sententia, & quidam pro secunda hac interpretatione, dicens quod ij, qui à Deo iustitiam excludunt in meritorum remuneratione, loquuntur de iustitia rigorosè accepta, ut Hiqueus, & Gallus; qui verò concedunt Deum ex iustitia remunerare loquuntur de iustitia latè sumpta, ut Bellutus, & alij; vnde rectè Auersa, & Mastrius censent hanc controuersiam esse potiùs de nomine, quam de re; sit igitur.

I. Concl. Deus remunerat merita viatoris de condigno, non quidem ex solo motiuo fidelitatis, vel gratitudinis, sed etiam aliquo modo ex motiuo iustitiæ. Est Scoti in 4. dist. 46. q. 1. Bassolij, & omnium fere Scotist. & constat ex hactenùs dictis, nam S. Scrip. apertè prædicat, iustitiam Dei remuneratiuam, & idem tradunt SS.PP. Prob. ratione. Ex promissione onerosa sub conditione condigni ad rem promissam oritur obligatio ex iustitia, ut patet de obligatione reddendi denariū operario, facta conuentione de labore diurno; sed Deus promisit nostris meritis de condigno vitam æternam, & alia pręmia supernaturalia, ergo ex tali promissione reuerà oritur obligatio ex iustitia remunerandi &c.

II. Concl. Iustitia remuneratiua Dei non est iustitia rigorosè commutatiua, sed secundum quid. Est Scoti in 4. d. 40. q. 1. Bassolij, Mastrij, Herincx, & cæterorum Scotistarum. Prob. 1. auct. SS.PP. & signanter D. Ansel. prosolog. c. 18. aientis, *Iustus es, non quià reddis debitum, sed quia facis, quod decet Te summum bonum*. D. Aug. lib. 1. confes. c. 4. *Reddis debita nulli debens* & clariùs D. Bernard. serm. 1. de Annunt. *Neque talia, inquit, sunt hominum merita ut propter ea vita æterna debeatur ex iure &c* Prob. ratione. Iustitiæ remuneratiuæ Dei desunt principales conditiones superiùs recensitæ, quæ ad rigorosam iustitiam commutatiuam requiruntur. Deficit, siquidem prima; nam merita hominis fundantur in gratia Dei auxiliantis, & iustificantis, insuper in liberali, & gratiosa acceptione remunerantis. Deficit 2. eo quià opera nostra sunt ipsius Dei, & multis titulis ei debita. Deficit 3. quæ, ut indicauimus, consistit in commutatione dati, & accepti secundum veram translationem dominij; Deus enim transfundendo in nos suam gloriam, & donando alia dona supernaturalia non priuatur suo altissimo dominio. Addi etiam potest 4. quæ consistit in hoc, quod tam dans, quàm accipiens sit sui iuris, quæ certè non reperitur in proposito, quia homo accipiens præmium vitæ æternæ, non est sui iuris, sed sub Dei dominio; ergo defectu talium conditionum iustitia remuneratiua non est iustitia rigorosa, sed solum secundum quid.

III. Concl. Iustitia Dei remuneratiua est iustitia propriè distributiua. Est Scoti 4. d. 46. q. 1. Et est communis. Prob. Ratio iustitiæ distributiuæ est seruare æqualitatem proportionis geometricæ in distribuendo unicuique bona secundum dignitatem, seu merita Personarum, dando v. g. pro meritis ut sex, gloriam ut sex, sed Deus huiusmodi iustitiam exercet in remunerando de condigno merita iustorum, qui sunt membra Reipublicæ Cœlestis, seu Ecclesiæ triumphantis, ergo iustitia Dei remuneratiua, est propriè iustitia distributiua; Estò non sit modo rigoroso, quo est iustitia distributiua in Republica humana, cuius membra habent aliquod ius ad bona communitatis distribuenda; nam homines ex sui natura, nullum ius habent ad gloriam, sed hoc habent à Diuina liberalitate, ut supra expli-

ca-

catur. Quarè ad dirimendam omnem litem dici potest Iustitiam Dei, siue commutatiuam, siue distributiuam, conuenire in conceptu analogicè communi ad iustitiam diuinam, & humanam; Ea propter existimo, non esse necessarium afferre argumenta contra nostras conclusiones, cum ex doctrina allata facili negotio possint solui omnes obiectiones; quod si studens ea videre optat, legat Mastrium in hac quæstione, qui more suo latè discurrit &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrum homo iustus possit mereri sibi, & alteri primam gratiam de condigno.

NOt. 1. Quòd hic non loquimur de gratia actuali, quia certum est, illam non cadere sub merito, neque de condigno, neque de congruo, ut definitur in pluribus Concilijs contra semipelagianos, qui, ut censet Smisingus, contendebant eam cadere sub merito de congruo; Imo nec iusti augumentum gratiæ actualis de condigno merentur, nulla enim de hac re existit infallibilitas vel promissio: Vnde fit, quod etiam sanctioribus detur parcius, quàm minus sanctis, immò quam peccatoribus, quos abundatioribus auxilijs quandoque Diuina clementia præuenit.

Not. 2. quod de lege ordinaria nequit purus homo obtinere de condigno pro alijs primam gratiam, siue actualem, siuè habitualem, de absoluta tamen potentia non implicat, unum hominem iustum mereri alteri gloriam, & gratiam, tam habitualem quam actualem de condigno, si Deus ordinasset, sicut gratiam habitualem idest augumentum gratiæ de facto sibi meretur, & gratiam actualem similiter sibi mereri posset, si Deus ita disposuisset; nam gratia, & gloria danda alteri, non est dignior, & perfectior ea, quæ daretur sibi ipsi. Constat tamen apud omnes, quod solus Christus Deus, & homo meruit de condigno hominibus, tum auxilia actualia, tum gratiam sanctificantem, & remissionem peccatorum conferendam, Adultis quidem cum præuia dispositione, paruulis autem in Baptismate, absque alia præuia dispositione. Idque congruè inquit Herincx, quia,

cum meritum iusti sit finitum, & determinatum, adæquatè compensatur gratia; & gloria nobis danda.

Concl. Homo iustus nec sibi, nec alteri mereri potest de condigno gratiam actualem, & habitualem; sed de congruo tantum. Est Scoti in 4. d. 14 q. 2. & passim aliorum contra Thom. Prob. 1. pars auct. Trid. sess. 6. c. 8. vbi docet, *Quod nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promeretur*. Prob. 2. pars. Supposita prima gratia vocationis, in hoc enim sensu intelligitur 2. pars concl. ac proinde iustificatione iam inchoata, possumus mereri ulteriora auxilia, sed hæc non possumus mereri de condigno, ergo de congruo. Mai. patet ex D. Aug. qui Epist. 105. ait. *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat*, & Epist. 106. *Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus*.

Cæterum, quod de congruo mereri possit etiam alteri constat ex auctoritate, & praxi Ecclesiæ, quæ, ut ait D. Aug. orat, ut credentes perseueremus. Immò possumus alijs de congruo mereri, etiam primam gratiam vocantem, nam ad hoc non requiritur gratia in altero, sed sufficit, ut præcedat in nobis, qui alteri meremur. Sic conuersio Pauli tribuitur merito S. Stephani orantis; Conuersio S. Aug. lacrymis S. Monicæ. Nunquam tamen meremur de congruo alteri immediate iustificationem, vel reparationem post lapsum, sed mediatè, quatenus obtinemus alteri gratiam efficacem, & credendi, & pœnitendi de peccatis.

QVÆSTIO V.

Vtrum homo possit mereri reparationem post lapsum.

NOt. Quòd sensus quęstionis potest intelligi dupliciter, uno modo ut sit sensus: An homo iustus, quamdiù iustus est, per opera meritoria, quæ tunc facit, mereatur apud Deum, ut si contigat peccare mortaliter, reparationem post lapsum. 2. modo potest intelligi: An homo, qui iam peccauit mortaliter mereri possit per bona opera, quæ facit in statu peccati, remissionem peccati. Quæstio hic agitatur in primo sensu, non in secundo, cum certum sit,

opera

opera in peccato mortali facta esse mortua, ut supra &c.

Concl. Nequit homo iustus mereri de condigno sibi reparationem post lapsum, bene tamen de congruo: pars 1. est communis; 2. autem est D. Bonau. in 2. dist. 28. Scoti in 4. dist. 22. contra Thomistas. Prob. pars 1. auctoritate Ezech. cap. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitates, omnis iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabor &c.*

Prob. ratione. Si iustus posset mereri reparationem post lapsum, sequeretur, quod qui semel iusti sunt, & bonis operiaus dant operam, non possent mori in peccato mortali, sed hoc est falsum, ergo & antecedens. Sequeretur enim, quod peccans per bona opera præcedentia meruisset de condigno, illius peccati remissionem, ac proinde non posset mori in peccato. Prob. 2. pars. Sicut homo manens in peccato habet conuenientiam, & congruitatem ad merendum, ita ex opposito homo manens iustus, per opera facta in statu gratiæ, habet congruitatem apud Deum, ut ipsi largiatur Spiritum pœnitentiæ.

Confirm. hæc ratio auctoritate D. Aug. qui sic discurrit super loc. cit. Ezech. *Desiderium quo quis desiderat reparationem post lapsum, dicitur iustum, & simul oratio, qua tendit ad iustitiam; non tamen ita quod innitatur Iustitiæ per modum meriti, sed per modum misericordiæ, & congruitatis*: ergo &c.

Arg. contra 1. part. conclusionis ex D. Paulo ad hebręos c. 6. ubi monet sic. *Non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis*; sed hæc verba Apostoli indicant iustum mereri de condigno remunerationem laborum; ergo &c. Resp. neg. min. nam Apostoli verba intelligenda sunt de congruo, non de condigno. Vnde Lyramus in Paralip. cap. 19. *Merebaris iram de rigore iustitiæ, sed propter alia opera tua bona pepercit tibi ex dulcore sua misericordiæ.* Vel resp. Apostolum loqui de operibus per peccatum mortificatis.

Arg. contra 2. part. concl. Merita de condigno per peccatum superueniens pęnitus mortificantur; ergo nequeunt habere, aut retinere meritum de congruo saltem quoad actum primum: patet tam ant. quàm conf. ex auctoritate superius allegata Ezech.

Resp. conc. ant. & neg. conſ. Ad auctorit. Ezech. dicendum, quod intelligitur de condigno, non vero de congruo, ut explicat cum alijs Herincx, qui etiam docet congruum eſſe, ut fidelis Dei ſeruus in peccatum cadens, in illo ob priora ſeruitia non relinquatur; nam ſi homo iam lapſus in peccatum, adeoque de facto inimicus Dei, poteſt illam emereri, cur id non poterit qui nec dum lapſus eſt, ſed adhuc manet Dei amicus? Hæc planè ſententia videtur magis pia, ac proinde magis decere bonitatem Diuinam, ut, non obſtante ſuperueniente peccato, Deus recordetur precedentium meritorum, quorum intuitu peccatorem excitat, ut à peccato reſurgat.

QVÆSTIO VI.

Vtrum homo iuſtus poſſit mereri ſibi donum finalis perſeuerantiæ.

NOt. Quòd Thomiſtæ non eodem modo, quo nos explicauimus, declarant meritum de congruo. Dicunt enim quod meritum de congruo dupliciter accipi poteſt; primo modo largè, & impropriè; & ſic actibus charitatis contritionis, alijſque bonis operibus iuſtificationem antecedentibus peccator ad primam gratiam iuſtificantem diſponitur, & eam impetrat à Deo, quæ, cum ſint diſpoſitiones, dicunt quandam congruentiam reſpectu formæ, ad quam diſponunt, cum eam connaturaliter exigant; ſimiliter petitio, & impetratio alicuius doni aliquod meritum imperfectum dici poteſt iuxta illud Aug. Epiſt. 105. Neque ipſa remiſſio peccatorum &c. 2. modo accipitur ſtrictè, & propriè prout videlicet importat ius amicabile ad præmium, quod ius amicabile habere nequeunt actus gratiam iuſtificantem per modum diſpoſitionis antecedentem, cum ius amicabile ex gratia iuſtificante media charitate proueniat. Quare fatentur hominem iuſtum promereri non poſse de congruo, ſumpto merito de congruo in ſtricta ſignificatione, alteri primam gratiam auxiliantem, vel iuſtificationem, vel reparationem poſt lapſum; Vnde quando dicunt Thomiſtæ, iuſtum non poſse ſibi mereri reparationem poſt lapſum, vel

per-

perseuerantiæ donum, loquuntur de merito congruo strictè sumpto, non autem largè accepto; Ita colligo ex Gonet. in suo Compendio Theologico tom. 4. c. 16 pag. 398. tract. 7. de gratia §. 8. Vnde non rectè Vulpes Thomistarum opinionem de hac re videtur referre, putans à nostra sententia dissentire.

Concl. Homo iustus potest sibi promereri donum perseuerantiæ finalis, non quidem de condigno, sed de congruo. Hæc est communis utrique Scholæ paucis exceptis. Prob. 1. pars. Si iustus posset sibi mereri donum perseuerantiæ de condigno, sequeretur, quod nullus iustus, vel saltem pauci essent, qui illud non obtinerent, cum meritum de condigno infallibiliter consequatur suum præmium, quod repugnat verbis illis Christi. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Prob. 2. Id, quod se tenet ex parte principij meriti, non cadit sub merito, sed bonum perseuerantiæ se tenet ex parte principii meriti, quia dependet ex motione gratiæ, non quidem quacunque motione gratiæ, sed ex illa motione gratiæ, quæ est conseruatiua gratiæ; sic enim nequit cadere sub merito, quia est continuatio primæ productionis, & entitatiuè ipsamet prima productio, seu infusio gratiæ, ergo &c.

Prob. 2. pars. Donum perseuerantiæ finalis cadere potest sub merito de congruo, sicut reparatio post lapsum, tam respectu sui, quàm alterius, ergo iustus potest promereri de congruo, non solum sibi, sed etiam alteri iusto perseuerantiæ finalis donum. Hinc D. Aug. lib. de bono perseuerantiæ cap. 6. ait. *Donum suppliciter emereri potest, sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest*; & D. Thomas art. 6. ita docet. *Merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam, quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiæ proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatem in saluatione aliorum*; quibus apertè fauet S. Scrip. signanter Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Hinc tritum est illud Aug. in Sermone de Sancto Stephano. *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet*; ergo &c.

Quæres 1. An homo possit sibi promereri augumentum gratiæ iustificantis. Resp. D. Bon. in 2 d. 29. art. 2. q. 2. Iustos non promereri gratiæ augumentum de condigno, sed

sed de digno. Docet enim Doctor Seraphicus, quod meritum est triplex. Primum dicitur de congruo in Persona digna per modum dispositionis ad gratiam, ut principium dignificandi: 2. est meritum de digno in Persona digna, sed non habente condignitatem ad talem mercedem gloriæ: 3. est meritum de condigno in Persona digna habente condignitatem ad talem mercedem gratiæ. Vnde infert, quod habens primam gratiam meretur de digno augumentum eius, quia est in Persona digna habente principium merendi, non autem est meritum de condigno, quia meritum de condigno exigit mercedem iuxta æqualitatem meriti; & quia gratia maior excedit in proportione secundum æqualitatem gratiam minorem, ideo gratia maior non potest cadere sub merito gratiæ minoris. Verùm resp. ex Scoti doctrina, quæ est communis. Iustum de condigno promereri posse augumentum gratiæ; hæc responsio patet ex hactenùs dictis; eò quia si iustus de condigno promereri potest gloriæ augumentum, ergo etiam gratiæ augumentum, cum gloria correspondeat gratiæ. Tum quia in iusto concurrunt omnes conditiones necessariæ ad meritum de condigno, ergo promereri potest de condigno augumentum gratiæ.

Quæres 2. An homo iustus promereri possit bona temporalia. Resp. 1 Homo iustus non promeretur bona temporalia secundùm se spectata, & absolutè. Ratio quia si iustus mereretur bona temporalia absolutè, & in se spectata, ergo quò magis esset iustus, eò magis abundaret bonis temporalibus, sed sæpè sepiùs videmus iustos penuriam pati; homines impios diuitijs, & temporalibus prosperitatibus abundare; ergo &c.

Resp. 2. Homo iustus promereri potest bona temporalia relatiuè, hoc est, quatenus ordinantur ad vitam æternam consequendam. Patet ex S. Scrip. quæ pluribi promittit bona temporalia obseruantibus Dei præcepta. Vnde in Psalm. 33. *Timentes Deum, non minuentur omni bono*, & alibi: *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius &c.* Quæ auctoritates non ita sunt intelligendæ, quasi nunquàm accidat iustis absolutè non deesse aliquid de bonis temporalibus, sed non eis deesse, quatenùs sunt ordinata ad vitam æternam assequendam, idest eo modo, quo expedit, & eis sufficiat secundùm

dum regulas D. prouidentiæ, quam humiliter præcamur, ut mentis, & intercessione B. Annæ Deiparæ Matris, quæ interpretatur gratiosa, seu misericors, cuius hodie solemnia agimus nobis omnibus viatoribus, cœlestes gratias, & misericordias æternas impetrare dignetur, ut ad vitam æternam peruenire valeamus Amen.

Omnia, quæ in hac secunda parte, & in omni alio meo scripto continentur, S. R. Ecclesiæ, ac Summi Pontificis iudicio, atque correctioni humiliter submitto.

F I N I S.



ERRATA:	CORRECTA:	pag.	verſ.
accepřio	accepto	5	37
affectum	effectum	8	36
res	tres	15	8
eſſentialiter	eſſentialior	18	19
in fine	in fieri	30	20
obiecti	abiecti	34	14
vna	vera	64	39
cart. 47.	cart. 84.	108	24
infra cart.	ſupra cart.	108	24
cart. 60.	cart. 109.	90	21
velatè	relatè	100	22
inuium	inuicem	129	15
velle contra	vel è contra	140	11
elicito	elicitio	173	43
ordinatum	inordinatum	190	14
ratio	generatio	279	8
ſequitur	pariter	283	38
voluntaria	inuoluntaria	351	31
receptione	acceptione	361	27
intrinſecam	extrinſecam	409	26
prohibere	non prohibere	467	20
riuent	viuent	493	26
de qualis	de qua lis	425	39
præceptorum	peccatorum	624	6
malè	malle	660	8
compatur	computatur	741	35
adulterum	adulter non	746	8
catum	reatum	789	15